


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
12
2 B
24


OBSCVRA RECLVDIT




TRIENNIVM PHILOSOPHICVM

quod

P. ANDREAS SEMERY REMVS
E Societate IESV.

In Collegio Romano
Philosophiæ iterum Professor
dictabat

IO: BAPTISTA PASSERVS
eiusdem Discipulus




Eminentissimo, ac Reuerendissimo
PRINCIPI
CAROLO CARD.
BARBERINO
D. D. D.



Annus Primus.

ROMÆ, Typis Tinassij.

Superiorum Permissu



Eminentissimo, & Reuerendissimo

PRINCIPI

CAROLO CARD. BARBERINO

IO: BAPTISTA PASSERVS

Felicitatem.



Omum suam ingreditur Philosophia nostra, dum in Conclaue tuum admittitur Emin. Princeps. Neque enim peregrinatur apud te vlla pars Sapientiæ, nec in ædibus Barberinis hospes est amor & studium Veritatis. Inueniet apud te, quas vnice amat, virtutes reliquas, tuoque in sinu, quasi suo in domicilio, simul cum cæteris conquiescet: mitto igitur & grandia illa nomina quibus & VRBANI OCTAVI & Barberinorum Principum inter belli pacisque artes, virtutes eximiæ sui admi-


ratione terrarum orbem impleuerunt, & pronum eorumdem in addictissimam sibi familiam nostram fauorem, & animum, in huiusce Philosophiæ nostræ patrocinium aduocare. In te vno quamuis gentilitia hæc decora hæreditario iure non modo vigeant, sed incrementum accipiant; vnum sui amorem amat Sapientia; tuisque non vt Purpurati & Principis, sed vt sui amantis oculis obuersari se gestit. Præfert illa splendidiorem noua semper tuæ lucis accessione Barberinũ Solẽ, qui dũ OBSCVRA illa mellificantis naturæ mysteria suauissimo tuarum apũ RECLVDIT in opere; quã apte, & hæ & ipse in tuæ gentis & Emblema & Stemma coalescant, ostendit. Neque enim quam suauiter, non sibi, sed toti generi humano adlaborent apes, vnquam patuit illustrius;

quam

quam cum in Propatrui tui Vrbani Octaui splendidissima beneficentia patuit orbi terrarum, id vnum Barberinos amare, vt amentur ab omnibus, omnesque in amorem sui pertrahant blandissima vi beneficiorum. Huius tu dum fortunam mereris, æmularis virtutes: quas inter singularis tua humanitas monimentum sui apud me ponet æternũ; si me meumq, hoc qualecumq; munusculum amico vultu, amico animo non dedigneris excipere.

LECTORI BENEVOLO.

IO: BAPTISTA PASSERVS.



Riennalem Philoſophiæ curſum quem à Magiſtro meo diligenter excepi, habes hic amice lector, ſuos ita diſtributum in annos; vt nulla ex tribus Scientijs quæ toti curſui nomen imponunt, ſine aliarum conſortio prodeat; ſed Metaphyſica phyſicis, vtriſque Logica, ex more iam in hac Vniuerſitate recepto, promiſcua videantur. Atque hoc, puto, æqui boniq; conſules, cum ad id maxime impulerit commodum tuum, & meum: tuum quidem, cui quæ ſingulis annis agitari ſolent in Scholis, ſingulos diuiſa dantur in tomos, meum vero cui ſeruatum in ſcribendo ordinem, nec fas nec animus fuerit in reſcribendo inuertere. Res autem hic ita explicatas inuenies, vt ſimilitudines & exempla e numero diſcipulorum, e cathedra, e ſcamnis ex ipſo Gymnaſio alijſque id genus petantur, quæ & dictanti & ſcribentibus maxime obuia erant & familiaria. Quæ facile omnia condonabis, ſi non cogitantem de publica luce, cui tamen non omnino inuitus annuit vt darentur, ſed dictantem diſcipulis ſuis, ac iiſdem familiariter doctrinam ſuam inſinuantem Magiſtrum meum, tibi, dum ipſe hæc lectitas, repræſentes. vale.

IN-

INDEX

DISPVT. ET CAPIT.

Pro Summulis.

DISPVTATIO PRIMA

De ijs quæ ſpectant ad ſimplicem appræhenſionem.

DISPVT. II.

De ijs quæ ſpectant ad ſecundam operationem intellectus.

Cap. 9.

DISPVT. III.

De pertinentibus ad tertiam operationem intellectus.

IN-

INDEX. 6

DISPVTATIONVM

Et Quæſtionum anni primi.

DISPVT. PRIMA

Prœmialis.

DISPVT. II.

De vniuerſalibus in communi.

DISPVT. III.

De vniuerſalibus in particulari.

Qu. 3.

DISPVT. IV.

In Aristotelis prædicamenta.

DISPVT. V.

In libros perihermenias, seu de interpretatione.

DISPVT. VI.

In libros priorum Analyticorum.

DISPVT. VII.

In libros poster. Analyt.

DISPVT. VLT.

De diuisione & specificatiuo scientiarum.

Im-

Imprimatur,


Si videbitur Reuerendissimo P. Magistro Sacri Palatij Apostolici.

I. de Angelis Archiep. Vrbini Vicesgerens.

Imprimatur,

Fr. Raimundus Capisucchus Ord. Prædic. Sacri Palatij Apostolici Magister.

ORGANVM ARISTOTELIS, SIVE IN PHILOSOPHIAM PERIPATETICAM BREVIS INTRODVCTIO.



HILOSOPHIAE Peripateticę, quam hoc anno tradere aggredimur, organum Aristotelis præludere oportet; cui curandum erit, vt cœtera consonent, quæ dicturi sumus. Hoc leui tactu, & veluti primoribus digitis percurremus in præsentia, grauiori post manu pulsaturi. Vno verbo logicæ, quam explicaturi sumus hoc anno, breue quoddam logicę compendium pręmittimus: SVMMVLAS vocant, quæ sunt veluti tyrocinium, & prima vniuersę philosophiæ rudimenta. Quia vero totus logicæ labor in id vnum incumbit, vt opera intellectus humani se ipso incerti, ac inter verum, & falsum fluctuantis, per certas leges ad rectum dirigat: ideo in primis, & ante omnia scire necesse est, quot sint operationes intellectus quarum hic directioni studemus.

Sunt autem operationes intellectus omnino tres. Prima omnium dicitur *simplex*, seu prima apprehensio. Per hanc, obiectum, seu rem quamcumque ita intellectu concipimus vt de ipsa nihil omnino, aut affirmemus, aut negemus: vt cum dicis: *Deus*; *homo*; *Angelus* &c. Dicitur, & apud Philosophum; simplicium apprehensio, non quod res dumtaxat simplices per eam attingamus, sed, quia rem quamlibet, quam per ipsam attingimus, purè, & simpliciter attingimus, represen-

tando videlicet ipsam præcisè mentibus nostris, de ipsa vero nihil penitus iudicando.

Secunda dicitur propositio, siue enunciatio, siue iudicium. Per hanc de re concepta aliquid vel affirmamus, vel negamus: Propterea dicitur comparatio, vt cum dico *Deus est bonus*, Deum comparo cum bono, & sic de cæteris, & iudico, quod sit bonus. Iudicium affirmans dicitur coniunctiuum, seu compositiuum, vt in exemplo adducto, in quo per copulam *est* coniungo bonum cum Deo: iudicium negans dicitur diuisiuum, vt cum dicis *homo non est quadrupet*, in quo quadrupedem separas ab homine. In secunda operatione tria sunt consideranda. Id de quo aliquid affirmas aut negas, & dicitur subiectum. Id quod de altero affirmas vel negas, & dicitur prædicatum: & ipsa particula *est* quæ dicitur copula, & nexus, per quem prædicatum subiecto appingitur. Si particulæ *est* particulam *non* præfixeris, iudicium feceris ex affirmatiuo negatiuum, ex coniunctiuo diuisiuum; vt satis patet in allatis exemplis.

Tertia intellectus operatio est Discursus. Per hanc intellectus ab aliquibus sibi notis ad alia cognoscenda progreditur: vt cum ex eo quod videam discipulos esse modestos, arguo eosdem esse studiosos, hoc pacto: *omnes modesti adolescentes sunt studiosi: sed isti mei discipuli sunt modesti adolescentes: ergo sunt studiosi*. In hac operatione quã pro exemplo adduximus prima propositio dicitur maior, secunda minor, tertia vero consequentia. Rationem appellationum huiusmodi alibi afferemus. Iuxta triplicem

cem hanc intellectus operationem; Logicam nostram cum Philosopho trifariam diuidimus. De his, quæ pertinent ad primam egit philosophus in libris prædicamentorum: de ijs quæ ad secundam in libris Periermenias: de ijs quæ ad tertiam in libris priorum, & posteriorum. Hunc eundem ordinem nos philosopho duce, Deo aspirante sequemur.

DISPVTATIO PRIMA.

De ijs, quæ spectant ad simplicem appræhensionem.

CAPVT I.

Quid, & quotuplex sit terminus.

ARTICVLVS I.

Definiuntur aliqui Termini.

AGimus hic de terminis secundum eam rationem secundum quam pertinent ad propositiones. Definitur autem à Philosopho primo prior, cap. 1. terminus propositionis: id in quod resoluitur propositio tanquam in subiectum, & predicatum apposito, vel separato esse aut non esse. Cape hanc propositionem *homo est animal*: Aufer nexum, seu copulam *est*, remanebunt solum *homo*, & *animal*, quæ sunt duo extrema, quorum alterum in propositione erat subiectum, alterum prædicatum: *homo* igitur, & *animal* sunt termini, in propositione prædicta, Idem dic proportionaliter in hac pro-

positione *homo non est lapis*, in qua si destruxeris li *non est* habebis duos hos terminos: *homo*; *lapis*.

Obijces Terminus est id, in quod resoluitur propositio: Sed propositio resoluitur in syllabas; ergo syllabæ sunt termini propositionis.

Respondeo negando maiorem, in qua non integra, sed dimidiata termini definitio affertur. Non enim omne id, in quod resoluitur propositio est terminus, sed id, in quod resoluitur tanquam in subiectum, & prædicatum apposito, vel separato *esse* aut *non esse*. Resolutio propositionis in syllabas dicitur resolutio physica, videlicet in partes componentes, sicut domus resoluitur in cementa, & lapides: resolutio autem in subiectum, & prædicatum dicitur resolutio logica: de qua dumtaxat hic agimus.

Vt autem facilius intelligas, quæ dicenda sunt circa terminos; supponere hic debes, quod alibi ex professo tractabitur, voces articulatas significare res non ex natura sua, sed ad placitum (sermo est de vocibus significatiuis) v. g. hæc vox *lapis* non habet ex se magis significare id, quod re vera lapis est, quam id quod est lactuca, vel cucurbita: sed institutores linguæ, penes quos fuit hanc vel illam huic voci significationem indere, maluerunt vt hæc vox *lapis* significaret id quod lapis est, quam id quod cucurbita. Propterea voces dicuntur signa ad placitum; non quod iam vnicuique liceat qualibet voce ad quodlibet vti; sed quia hoc licuit institutoribus humani sermonis. Hæc ad libitum significatio facile explicatur per similitudinem

nem lauri, aut hederæ appensæ pro foribus in signum vini vendibilis, cum id quidlibet aliud æquè potuerit indicare; si inter homines ita conuenisset. Idem dic de pileo croceo, quo vtuntur Iudæi, qui si homnibus placuisset, æquè potuit significare principes ciuitatis, ac significat nunc humani generis mancipia. His positis.

Diuiditur primo terminus in significatiuũ & non significatiuum. Significatiuus est, qui ex hominum voluntate, & placito aliquid repræsentat à se distinctum v. g. hæc vox *panis* prolata non solum manifestat se ipsã, sed prætcrea facit audientem venire in cognitionem illius rei, qua sustentamur, & vescimur &c. Non significatiuus est, qui non habet ab hominum placito aliud à se repræsentare. Huiusmodi est celeberrima vox in scholis. *Blitiri*, & aliæ voces huiusmodi, quas quilibet sibi fingere potest, quibus auditis nihil intelligis, quod ex hominum placito repręsentent.

Dices cum audio hanc vocem *Blitiri* cognosco aliquid ab hac voce distinctum, ergo hæc vox inducit in cognitionem rei à se distinctæ: ergo est terminus significatiuus. Probatur ant. quia audita voce *Blitiri* cognosco proferentem esse viuum, esse præsentem, esse loquentem, & volentem loqui: sed hæc omnia sunt aliquid distinctum a voce *Blitiri*, g. vox *blitiri* inducit in cognitionem non solum sui, sed etiam alterius.

Resp. dist. ant. cognosco aliquid significatum ex hominum placito neg. antec. significatum aliunde concedo antecedens, & neg. consequentiam. Quælibet vox siue in-

stituta, siue non instituta in signum, si proferatur manifestat proferentem esse viuum, esse præsentem &c. Hoc autem significare non habet ex hominum placito, quasi vero ex hominum voluntate institutum sit, vt mortui non loquantur. Sermo autem hic est de vocibus significatiuis secundum placitum.

Quæres quod nam sit discrimen inter hanc vocem *blitiri*, & hanc aliam *nihil*.

Resp. discrimen esse quod hæc vox *blitiri* caret omni significatione, quæ illi insit ex hominum placito. Hæc autem alia *nihil* habet suam veram, & propriam significationem ex hominum placito. Homines enim instituerunt hanc vocem *nihil* ad significandam carentiam rerum omnium.

Dices tam hæc vox *nihil* nihil significat, quàm hæc vox *blitiri* g. par vtriusque vocis conditio.

Resp. neg. ant. Nam nihil significare idem est, ac non significare: eo ipso autem quod *nihil* institutum sit ad significandam carentiam rerum omnium falsum est quod nihil significet. Cum vero *blitiri* careat huiusmodi institutione verum est quod non significat, adeoque quod nihil significat.

ARTICVLVS II.

Aliæ diuisiones Terminorum.

TErminus significatiuus alius est singularis, alius communis. Singularis est, qui vni determinatè competit, vt *Petrus*. *Paulus &c*. Communis est qui de pluribus di-

dicitur, vt *homo*, qui de Petro, & Paulo. *Equus* de Bucephalo, & Brunello.

Communis alius eſt tranſcendens, alius non tranſcendens. Tranſcendens dicitur de omni re tam exiſtente, quàm poſſibili. Appellatur autem tranſcendens, propter hoc ipſum, quia tranſcendit omnia genera rerum. Sex termini tranſcendentes comprehenduntur hac voce ſummuliſtica *Reubau* hoc eſt *res*, *ens*, *vnum*, *bonum*, *aliquid*, *verum*. Non tranſcendens dicitur ſolum de rebus vnius ordinis, ſeu claſſis, vt *ſubſtantia*, *animal*, & alij huiuſmodi, qui de pluribus, non vero de omnibus dicuntur. Porro per li: omnia genera rerum: intelligimus precisè res tam poſſibiles quàm exiſtentes, ad quas omnes extenduntur termini tranſcendentes in *Reubau* expreſſi. Sunt autem alij termini, qui ſupertranſcendentes dicuntur, eo quod non ſolum ad poſſibilia, ſed etiam ad impoſſibilia extendantur. Huiuſmodi ſunt *intelligibile*, *cognoſcibile*, *cogitabile* &c.

Rurſus terminus communis alius eſt Vniuocus, alius Aequiuocus, alius Analogus. Vniuocus eſt, qui de pluribus dicitur inter ſe ſimilibus in ratione ſignificata. Huiuſmodi eſt hic terminus *homo* reſpectu Petri, Franciſci, Antonij &c. omnes enim iſti ſunt ſimiles in ratione ſignificata per hanc vocem *homo*.

Aequiuocus eſt, qui de pluribus dicitur inter ſe diſſimilibus in ratione ſignificata. Huiuſmodi eſt hoc nomen *canis* reſpectu animalis latrantis, & conſtellationis cœleſtis, & hoc aliud: *Gallus* reſpectu hominis Franci, &

pulli gallinacei: Analogus est, qui de pluribus, dissimilibus quidem in ratione significata, cum aliqua tamen connexione inter se in hac eadem ratione. Huiusmodi est hoc nomen *sanum* respectu animalis, & medicinæ: nam & animal dicitur sanum, & medicina sana; dissimiliter tamen; animal enim dicitur sanum, quatenus habet perfectam humorum temperiem, quæ est ipsamet sanitas; medicina autem quatenus ad hanc eamdem temperiem conducit. Vnde apparet in ipsa met sanitate aliquam dari connexionem animal inter, & medicinam: quatenus sanitas, quæ est in animali, à medicina efficitur.

Præterea terminus alius est finitus alius infinitus. Finitus est, qui prædicatus de subiecto determinat quid ipsum sit, vt cũ dico *Petrus est homo*. Per li *homo* intelligis quid sit Petrus. Infinitus est, qui determinat de subiecto quid ipsum non sit, non autem quid sit, vt cum dico *Petrus est non lapis*. Aduerte obiter, quod particula *non* terminum infinitans non efficit propositionem negatiuam, sicut illam efficeret, si afficeret copulam. Hæc enim propositio *Petrus est non lapis*: est propositio affirmatiua. Hæc alia: *Petrus non est lapis*: est negatiua. In prima propositione particula *non* sumitur infinitanter; in secunda neganter. Quod dicimus de particula *non* infinitante prædicatũ, intellige de eadem infinitante subiectum v. g. Hæc propositio *non homo est irrationalis*: si li *non* efficiat vnam dictionem cum li *homo*: est propositio affirmatiua, si vero non efficiat vnam dictionem, sed afficiat totam proposi-

tio.

onem est propositio negatiua.
Diuiditur insuper terminus in absolutum, connotatiuũ. Circa difinitionem vtriusq; pra meritum rei litigant summulistæ. Nos rminum absolutum vocamus, qui se solo rfectam, & completam habet significatio- m, connotatiuum verò qui se solo illam n habet, sed alterum respicit, à quo il- n acquirat. Exemplum primi sit hæc vox *mo* secundi hęc alia: *Albus*, si quis enim di- it: *homo est in area* aliquid perfecte, & erminatè cognoscis, si alius dixerit: *albus in area*: non perfectè intelligis, sed di- dũ erat *homo vel canis albus est in arca.* ic habes nomina substantiua esse absoluta, ectiua vero esse connotatiua.
Est prætereà genus aliud quoddam con- ationis, quæ consistit in hoc, quod res ificata per nomen cognosci nequeat, nisi comparationem, seu relationem ad alia. usmodi connotatio conuenire potest etiã tantiuis. Puta hic terminus *Dominus* onnotatiuus, non quod se solo non si- cat perfectè, sed quia id ipsum quod si- cat, cognoscitur dumtaxat per compara- em ad aliud: Dominus enim per relatio- l Seruos cognoscitur. Et dicitur conno- obiectiua, quia res ipsa, quæ vel sola, rincipaliter significatur, cognosci nequit er ordinem ad aliud.
oc eodem modo connotatiuus dicitur terminus *cœna*, quia comestio, quæ ipaliter significatur per hanc vocem, ipi nequit, nisi per comparationem tempore vespertino, quod est aliud à stione.

Diuiditur insuper Terminus in abstractum, & concretum. Abstractus est, qui significat formam vt præcisam à subiecto. Huiusmodi sunt hæ voces; *albedo, animalitas &c.* Concretus est, qui significat compositum ex subiecto, & forma, vt *album, animal &c.* Quando forma distinguitur a subiecto, cui dicitur inesse est concretum physicum: vt *album, dulce &c.* Albedo enim & dulcedo distinguitur à subiecto, cui insunt, puta à lacte à saccaro &c. Quando vero forma non distinguitur realiter à subiecto cui dicitur in esse: dicitur concretum metaphysicum, vt *animal*: animalitas enim quę est veluti forma animalis est realiter idem, ac animal. In primis cõcretis forma dicitur forma physica, in secundis forma metaphysica.

Sunt præterea quędam quæ dicuntur concreta logica: in his forma, quæ distinguitur realiter à subiectis, non inhæret ipsis; sed est ipsis extrinseca. Huiusmodi est hæc vox: *cognitum, amatum, visum,* & aliæ huiusmodi, res enim quæ cognoscitur, per cognitionem sibi extrinsecam, intrinsecam autem cognoscenti cognoscitur, idem dic de alijs.

Rursus termini concreti alij sunt quidditatiui alij denominatiui. Quidditatiui sunt qui significant subiectum, & formam vtrumq; in recto. Denominatiui qui subiectum in recto, formã in obliquo. Exemplũ primi habes in hac voce *homo*, Exemplum secundi in hac voce *album*. Recte dixeris *homo est materia forma, & vnio*; male: *homo est materia informata per animam*, rectè *album est subiectum informatum albedine* male *est subie-*

iectum albedo , & vnio. Item rectè dixeris: *album est subiectum albedinis* , seu *subiectũ albedinis est album*, male *homo est subiectum animę* , seu *subiectum animæ est homo* . Ad rationem termini denominatiui requiritur quod concretum significetur nomine grammaticaliter deriuato ab illo, quo forma significatur in abstracto, vt ab albedine album: ex defectu huius conditionis hic terminus *sapiens* non est denominatiuus respectu doctrinæ, quia hæc vox sapiens non deriuatur grammaticaliter ab hac voce *doctrina* sed ab hac alia: *sapientia* .

Diuiditur vlterius Terminus in Categorematicum, & Syncategorematicum. Categorematicus est, qui se solo significat: Syncategorematicus, qui cum substantiuo, cui adiacet habet consignificare, illumque determinare ad hanc vel illam suppositionem. Exemplum primi habes in hac voce *homo* , alijsque similibus. Exemplum secundi in his vocibus: *omnis*, *aliquis* : *nullus* ; quæ determinant acceptionem substantiui, cui apponuntur. Omnis, & nullus sint syncategoremata vniuersalitatis. *Aliquis* est syncategorema particularitatis. *Hic* est in syncategorema singularitatis.

Dices nomina adiectiua, qualia sunt *iustus* , *sapiens* , *bonus* &c. se solis nihil significant, sed solum quando adiacent substantiuis puta *homo iustus*: *homo sapiens* &c. g. nomina adiectiua sunt tantum syncategoremata.

Resp. neg. ant. Nomina adiectiua significant aliquam formam, quam superaddunt subiecto, quod afficiunt: puta hoc adiectiuũ

iuſtus additum huic ſubſtantiuo *homo* ſuperaddit illi iuſtitiam. At vero hic terminus *aliquis* ſuperadditus huic alteri *homo* nihil ſuperaddit, ſed ſolum denotat, quod per li *homo* non debent accipi omnes homines, vt de ipſis verum ſit quod dicitur, puta cum dicis: *aliquis homo eſt in foro*: per li *aliquis* denotas ad veritatem propoſitionis non requiri, vt omnes homines ſint in foro, ſed ſufficere quemlibet, quicumque ille ſit, ad hoc vt verum dixeris. In hac alia: *omnis homo eſt animal*: per li *omnis* denotas requiri ad veritatem vt nullus homo ſit, qui non ſit animal.

Diuiditur etiam terminus in complexum, & incomplexum. Complexus eſt qui ex pluribus conſtat eamdem ſignificationē habentibus ſeorſim, quam habent ſimul: ita: *homo iuſtus* dicitur terminus complexus. Incomplexus eſt, cuius partes ſeorſim ſumptæ vel nihil ſignificant, vel ſi aliquid, non idem ſeorſim, quod ſimul v. g. *dominus*. Licet enim in hac voce ſint *do*, & *minus*, quorum vtrumque aliquid ſignificat non eſt terminus complexus; non enim idē ſignificant, ſeorſim, quod coniunctim. Item neque hæc vox *Reſpublica* eſt terminus complexus, quia partes diuiſæ aliud ſignificant, quam coniunctæ. Coniunctæ enim conſtituunt vocem, qua ſignificatur quædam hominum communitas, & quoddam genus gubernij. Diuiſæ vero quamlibet rem omnium vſui expoſitam,

ARTICVLVS III.

Expediuntur alij termini.

Diuiditur præterea terminus in primo in-tentionalem, & secundo intentiona-lē. Primo intentionalis est, per quem si-ficas rem prout se habet à parte rei, & lependenter à quolibet actu intellectus v. *omo*. Etiam si enim nemo cogitet; tamen significata per hoc nomen est homo. Se-ndo intentionalis est, per quem significas n prout se habet dependenter ab aliquo tu potentiæ tendentis in ipsam v.g. hi ter-ini: *cognitum*; *prædicatum*; *subiectum*: sunt cundo intentionales: si enim nullus cogitet re: res non est cognita, si nullus iudicet: non t neque prædicatum, neque subiectum.

Insuper terminus alius est diuisiuus, alius llectiuus. Diuisiuus est qui plura signifi-t, de quorum singulis prædicari potest in ecto: vt hic terminus *homo* qui de pluribus umana natura contentis prædicari potest. ecte enim dixeris *Petrus est homo*, *Paulus* *st homo*, & sic de cœteris. Collectiuus est ui plura in recto significat, sed nequit de ngulis prædicari. Huiusmodi est hoc no-nen *Exercitus*, & alia huiusmodi: nam exer-itus est hic & ille, & ille alius miles simul. ecepti: Sed nequit de singulis dici: male enim lixeris *alexander est exercitus*. *Ephæstio est* *xercitus*. Hinc habes hanc vocem *dulce*, & alias similes non esse neque terminum di-uisiuum, neque collectiuum: quamuis enim plura significet; subiectum videlicet dulce-

dinis,

dinis, & ipsam dulcedinē non tamen vtrumq; importat in recto.

Collectiuus alius est primæ intentionis, alius secundæ. Primæ intentionis est, qui significat plura in recto prout se habent à parte rei, & independenter ab operatione intellectus. Vt *ciuitas, exercitus, populus, &c.* quibus significantur plures homines independenter ab omini operatione nostri intellectus constituentes communitatem quamdā. Collectiuus secūdæ intentionis est qui significat plura in recto, prout se habent dependent ab operatione nostri intellectus. *Huiusmodi* sunt hæ voces: *Species; Genus.* Nam per voces huiusmodi significatur collectio plurium prout substantium cognitioni illa representanti per modum vnius. Species humana v.g. est tota collectio hominum provt repręsentata intellectui per modū vnius; hoc est ita repręsentata, vt neq; discernas esse vnū hominē, neque esse plures. Hoc in tractatu de vniuersalibus patebit. Interim supponatur.

Differunt Collectiuum primæ intentionis, & Collectiuum secundæ, quod primum non afferat ex parte obiecti vllum actū intellectus, secundum vero afferat; nam ciuitas non constituitur in esse ciuitatis per actū intellectus: species autem per actum intellectus constituitur in esse speciei, & genus in esse generis: vt explicabitur in loco.

Vltima diuisio terminorum sit in pertinentes, & impertinentes. Impertinentes sunt, qui neque se inferunt, neque excludunt: Huiusmodi sunt *Logicus, & Musicus. niger & architectus &c.* Nā male inferes *hic homo est Logicus, g. est Musicus.* Male etiā,

ergo

ergo non est Musicus aut e conuerso: *hic homo est Musicus, ergo Logicus*. Item male: *hic homo est niger, ergo est Architectus*, aut *g. non est Architectus*. Pertinentes sunt, qui se aut inferunt, aut excludunt. Huiusmodi sunt: *logicum, & rationale*. *Album, & Nigrum*. Recte enim dices: *hic homo est Logius, ergo est rationalis*. Rectè *hoc pallium est nigrum, g. non est album*.

Pertinentes, qui se inferunt, dicuntur pertinentes sequela, seu consequentes. Ex ijs alij sunt conuertibiles, hoc est se mutuo inferentes, vt *risibile* & *flebile*: valet enim est risibilis, ergo flebilis, & è conuerso. Alij superiores, alij inferiores. Animal respectu hominis est terminus superior, quia spectat & ad omnes homines, & ad alia plura: non enim solum de homine, sed & de Equo, & de Leone dices: *est animal*. Homo autem respectu animalis est inferior, quia cum de omnibus, de quibus prædicatur homo, dicatur animal; homo non de omnibus, sed tantum de aliquibus dicitur, de quibus animal prædicatur.

Inter pertinentes reponuntur etiam termini oppositi. (Ij scilicet, qui propter specialem aliquam repugnantiam nequeunt conuenire eidem. Opponuntur autem termini multipliciter primo contradictoriè quando nimirum per vnum tollitur illud idem, quod per alterum ponitur, vt *album*, & *non album*. Secundo contrariè quando vterque significat aliquid positiuum, sed expellunt se mutuò ab eodem subiecto, vt *calidum*, & *frigidum*. Tertio priuatiuè, quando per vnum significatur forma, & per alterum caren-

rentia formæ in subiecto apto vt *cœcus*, & *videns*. Cœcus enim seu subiectum quod dicitur cœcum habet natura sua aptitudinem ad visum; ideoque non dicitur, nisi de animali. Quarto relatiuè, quando scilicet vnus dicit ordinem, seu habitudinem ad alterum; vt *Pater*, & *filius*: *Dominus* & *Seruus*: Denique pertinentes qui se excludunt dicuntur pertinentes repugnantia. Atque hæc de diuisionibus terminorum sufficiant.

CAPVT II.

De suppositione Terminorum.

ARTICVLVS I.

Explicantur aliquæ suppositiones.

INter alias pro(p)rietates terminorum examinamus hic suppositionem quæ est potissima: est autem Suppositio, positio vnius rei loco alterius. Ita in ludio, calculi, vel fabæ supponunt pro nummis; hoc est ponuntur loco nummorum. Loquendo autē de suppositione terminorum: Definitur hæc à Toleto lib. 2. cap. 1. vsus siue acceptio termine pro se, vel pro suo significato. Vsus termini pro se dicitur suppositio materialis: vt cum dico. *Homo est vox dissyllaba*, li *homo* supponitur materialiter.

Vsus autem termini pro re significata dicitur suppositio formalis: vt cum dico: *homo est animal rationale*. Circa hanc, & illam suppositionem æquiuocatur hoc sophisma. *Homo est vox dissillaba*, *sed tu es homo*, *ergo*

ergo tu es vox dissyllaba; quia tamen non nisi valde impropriè idem dicitur supponere, seu supponi pro se ipso, ideo fortasse melius definieris suppositionem terminorum sic; *est acceptio termini pro re distincta à termino*.

Dupliciter autem supponi possunt termini pro rebus, quas significant, actiuè scilicet, & passiuè. Actiuè quatenus præstant id quod præstarent res si adessent, excitando nimirum cognitionem earum, passiuè quatenus sustinent prædicata, quæ conueniunt rebus. Vtrumque apparet in hac voce *homo*: Nam sicut viso homine excitatur in mente cognitio hominis, ità etiam excitatur audita hac voce *homo*: & sicut illi rei, quæ homo est conuenit esse animal; ità & vox *homo* in propositione sustinet hoc prędicatū *animal* dicis enim *homo est animal*, nā vt ait philosophus, primo elench. cap. 1. *nominibus tanquam symbolis rerum vtimur, & quidquid accidit nominibus id rebus euenire putamus*. Ideſt proprietates illæ, quæ à nobis vel affirmantur, vel negantur de subiecto; non de voce, qua vtimur; sed de re significata per vocem intelligere oportet.

Loquendo igitur de suppositione propriè dicta. Terminus communis supponere potest vel vniuersaliter, vel particulariter, vel singulariter, prout afficitur syncategoremate vel vniuersali, vel particulari, vel singulari. *Omnis homo; aliquis homo; hic homo*.

Secunda diuisio soppositionis fit in simplicem, & personalem. Circa hanc non est vna omnium mens, & definitio. Nos definitionem Hurtadi pro legitima admittimus. *Suppositio simplex est acceptio termini pro*

re ſignificata, prout ſubſtante ſecundis intentionibus. In hac ſuppoſitione eſt terminus cōmnnis quotieſcumque ſubijcitur termino collectiuo ſecundæ intentionis, vt cum dico: *homo eſt ſpecies: animal eſt genus*. Tunc enim li homo accipitur pro tota collectione hominum prout hæc ſubſtat cognitioni cuidam confuſæ per quam conſtituitur in ratione ſpeciei. Et li *animal* accipitur pro tota collectione animalium prout ſubſtante cognitioni itidem confuſæ per quam conſtituitur in eſſe generis. Quod autem dicitur de termino accepto in hac ſuppoſitione ſimplici, non poteſt dici de inferioribus cōprehenſis ſub ipſo. Nō enim dices *Petrus eſt ſpecies. Paulus eſt ſpecies. Homo eſt genus: Equus eſt genus:* quamuis homo & equus comprehendantur ſub animali, Petrus, & Paulus ſub homine.

Suppoſitio perſonalis eſt vſus termini pro re ſignificata prout ſe habet ſecundum ſe, & independēter ab actu intellectus v.g. *homo eſt animal*. Quod dicitur de termino communi ita ſuppoſito dicitur de omnibus inferiorib⁹. Dicitur enim *Petrus eſt animal, Paulus eſt animal &c*. Dicūtur autē inferiora alicuius termini ſingularia, vel minus vniuerſalia, quæ ſub tali termino continentur. Ita quia hæc vox *homo* ſignificat Petrum, Paulum, & Franciſcum. Petrus Paulus, & Franciſcus dicuntur inferiora hominis quia hæc vox *animal* ſignificat hominem, leonem, & canem. Homo, leo, & canis dicuntur inferiora animalis. Suppoſitio ſimplex dicitur etiam ſecundo intentionalis, Perſonalis vero primo intentionalis.

A R-

ARTICVLVS II.

Explicantur aliæ suppositiones.

PRæterea ſuppoſitio alia eſt collectiua, alia diſtributiua. Diſtributiua eſt, quãdo accipitur terminus communis itaut quod de ipſo dicitur, dici poſſit de ſingulis ipſius inferioribus: vt cum dico; *Omnes Apoſtoli ſunt ſancti*, valet enim & *Petrus eſt ſanctus, & Andreas eſt ſanctus*, & ſic de reliquis. Collectiua vero eſt, quando accipitur terminus itavt quod de ipſo dicitur dici poſſit dũtaxat de omnib' inferioribus ſimul ſumptis: vt cum dico: *omnes Apoſtoli ſunt duodecim*. Non enim dices, & *Petrus eſt duodecim, & Andreas eſt duodecim*, & ſic de cœteris.

Rurſus diſtributiua alia eſt accomode cõpleta, alia completa. Completa eſt acceptio termini communis pro omnibus inferioribus ſiue mediatè, ſiue immediatè ſubiectis, vt *omne animal eſt viuens*, accomodè completa, quæ etiam dicitur incompleta eſt acceptio termini communis pro aliquo, vel aliquibus, ex quolibet genere ſeu ex qualibet ſpecie inferiorum; non tamen pro omnibus, vt cum dicis: *omne animal fuit in arca Noè*; vnde non valet: *omne animal fuit in arca Noe, ſed meus Equus eſt animal, ergo meus Equus fuit in arca Noe*: in prima propoſitione li *omne* ſupponit pro ſingulis generum; in ſecunda pro generibus ſingulorum.

Inſuper ſuppoſitio alia eſt diſiunctiua, & determinata, alia indeterminata, & confuſa. Diſiunctiua, & determinata eſt acceptio termini

mini non pro omni suo significato, sed pro aliquo, ita vt descendendo ad singula per aliquod determinatè debeat verificari propositio v. g. si dixeris *aliqua nauis nauigat*, vt vera sit propositio requiritur, vt descendendo ad singulas naues, deuenias ad aliquam dterminatè de qua verũ sit, *hæc nauigat*. Indeterminata vero, & confusa est acceptio termini pro aliquo particulari in confuso, ita vt de quolibet determinatè assignato falsificari possit propositio, quæ vera est, dum terminus particularis confusè accipitur v. g. cum dices: *Aliqua nauis est necessaria ad nauigandum*. Vera est propositio, quamuis excurrendo per singulas naues de qualibet determinatè accepta falsum sit: hæc nauis est necessaria ad nauigandum: Quæcumq; enim detur, verum est: *non est necessaria*, quandoquidem loco ipsius posset alia adhiberi: cum tamen necessarium sit per aliquam nauim fieri nanigationem.

Ex dictis collige terminum indifferentem ad hanc vel illam suppositionem determinari ad hanc potius, quàm ad illam ab alijs quibus coniungitur. Ità hæc vox *homo* si coniungatur cum hoc prædicato *animal* erit in suppositione personali. Si cum hoc prædicato: *species* dicendo *homo est species* erit in suppositione simplici.

Quæres discrimen inter significationem, & suppositionem:

Resp. discrimen constare ex definitione vtriusque. Significatio est vis inducendi in notitiam rei significatæ. Suppositio vero est positio vnius rei loco alterius. Potest igitur stare suppositio sine significatione rei, pro


ro quà ſupponitur: non poteſt ſtare ſignifi-
tio ſine aliqua ſuppoſitione pro re quam ſi-
nificat. Vtrámqne pártem ſic explico. Dà
nopolam auferre laurum appenſam pro
ribus, & pro lauro lagenam apponere in
nũ vini vendibilis. Ecce loco lauri lagenà
penditur, vt idem ſignificet, quod ſigni-
abatur per laurum, ſcilicet vinum vendi-
le, adeoque ſupponit pro lauro, & tamen
llatenus ſignificat laurum,g. vna res poteſt
pponere pro alia, quam nullo modo ſi-
ificet.

Quod autẽ non poſſit ſtare ſignificatio rei
e omni ſuppoſitione pro re ſignificata,pro-
tur, quia eo ipſo quod ſignificat rem in-
cit in cognitionem rei,adeoque agit quod
eret res, ſi adeſſet. Hoc autem eſt ſup-
nere actiuè. Poteſt tamen non fupponere
ſſiuè, quatenus nullum prædicatum ſuſti-
at, vt contingit vocibus extra propoſitio-
m, quæ actiuè ſupponunt pro rebus quas
nificant, quatenus ipſarum notitiam ex-
tant: non tamen paſſiue, quia cum de ipſis
hil prædicetur, conſequenter nullum ſu-
nent prædicatum, quod eſſet paſſiuè ſup-
nere, vt explicatum eſt ſatis.

CAPVT III.

Aliæ terminorum proprietates.

POST ſuppoſitionem ad alias termino-
rum proprietates progredimur, quæ
ſunt Status, Diſtractio, Ampliatio, Re-
ictio, Diminutio, Alienatio, Appellatio.
autem ſtatus cum accipitur terminus pro
tem-



tempore importato per copulã, vt *Petrus est in foro*. Vt vera sit propositio requiritur vt Petrus de præsenti, quod imporatur por *est*, in foro sit &c. Statui opponitur distractio, in qua propter repugnantiam prædicati cum subiecto, debet accipi terminus pro alia differentia temporis, quam pro importata per copulam, vt cum dico: *Iustus peccat: cœci vident*; debet enim intelligi non de eo, qui est, sed fuit iustus; non de eo qui est, sed fuit cœcus.

Ampliatio extendit terminum communem ad omnem omnino differentiam temporis, siue importatam, siue non importatam per copulam: vt *omnis homo est animal*: nam omne significatum per li *homo* in quacumque differentiá temporis sit, est animal.

Restrictio est cum contrahitur terminus communis à maiori ad minorem extensionem, vt cum dico: *homo sapiens docet* li *homo* restringitur ad eum, qui habet sapientiam, de quo prædicatur, & verificatur quod doceat. Obseruandum est hic quod valet consequentia a restricto ad non restrictum v. g. *est homo sapiens* ergo *est homo*. Non autem e conuerso à non restricto ad restrictum: *Est homo* ergo *est homo sapiens*. Item à negato prædicato de termino restricto ad negandum illud idem, de non restricto, sed non è conuerso. Valet enim *non omnis homo sapiẽs docet* ergo *non omnis homo docet*; non valet: *non omnis homo docet* ergo *non omnis homo sapiens docet*.

Diminutio est, quà terminus rem absolutè significans per aliquod additũ limitatur ad illam eandam importandam solum secun-

im quid vt cum dicis. *Aetiops est al-* *cundum dentes*: differt Diminutio à Re- one, quia hæc requirit terminum com- m; non illa.

ienatio est translatio termini à propria propriam significationem: vt cum dico *pictus*, li *pictus* dum additur huic voci : transfert illam à significatione ani- ad significationem imaginis.

pellatio est applicatio alicuius termini um potius, quam alterum ex ijs, qui- im ponitur, vt cum dicis. *Alexan- st magnus logicus*, li *magnus*, qui di- terminus appellans, applicatur huic al- *ogicus*, qui dicitur appellatus: est enim is Alexandrum esse insignem in logica. ra vero cum dicis. *Alexander magnus gicus*, li *magnus* non commendat ex- ntiam logicæ, sed aliam magnitudinem andri: & li Alexander est terminus ap- tus.

CAPVT V.

ascensu, & descensu terminorum.

Liquando ab vniuersali progredimur ad singularia: aliquãdo à singularibus ad vniuersale. Dicimus enim *omnis o est animal, g. & Petrus, & Paulus, & ibet alius est animal*. Dicimus etiam e ersó: & *Petrus est animal, & Paulus, &c. omnis homo est animal*. Arguere ab ersali ad singularia dicitur descensus à ilaribus ad vniuersale dicitur ascensus. Notandum est autem, quod ad hoc vt va-

leat à singularibus ad vniuersale, debent singularia sufficienter enumerari, vnde non valet, *& Petrus est Fidelis, & Andreas est fidelis, & Bartolomeus est fidelis; g. omnes Apostoli sunt fideles*: Hoc enim consequens falsificatur per Iudam, qui est proditor. Hinc est, quod philosophi post enumerationem aliquorum addere solent, *& sic de reliquis* v. g. *hęc nix frigefacit, & hęc alia, & sic reliquis, g. omnis nix frigefacit*

Porro iuxta quadruplicem propositionem, quadruplex est ascensus ab inferioribus ad superiora: quadruplex descensus a superiori ad inferiora. Primus descensus fit copulatiuus, qui fit à termino communi supponente distributiuè ad singula inferiora per particulam copulatiuam, & v. g. *omnis homo est animal* g. *& Petrus, est animal, & paulus est animal*, & sic de singulis: prædicando terminum illlum communem à quo descenditur.

Secundus est copulatus, qui fit à termino communi supponente collectiue v. g. *omnes Apostoli sunt duodecim; g. Petrus, Andreas Ioannes &c. sunt duodecim*, vbi vides hoc prædicatum *duodecim* non affirmari de singulis, de sed omnibus simul.

Tertius est disiunctus, qui fit à termino supponente indeterminatè, & confusè v. g. *aliqua nauis est necessaria ad nauigandum, g. vel hæc vel illa est necessaria ad nauigandum*; enumerando singulas naues ita tamen vt de nulla determinatè accepta verum sit *hęc est necessaria*, quamuis verum sit ex omnibus nauibus aliquam esse necessariam ad nauigandum.

Quartus est disiunctiuus, qui fit à termino supponente disiunctiuè, & determinatè v. g. *aliquis discipulus studet*, rectè inferes, ergo *vel hic studet*, *vel ille*: *vel ille*: ita vt de aliquo determinatè sumpto verum sit: *hic studet*, aliter propositio esset falsa.

Quam multipliciter fit descensus, tam multipliciter fit ascensus regrediendo per eamdem scalam à singularibus ad uniuersale, qua descensũ est ab vniuersali ad singularia. Quamuis autem exempla allata sint dumtaxat in affirmatiuis, æque tamen fieri possunt in negatiuis. v. g. *nullus homo est lapis*, ergo *nec Petrus est lapis*, *nec Paulus est lapis*, *&c. & sic de singulis*.

CAPVT V.

De definitione.

DEfinitio ab Aristotile 1. Topicorum, cap. 4. definitur: *Oratio explicans ipsum quod quid erat esse rei*, siue: *oratio explicans naturã rei*. Quia autẽ multipliciter explicari potest natura rei, ideo multipliciter fieri potest definitio. 1. explicando vim nominis per etimologiã. Ita lætitia definitur à Gandauensi: laritia, seu, latitudo cordis.

2. Explicando naturam ipsam, siue essentiam, per prædicata intrinseca rei, quæ definitur: Et hæc dicitur essentialis, est que illa, de qua præcipuè agimus in præsentia. Est autem essentia rei collectio illorum prædicatorum, quibus præcisè positis, & si nihil aliud ponas, dabitur res.

Hæc vero duplex, est alia physica, expli-

cando videlicet rem per partes physicas, quibus constat. v. g. *homo est compositum substantiale ex corpore & anima rationali*: Et hæc dicitur physica. Alia explicando rem per genus & differentiam, quæ sunt partes, seu, gradus metaphysici, v. g. *Homo est animale rationale*: & hæc dicitur metaphysica.

Debet autem constare definitio ex aliquo, quod sit cōmune rei definitæ cum alijs rebus, & vocatur *genus*: & ex aliquo, per quod res definita discrepet ab alijs rebus, & vocatur *differentia*, vt patet in definitione hominis: *Homo est animal rationale*; Nam per hoc quod homo sit animal conuenit cum equo & cane; per hoc autem quod sit rationale discrepat ab equo & cane.

Porro genus ponitur primo loco, 2. differentia; quia genus habet quamdam rationem materiæ, differentia vero formæ. Vnde genus materia metaphysica: differentia auautem forma metaphysica nuncupatur. Materia autem, vt patet in artificialibus præsupponitur formæ, vt determinabile determinanti. Atque hoc intelligi debet ex suppositione, quod prædicata, per quæ res definitur diuisiuè sumpta sint alterum genus, & alterum differentia. Si enim vtrumlibet seorsim sumptum esset genus; ita vt differentia haberetur per complexionem vtriusque, manifestum est, quod tunc non poneretur primo loco genus, 2. differentia.

3. Definitio aliquando fit per causas rei, quæ definitur; vt cum dicitur; *Febris est accensio sanguinis circa cor.* Vbi pro febri ponitur causa febris. Aliquando etiam fit per enumerationem partium, proprietatum,

acciden-

dentium rei definitæ: vt *homo est animal plume; bipes, rectum, mobile, musicæ capax, &c.* hæc dicitur potius descriptio, pertinetq; ad Rhetores, magis quàm ad Philosophos:

Denique bonæ definitionis suæ sunt leges ima est, vt sit clarior definito: Ita non est bona hæc: *homo est arbor inuersa.* 2. est, vt definitum, & definitio conuertãtur; id est vt possint de se inuicem dici v. g. *homo est animal rationale: & animal rationale est homo.* Vnde habes, quod de quacumque re negaueris definitionem, negare poteris & definitum, & è conuerso. Puta de quocumque negaueris, quod sit animal rationale, negabis, quod sit homo, & è conuerso. Idem dic de affirmatione. 3. est vt nihil habeat superfluum, & redundans, sed sit breuis quantum fieri potest, & dilucida.

CAPVT VLTIMVM.

De Diuisione.

Diuisio vt sumitur apud Dialecticos: *est oratio totum in suas partes distribuens.* Totum quod diuiditur, dicitur diuisum; partes vero in quas distribuitur, dicuntur membra diuidentia. Totum autem aliud est physicum, constans scilicet partibus physicis, aliud metaphysicum constans partibus metaphysicis.

Rursus partes physicæ aliæ sunt essentiales, aliæ integrantes. Diuisio totius physici in partes esentiales dicitur diuisio physica

sica essentialis v. g. in homine aliud est corpus, aliud anima. Distributio totius physici in partes integrantes, dicitur diuisio integralis v. g. *in homine aliud est manus, aliud caput, aliud pes, &c.* Diuisio verò totius in suas partes metaphysicas est diuisio metaphysica essentialis v. g. *in homine aliud est animal, aliud rationale.*

Præterea Totum aliud est actuale, aliud potentiale, seu potestatiuum. Potentiale, seu potestatiuũ dicitur quodlibet vniuersale, quod in sua inferiora distribuitur, v. g. *animal, aliud est homo, aliud brutum,* diciturque diuisio generis in species; ad quam diuisionem reducitur etiam diuisio speciei in indiuidua, v. g. *homo alius est Petrus, alius Paulus, &c.* Dicuntur autem huiusmodi tota, *potentialia* seu *potestatiua*, vel quia nunquam habent actu omnes partes, in quas distribuuntur; vel quia semper sub se continent infinita, de quibus prædicari possunt. Vtraque ratio explicatur in hoc toto *animal*: nam nec actu existunt ea omnia, in quæ distribui oportet li *animal*, cum sint innumera animalia purè possibilia: & sunt infinita inferiora, de quibus dici potest *animal*. Totum actuale, est quod habet actu partes, ex quibus constat, vt homo; corpus, & animam. Totum potentiale includitur in qualibet ex suis partibus, secus totum actuale. Dices enim: *homo est animal. Equus est animal,* non vero: *anima est homo, corpus est homo, &c.*

Aliquando diuiditur subiectum in accidentia vel potius per accidentia; v. g. homo *alius albus, alius niger*. Aliquando

acci-

ccidens per subiecta vt *dulce aliud mel, aliud lac.*

Leges bonæ diuisionis sunt. 1. Vt omnia membra diuidentia contineantur in diuiso, ipsumque præcise adæquent, vnde non esset bona diuisio. *Animal aliud homo, aliud brutum, aliud lapis*, nam lapis non comprehenditur sub hoc diuiso *animal*, & sic membra diuidentia excedunt diuisum. Item mala esset hæc: *animal aliud terrestre, aliud aquatile*, quia membra diuidentia non adæquant diuisum, sub quo etiam aëreum comprehenditur.

2. Est vt inter membra diuidentia vnum, alterum non includat. Ita mala esset hæc diuisio: *animal aliud bipes, aliud irrationale*, quia irrationale etiam in bipede reperitur 3. Est vt ad pauca, quantum fieri potest membra, diuisio reducatur.

Quæres an definitio & diuisio pertineant ad primam operationem Intellectus?

Resp. definitionem acceptam pro tota oratione in qua prædicatur definitio de definito, procul dubio pertinere ad 2. Est enim propositio, in qua vnum de altero affirmatur, v. g. *homo est animal rationale*. Quod si accipiatur pro sola definitione, quæ ponitur pro prædicato: pertinet ad primam, & est pura complexio terminorum: puta: *animal rationale*. Idem dic de diuisione. Atque hæc quoad primam operationem sufficiant.

DISPVTATIO II.

De ſpectantibus ad 2. operationem intellectus

CAPVT I.

De Nomine, Verbo, &c.

ARiſtoteles 1. Periermenias cap. 2. nomen ſic definit. *Nomen eſt vox ſignificatiua ad placitum ſine tempore, cuius nulla pars ſignificatiua eſt ſeparata*. Atque ex ijs, quæ eodem capite, Philoſophus complectitur, addendum eſt: *Finita & recta faciens cum verbo orationem veram, vel falſam*. Dicitur *vox ſignificatiua ad placitum*: ad differentiam aliarum vocum, quales ſunt gemitus, & ſuſpiria, quæ ſignificant; non tamen ad placitum, & ex hominũ inſtitutione, ſed naturaliter; vnde etiã inter bruta, quæ ſecundũ naturã dumtaxat operantur, aliquid ſignificant.

Dicitur: *ſine tempore*: nomen enim non coniugatur per tempora, nec importat in ſua ſignificatione exercitium aliquod factum pro aliqua differentia temporis. Hinc habes, quod iſtæ voces: *hora, dies, menſis, annus, ſæculum*, & aliæ huiuſmodi non ſignificant cum tempore, quamuis ſignificent aliquam menſuram temporis.

Dicitur: *cuius nulla pars ſignificatiua eſt ſeparata* ad differentiam orationis, cuius partes extra ſignificant. Hoc autem ita de-

bet

bet intelligi, ficut explicatum eſt, vbi de termino incomplexo.

Obſerua hic obiter quod apud Philoſophum ſyllaba auulſa à reliquis, quibuſcum vnam aliquam integram vocem conflat, etiamſi videatur aliquid ſignificare, quia tamen huiuſmodi ſignificatio impertinenter ſe habet ad vocem, quam componit cum alijs; ideo dicitur ſimpliciter nihil ſignificare. Duo exẽpla adducit Philos. primũ eſt in hac voce *equiferus*, in qua *ferus*, inquit ille, nihil ſignificat, ſignificaret autem in oratione, in qua diceres: *equus ferus*. 2. Eſt in hac alia voce: *ſorex*, in qua *li rex* nihil ſignificat, ſed eſt mera ſyllaba conſtituens hanc vocem *ſorex*.

Dicitur: *finita* ad excludenda nomina infinita, v. g. *non homo*, quod propriè loquendo, non eſt nomen, ſed vt ait ibidem Philoſophus: nomen infinitum. Additur: *recta* ad excludendum caſus obliquos, qui non ſunt nomina in rigore, ſed caſus nominum.

Denique dicitur: *faciens cum verbo veram, vel falſam orationem*. Per quas particulas affert Philoſophus rationem, cur caſus obliqui non ſint nomina, dicens: *Philonis* non eſt nomen, quia ſi dicatur *Philonis eſt*, vel *non eſt*: *nondum verum dicitur, neque falſum*. Ab aduerbiis autem ſufficienter nomen ſecernitur per hoc, quod dicatur vox recta; quia aduerbia, non declinantur per rectum & obliquum.

Ob: *Prandium, Cœna, ientaculum* ſunt nomina, & tamen ſignificant cũ tẽpore, ergo falſo dicitur quod nomen ſit vox ſignificatiua ſine tempore. Probant. Quia Cœna ſig-

nificat comestionem in tempore nocturno, &c.

Resp. neg. ant. Nam aliud est connotare, seu consignicare tempus, quod vltro concedimus prædictis vocibus, aliud significare cum tempore determinando aliquam ex tribus differentijs temporis, vt contingit in verbo: puta: *dico, dixi, dicam*: hoc modo consignificare tempus non conuenit nomini.

Instabis: hoc nomen *Cœna* significat comestionem exercitam tempore nocturno. *Prandium*: exercitam tempore meridiano, ergo prædictæ voces significant actionem aliquam exercitã in aliqua differentia tẽporis.

Resp. concesso ant. distinguendo consequens. Significant actionem exercitam in aliqua differentia temporis faciente ad rem, nego consequentiam: non faciente ad rem omitto consequentiam. Differentiæ temporis, quas oportet consignificari per verbum sunt *præsens, præteritum*, & *futurum*, non vero nocturnum, & meridianum.

Replicabis ergo saltẽ hæ voces. *Præteritũ, futurum*; non sunt nomina, nam significant ipsas met differentias temporis.

Resp. neg. cons. Nam aliud est significare ipsas differentias temporis, aliud significare aliquam actionem exercitam, consignificando in qua differentia temporis.

Dices Participia futuri temporis v. g. *lecturus, amaturus, &c.* significant actionem aliquam exercendam in illa differentia temporis, quam exprimunt, scilicet in tempore futuro, ergo non ab omnibus nominibus excluditur significare cum tempore etiam modo explicato.

Resp.

Resp. concesso ant. neg. conseq. nam participia futuri temporis propriè loquendo non sunt nomina, sed modi verborum cum relatiuo *qui, quæ, quod*, subintellecto coniuncti. Idem enim est apud grammaticos *homo amaturus*, ac *homo, qui amabit, &c.* Hac autem vel simili ratione resolui prædicta participia constat ex usu loquendi.

ARTICVLVS II.

De Verbo.

VErbum ab Aristotele definitur: *Id quod consignificat tempus, cuius pars nihil significat seorsim, & est semper eorum, quæ de altero prædicantur, nota.* Differt à nomine per hoc quod significat cum tempore, & sit eorum, quæ de altero prædicantur nota. Dicitur significare cum tempore, quia verbum per tempora coniugatur, vt *amo, amaui, amabo.* Dicitur eorum, quæ de altero dicuntur nota: vel quia per ipsum met verbum aliquid de altero dicitur: v. g. *Petrus legit*; vel quia ipsum est copula, & nexus prædicati cum subiecto vt cum dico *Petrus est homo.*

Notandum, est autem etiam verbo conuenire, vt ait Philosophus, quod sit: *vox finita, & recta*: nam: *non valet*: *non laborat*: *non est verbum, sed verbum infinitum*; sicut dictum est supra *non homo* non esse nomen, sed nomen infinitum. Item: *valebit, valebat, laborauit* non sunt verba, sed casus verborum vt ait idem Philosophus. Atque hic vt vides indicat Philosophus ra-

tionem proprijssimam verbi non conuenire nisi indicatiuo, & in tempore præsenti, vel ex eo quod omnes affirmationes quæ fiunt, aliquo modo reduci debeant ad præsens, vt habeant veritatem v. g. si dixeris *Petrus leget*: vt sit vera hæc propositio debet in aliqua temporis differentia esse verum: *Petrus legit*; vel quia alia tempora, & alij modi verborum à præsenti dependent, vt existimant Conimbricenses, & bene.

Denique modi infiniti verborum vt *legere, docere, &c.* ex placito, & vsu grammaticorum habentur pro nominibus substantiuis, adeoque circa ipsa, fiunt prædicationes, v. g. *scire tuum nihil est*: vel *scire tuum est mirabile*.

ARTICVLVS III.

De Oratione.

ORatio ab eodem Aristotele cap. 4. sic definitur. *Vox significatiua, cuius partium aliqua, significatiua est separata vt dictio, non autem vt affirmatio, vel negatio.* Aristotelica hæc orationis definitio si præcisè accipiatur vt sonat, videtur nec omni definito conuenire, nec soli; adeoque peccare ex duplici capite. Non omni, quia datur aliqua oratio, cuius partes significant non solum vt dictio, sed vt affirmatio, vel negatio. Exemplum afferri potest in hac. *Si Sol lucet, dies est.* In qua istæ duæ partes *Sol lucet*, & *dies est*, sunt duæ affirmationes. Idem vberius patet in omnibus orationibus

Cicero-

Ciceronis, & aliorum; in quibus innumerabiles affirmationes, & negationes reperias.

Videtur præterea, quod prædicta definitio non conueniat soli orationi, quia conuenit etiam termino complexo, qualis est v. g. *homo iustus*, cuius partes seorsim significant vt dictio, non autem, vt affirmatio, vel negatio.

Dicendum est definitionem prædictam esse bonam, sed bene intelligendam. Sensus autem ipsius est, ad rationem orationis requiri quidem vt partium aliqua significet separata, vt dictio; non autem requiri vt significet per modum affirmationis, vel negationis. Et sic li: *non vt affirmatio, &c.* non est exclusiuum affirmationis ab omni parte cuiuscumque orationis, sed exclusiuum necessitatis affirmandi aut negandi; etiam si enim nulla pars affirmet, aut neget est proprijssima oratio, vt constat in hac. *Petrus est homo.* Imo etiam si tota oratio nihil affirmet, aut neget, retinet rationem propriam orationis vt constat in hac. *O vtinam Discipuli studerent.* Vnde habes quod etiam oratio continetur intra primã operationẽ intellectus.

Rursus per hoc ipsum, quod non excludat affirmationem vel negationem, sed solum necessitatem affirmandi, vel negandi, modo explicato; differt oratio à termino complexo; qui non solum excludit necessitatem affirmandi, vel negandi, sed etiam ipsammet affirmationem, & negationem; nam eo ipso, quod aliquid vel affirmes, vel neges, est propositio non autem terminus complexus. Vnde rectè dices orationem à termino com-

CAPVT III.

De Enunciatione.

ARTICVLVS I.

Aliquæ ſpecies Enunciationis.

PHiloſophus 1. prior cap. 1. sic habet: Propositio igitur eſt oratio affirmatiua, vel negatiua alicuius de aliquo, v.g. *Petrus eſt homo, homo non eſt lapis.*

Diuiditur autẽ propositio in ſimplicem, & compositam, ſimplex, ſeu categorica eſt, in qua determinatè, abſolutè, & independenter à quacumque alia prędicatione vnum de altero prædicatur, v. g. *homo eſt animal.* Composita eſt quæ ex pluribus ſimplicibus conſtat, vel perfectis, vel imperfectis. Perfecta dicitur, quæ perfectum generat ſenſum, vt: *Petrus currit.* Imperfecta, quæ imperfectum: vt, *ſi Petrus curreret.* Ita hæc propositio: *Petrus currit, & Paulus ſedet,* eſt propositio composita, ſicut & hæc alia: *Si Petrus curreret, Paulus ſederet.* Prima eſt copulatiua, & ad ſui veritatem requirit, vt vtraque pars ipſam componens contineat veritatem. De ſecunda alibi.

Propositio disiunctiua eſt illa, in qua plures propositiones ſimplices coniunguntur per particulam *vel*, vt cum dico: *Petrus vel mouetur, vel quieſcit.* Disiunctiua autem alia eſt propria, alia impropria. Propria affirmat vnam partem eſſe veram, alte-

ram

ram vero esse falsam. Huiusmodi, est principium illud metaphysicum: *quodlibet est, vel non est*. Impropria affirmat vnam partem esse veram, de altera non curat, vt: *vel Petrus currit, vel Paulus sedet*, in disiunctiua propria nequit vtraque pars esse simul vera, vel simul falsa. In impropria potest.

Conditionalis, siue hypothetica, est illa in qua plures propositiones coniunguntur per particulam, *si*: v. g. *si Petrus est ingeniosus est aptus logicæ*, in qua, vt vides, non affirmo absolutè Petrum esse aptum Logicæ, sed solum conditionatè, videlicet si sit ingeniosus. De conditionali dicetur iterum, vbi de materia propositionum.

Causalis est illa, in qua coniunguntur plures propositiones exprimendo vnum esse causam alterius per particulam *quia*: v. g. *Petrus, quia est studiosus, est idoneus virtuti*: ad veritatem huius requiritur non solum quod vtraque pars sit vera, sed vt per vnam importetur vera causa alterius. Ita esset falsa hæc propositio: *homo quia est albus est aptus philosophiæ*, quamuis re ipsa contingat hominem & esse album, & esse aptum Philosophiæ.

ARTICVLVS II.

De propositione modali.

Propositionem modalem vt probè intelligas scire oportet propositiones illas vocari de *in esse*, in quibus affirmatur vel negatur prædicatum aliquod de subiecto non explicando modum, quo tale prædicatum

vel

vel conuenit, vel disconuenit tali subiecto v. g. *homo est animal*. Modalis autem propositio est illa, in qua non solum affirmatur vel negatur prædic. de subiecto sed insuper exprimitur modus, quo tale prædicatum vel conuenit, vel disconuenit subiecto.

Quatuor autem sunt modi propositionũ. *Necessariũ, impossibile, possibile, contingens*. Iuxta quatuor istos modos accipe hic quatuor propositiones. *Hominem esse animal, est necesse. Hominem esse lapidem est impossibile. Hominem currere est possibile. Hominem esse album est contingens*. In quibus vides non solum affirmari, vel negari prædicatum de subiecto, sed etiam exprimi modum, quo subiecto conuenit, vel disconuenit prædicatum. Nam in prima non solum affirmo hominem esse animal, sed etiam explico modum, quo conuenit illi esse animal dicendo *est necesse*: idem patet in cæteris.

Necessarium significat ita prædicatum conuenire subiecto vt non possit non conuenire. *Impossibile*: prædicatum ita disconuenire subiecto vt nequeat illi conuenire. *Possibile* significat potentiam ad hoc vt prædicatum subiecto conueniat. *Contingens* significat ita prædicatum conuenire subiecto vt eidem possit non conuenire. Propositionis pars, quæ modificatur vocatur *dictum*, v. g. in hac propositione *hominem esse lapidem, est impossibile. Li hominem esse lapidem* vocatur *dictum*. *Li impossibile* dicitur modus, & sic de cœteris.

Aduertendum est autem modos prædictos afferri vel explicitè, vel implicitè. Explicitè afferuntur in propositionibus supra fa-

ctis.

ctis. Implicitè in sequentibus. *Homo necessario est animal. Petrus contingenter est albus*; Quæ æquiualent istis. *Hominem esse animal est necesse. Petrum esse album est contingens*. Ad veritatem harum propositionum non sufficit, quòd prædicatum conueniat subiecto, sed requiritur quod eo modo conueniat quo in propositione affirmatur eidem conuenire: Ita falsa est hæc propositio: *homo contingenter est animal*.

Præter propositiones modales dātur propositiones exponibiles, quæ ita appellantur à summulistis, eo quod ob sui obscuritatem indigeant per alias explicari, siue exponi, quæ aliæ dicuntur exponentes. Propositionum autem exponibilium tres sunt species: Aliæ enim sunt Exclusiuæ, aliæ Exceptiuæ, aliæ Reduplicatiuæ. Exclusiuæ sunt, quæ constant aliquo signo excludente, cuiusmodi est, *Tantum, solum, dumtaxat*, &c. v. g. *Petrus est tantum logicus*. Exceptiuæ dicuntur, in quibus excipitur à termino communi aliquis, qui in illo necessario includebatur v. g. *Omnes Apostoli præter Iudam sunt Sancti*. Hinc habes insufficienter definiri à nonnullis propositionem exceptiuam esse illam, in qua ponitur particula exceptiua, *nisi, præter, &c.* nam hæc propositio: *aliquis præter magistrum loquitur* non est exceptiua, & tamen habet particulam *præter*.

Reduplicatiuæ sunt, in quibus ponuntur istæ particulæ *prout, in quantum, quatenus*, & aliæ similes, v.g. *Petrus in quantum musicus cantat. Paulus quatenus Architectus ædificat*.

ARTI-

ARTICVLVS IIII.

Declarantur magisque pertinent ad propositiones exponibiles.

PRopositiones exponibiles ob sui obscuritatem, vt dictum est, exponi debent per alias clariores, quæ exponentes dicuntur, quia nimirum per ipsas clarè redditur, & exponitur sensus qui in exponibilibus per signa exclusiua, exceptiua, & reduplicatiua obscurius importatur. Res patebit in exemplis. 1. Sit pro exclusiuis. *Petrus est tantum logicus, & tantum Petrus est logicus.* In 1. signum exclusiuum afficit prædicatum, in 2. subiectum. 1. exponitur per hanc: *Petrus est logicus, & nullam aliam scientiam habet.* 2. per hanc: *Petrus est logicus, & nullus alius est logicus.* In 1. excluditur à Petro omnis scientia distincta à logica: in 2. excluditur omnis distinctus à Petro, à logica. Vtraq; est exclusiua de dicto singulari.

Sunt præterea exclusiuæ de dicto communi, qualis est v. g. hæc. *Tantum omnis homo est musicus,* & in his excluditur prædicatum ab omni eo, quod non includitur in subiecto communi. Rem explico. Vt exponas propositionem supradictam: *tantum omnis homo est musicus,* non debes dicere: *omnis homo est musicus, & omne id quod non est omnis homo, non est musicum.* Sicut exponebas exclusiuam de dicto singulari: *Petrus est logicus, & omne id quod non est Petrus, non est logicum.* Si enim ita exponeres nullus omnino homo esset musicus, quia nullus homo est omnis homo: debes

autem

autem exponere sic: *Omnis homo est musicus, & omne quod non est homo non est musicum.* Pro exceptiuis sufficiat exemplum superius datum.

Pro Reduplicatiuis. Sciendum est quod particula reduplicatiua *in quantum, quatenus, &c.* multipliciter accipi potest. 1. denotare potest, extremum reduplicatum esse rationem formalem, cur prædicatum conueniat subiecto. Ita accipitur in hac propositione, *Musicus in quantum musicus cantat.* 2. Denotat, extremum reduplicatum esse radicem, vnde pullulat prædicatum, v. g. *Musicus in quantum musicus delectat.* 3. reduplicat conditionem v. g. *Ignis quatenus approximatus calefacit.* 4. denotat in subiecto illam partem, quæ formaliter recipit prædicatum. v. g. *homo pro vt corporeus est coloratus.* Aliæ præterea reduplicationes fiunt, quæ alibi opportunius inferentur.

Porro in reduplicatiuis, & exclusiuis prædicatum debet absolutè verificari de subiecto: hoc est remôto signo tam reduplicatiuo quàm exclusiuo: propositio absoluta, quæ dicitur præiacens, debet esse vera, v. g. adhoc vt sit vera hæc propositio: *Musicus in quantum musicus cantat,* debet esse vera hæc absoluta *musicus cantat.* Ad hoc vt sit vera: *Tantum Petrus est logicus,* debet esse vera hæc: *Petrus est logicus.*

In exceptiuis non ita contingit. Nam vt vera sit hæc propositio. *Omnes Discipuli præter Petrum student,* non debet esse vera hæc: *Omnes Discipuli student.* Aliter ad veritatem exceptiuæ requireretur veritas duarum contradictoriarum, nam vt verum

sit;

sit; *Omnes Discipuli student præter Petrum* debet esse verum, *Petrus non studet*, & consequenter. *Aliquis Discipulus non studet*: Si igitur verum est: *Omnes Discipuli student*: erunt veræ simul istæ duę. *Omnes Discipuli student*, & *Aliquis Discipulus non studet*, quæ sunt contradictoriæ.

Debet igitur in exponēdis exceptiuis primo loco poni pars in termino cōmuni inclusá, quæ ab ipso excipitur & hæc erit præiacēs v. g. *Omnes Discipuli præter Petrum student*, sic exponatur. *Petrus non studet*, & *omnes alij Discipuli student*. Idem proportionaliter dic si propositio esset negatiua. v. g. *Nullus Discipulus præter Petrum studet*: exponatur: *Petrus studet*, & *nullus alius Discipulus studet*.

Contra id quod diximus de redupilcatiuis. Obijcitur: hæc propositio: *Aethiops est albus*: est falsa: & tamen hæc alia, *Aethiops quatenus dentatus est albus*, est vera: Ergo ad veritatem propositionis reduplicatiuæ non requiritur veritas præiacentis.

Resp. nego antecedens & dico hanc propositionem *Aetiops quatenus dentatus est albus* esse falsam: sensus enim est Aetiopem esse album, & esse album quia habet dentes. Habere autem dentes huius vel illius coloris non facit quod totus Aethiops possit simpliciter & absolute denominari huius vel illius coloris.

Dices Aethiops est albus secundum dentes: g. Aethiops quatenus dentatus est albus.

Resp. conc. ant. ant. neg. conseq. Hæc propositio Aethiops *quatenus dentatus est albus* affirmat esse album, & propterea est

falsa:

falsa: Illa alia, *est albus secundum dentes* non affirmat esse album, sed album secundum quid, & propterea est vera. Ab albo secundum quid non arguitur ad album simpliciter, & sine addito.

Instabis. Ad veritatem reduplicatiuæ sufficit quod signum reduplicans denotet partem subiecti, quæ formaliter recipit prædicatũ, sed in hac propositione. *Aethiops quatenus dentatus est albus*, signum reduplicans denotat partem subiecti, quæ formaliter recipit prædicatum, g. hæc propositio reduplicatiua est vera. Maior patet ex dictis, quia hæc propositio; *homo prout corporeus est coloratus*: est vera, & tamen in hac signum reduplicans denotat solum in subiecto partem, quæ formaliter recipit prædicatum colorati. Minor autem probatur, quia li *dentatus* denotat dentes, qui sunt pars in qua recipitur prædicatum albi in Aethiope.

Resp. Disting. mai. sufficit quod signum reduplicans denotet partem subiecti absolutè & simpliciter denominati conc. mai. non denominati absolutè & simpliciter neg. mai. & eodem modo distincta min. nego conseq. ad prob. mai. dic totum hominem denominari simpliciter, & absolutè coloratum: Aethiopem autem non denominari simpliciter & absolutè album. Propterea vera est hæc propositio *homo prout corporeus est coloratus*; falsa hæc alia *Aethiops pro vt dentatus est albus*.

Illud igitur tenendum est pro reduplicatiuis, quod scilicet propositio reduplicatiua præsupponit prædicatum conuenire subiecto superaddens aliquam rationem, ob quam

subiecto

subiecto conueniat & hæc est ratio à priori, cur vera esse nequeat reduplicatiua, nisi præiacens sit vera. Repugnat. enim veram esse propositionem per quam affertur ratio, propter quam res ita sit, quæ re ipsa non ita est: Vnde in huiusmodi propositionibus reduplicatiuis quando præiacentes sunt falsæ, responderi potest: nego suppositum, v.g. si quis diceret: *homo quatenus alatus est volatilis.* Bene responderes: nego suppositum: quia huiusmodi reduplicatiua supponit hominem esse volatilem & affert rationem per quam est volatilis: stultè autem affertur ratio per quam aliquid sit id quod reipsa non est.

CAPVT IV.

De materia, & forma propositionis.

MAteriam & formam propositionis per analogiam ad artefacta sic explicarunt nonnulli, vt pro materia ipsos terminos assignarent, quibus propositio constat, pro forma vero ipsam terminorum dispositionem. Sic materia ædificij dicuntur lapides, ex quibus consurgit: forma vero dispositio lapidum. Sic tamen explicata propositionis materia non facit ad rem præsentem, in qua triplicem materiam assignant summulistæ; necessariam, impossibilem, & contingentem. Necessaria dicitur quando prædicatum necessario conuenit subiecto, vt in hac: *homo est animal*. Impossibilis quando prædicatum nequit conuenire subiecto, vt: *homo est lapis*. Contingens, quando prædicatum potest adesse, vel abesse à subiecto sine

ipsius

ipsius destructione, vt: *Petrus est albus*.

Ex hac diuisione, & explicatione materię colligimus, materiam propositionis esse habitudinem realem prædicati obiectiui, cum subiecto obiectiuo: Ita vt quando res per prædicatum repræsentata necessario conuenit rei representatę per subiectum: propositio dicatur esse in materia necessaria. Quando ratio per prædicatum expressa conuenire nequit rei expressæ per subiectum, dicatur esse in materia impossibili. Quando conuenire, vel non conuenire dicatur esse in materia contingenti. Habes explicationem in exemplis allatis.

Vt igitur cognoscas, in quanam materia sit propositio attende quomodo realiter, & obiectiuè se habeant, prædicatum & subiectum propositionis v. g. vis scire in quanam materia sit hæc propositio *Petrus est homo*: attende quomodo realiter se habeat hoc prædicatum *homo* cum hoc subiecto *Petrus*. Si necessario prædicatum conuenit subiecto, dic propositionem esse in materia necessaria: Si nequeat conuenire: dic esse in materia imimpossibili, &c.

Ex his habes, hanc propositionem: *Petrus non est equus* tam esse in materia impossibili, quàm hanc aliam: *Petrus est equus*. Item hanc *homo non est animal* tam esse in materia necessaria, quàm hanc aliam, *homo est animal*: nam vtrobique Petrus comparatur cum equo, qui nequit ipsi conuenire: vtrobique homo comparatur cum animali quod necessario conuenit illi. Vnde inferes aliud esse propositionem impossibilem, aliud in materia impossibili, aliud necessariam, aliud

in ma-

in materia necessaria, quod tamen multi promiscuè confundunt. Nam aliqua propositio in materia necessaria est impossibilis: vt hæc: *homo non est animal*, & aliqua in materia impossibili est necessaria, vt hæc: *Petrus non est equus*. Materia propositionis sic accepta habet pro forma ipsammet propositionem formalem, siue intentionalem coniunctionem subiecti cum prædicato.

Quæres quomodo intelligendum sit illud summulistarum proloquium: *Omnis conditionalis est in materia necessaria, vel impossibili, seu in materia naturali, vel remota, nulla autem in materia contingenti*. Videtur enim esse falsum. Nam hæc propositio: *Si petam à diuite pecuniam, dabit*: est propositio conditionalis, & tamen est in materia cõtingenti; nec enim est necessaria connexio inter meam petitionem, & dationem pecuniæ faciendam à diuite.

Resp. proloquiũ illud intelligendũ esse de conditionali in sensu rigorosissimo; quæ nimirum importat connexionem metaphysicã antecedentis, cum consequenti qualis est hæc *si est rationalis, est risibilis*; in qua nimirum nihil affirmatur, nisi quod nequeat esse antecedens sine consequenti. Vnde etiam dicitur quod *conditionalis nihil ponit in esse*; quia non affirmat, neque quod existat consequens, neque quod existat antecedens; sed solum quod si existit antecedens, existit & consequens: v. g. *Si equus est rationalis, est risibilis*.

CAPVT V.

De quantitate propositionis.

QVantitas propositionis est extensio vel coarctatio, per quam propositio ad plura vel pauciora pertinet. Est autem quadruplex 1. est vniuersalis, quando subiectum commune afficitur syncategoremate vniuersali, vt: *Omnis homo est animal*: 2. Est particularis, quando subiectum commune afficitur syncategoremate particulari, v. g. *Aliquis homo est albus*. 3. Indefinita quando subiectum commune nullo syncategoremate afficitur, vt: *homo est animal*. 4. singularis, quando vel subiectum est terminus singularis, vt *Petrus est homo*, vel terminus communis affectus syngategoremate singulari, vt: *hic homo est albus*. Atque hic obiter obserua ad quantitatẽ propositionis non attẽdi quantitatem prædicati, sed subiecti: vnde hæc propositio *Omnis persona diuina est Deus*, est vniuersalis, etiamsi prædicatum *Deus* dicatur esse terminus singularis.

Propositiones indefinitæ in materia necessaria prædicationis directæ æquiualent vniuersalibus v. g. hæc: *homo est animal*, æquiualet huic: *Omnis homo est animal*. In materia contingenti æquiualent particulari: v. g. *homo currit*: æquiualet huic: *aliquis homo currit*. Dicuntur autem prædicationis directæ, in quibus ratio superior prædicatur de inferiori, vt in hac: *homo est animal*: Dicuntur autem prædicationis indirectæ in quibus ratio inferior prædicatur de superiori, v. g. *animal est homo*;

Quæres

Quæres in qua materia sint huiusmodi propositiones prædicationis indirectæ.

Resp. esse in materia necessaria, seu naturali, & æquivalere particularibus. v. g. hæc propositio: *animal est homo*: æquivalet huic; *aliquod animal est homo*; & est in materia necessaria, quia necessarium est quod ex omnibus animalibus possibilibus aliquod sit homo. Hinc habes posse simul veras esse istas duas propositiones: *animal est homo*; *animal non est homo*, adeòque non esse contradictorias, sed vt suo loco explicabitur, subcontrarias; æquivalent enim istis: *aliquod animal est homo*: & : *aliquod animal non est homo*.

Quæres secundo quid intelligatur per rationem superiorem, quid per inferiorem? Respondent aliqui rationem superiorem esse illam, quæ ad plura; inferiorem, quæ ad pauciora extenditur. Ita animal, inquiunt, est superius homine, quia animal ad plura, homo ad pauciora extenditur: sed male, nam etiamsi essent plures homines possibiles, quam equi, adhuc homo non esset ratio superior, seu predicatum superius equo, & tamen ad plura extenderetur, quam equus.

Dicendum est igitur rationem superiorem respectu alterius esse illam, quæ de omnibus dicitur de quibus alia, & præterea de alijs. v.g. animal est superius homine, quia de omnibus dicitur, de quibus homo, & præterea dicitur de alijs, puta de leone, equo cane &c.

CAPVT VI.

De Qualitatē propositionis.

QValitas propositionis iuxta nonnullos est eiusdem veritas, vel falsitas: iuxta alios est affirmatio vel negatio. Quærenti, aiunt illi qualis, sit propositio, respondemus, est vera vel est falsa. Isti autem, respondemus, aiunt, est affirmatiua, vel est negatiua. In hac secunda sententiã videntur esse veteres Summulistæ, qui tradentes regulas conuersionis, per qualitatem intelligunt affirmationem vel negationem.

Controuersia videtur in eo sitá, quod veritatem, & falsitatem nolint esse intrinsecam propositionibus, secus affirmationem & negationem. Nos hanc litem, deo dante, agitabimus in libris perier. Interim pro secunda sententia stamus: & pro qualitate propositionis intelligimus rationem affirmatiuæ, vel negatiuæ.

Propositio fit affirmatiua per copulam *est* vnientem extrema, vt: *homo est animal*: fit negatiua per *non est* eadem separantem, vt: *homo non est lapis*. Aduertendum est autem, quod ad faciendam propositionem negatiuam particula *non*, quæ dicitur malignantis naturæ, debet cadere supra verbum, vel supra copulam, non autem supra alterum ex extremis v. g. hæc propositio: *Homo est non leo* non est propositio negatiua: quia particula *non* accipitur infinitanter, non vero neganter. Fiet autem negatiua, si dicas: *homo non est leo*.

Item

Item in propositionibus complexis vt sint negatiuæ ; particula *non* debet afficere verbum seu copulam principalem: nam etiamsi afficiat copulam, quam vocant implicationis, propositio manet affirmatiua v. g. hæc propositio *Omnis homo , qui non peccat, est bonus,* est propositio affirmatiua: secus hæc alia: *Omnis homo qui peccat non est bonus.* In prima propositione particula *non* afficit copulam implicationis in secunda copulam propositionis. Dicitur autem copula implicationis qua nihil affirmatur, aut negatur, sed tantum vel aliquod supponitur, vel limitatur subiectum, aut prædicatum.

Quantitas propositionis modalis desumitur ex modo. *Necesse* respondet vniuersali affirmatiuæ. *Impossibile* vniuersali negatiuæ. *Possibile* particulari affirmatiuæ, *possibile non* particulari negatiuæ. Possibile autem confunditur hic cum contingenti. Hæc omnia duobus versiculis continentur.

Omnis necesse valet, impossibile nullus.
Possibilequidam. Quidã non:possibile non.

Exẽplũ habes in sequentibus propositionibus. *Hominem esse animal est necesse. Hominem esse lapidem est impossibile. Hominem currere est possibile. Hominem non currere est possibile.* Seu *possibile est non currere hominem*, Quæ æquiualent quatuor sequentibus. *Omnis homo est animal: nullus homo est lapis: aliquis homo currit; aliquis homo non currit.*

Aliquando autem contingit, vt sint particulares de dicto, vniuersales de modo. Aliquando contra, vt sint vniuersales de dicto particulares de modo. v. g. *Aliquem homi-*

nem currere est necesse. Omnem hominem currere est possibile.

Idem dic de qualitate. Contingit etiam aliquando propositionem esse affirmatiuam de dicto, negatiuuam de modo. Aliquando esse negatiuam de dicto, affirmatiuã de modo. v. g. *Hominem latrare non est possibile. Hominem non latrare, est necesse.*

Præterea prædicti modi modis temporaneis correspondent. *Necesse* correspondet huic modo temporaneo *semper*. Impossibile huic alteri: *nunquam*. Possibile huic *aliquando* Possibile non, huic alteri *aliquando non* v. g. *Hominem currere est possibile. Homo aliquando currit. Possibile est hominem non currere. Homo aliquando non currit.* Et sic de coeteris.

CAPVT VII.

De oppositione Propositionum.

OPpositio definitur à summulistis: Propositionum habentium idem subiectũ, & prædicatum secundum qualitatem, vel quantitatem repugnantia Ita hæ duæ propositiones *Petrus currit*, & *Petrus non currit* sunt inter se oppositæ. Altera enim est affirmatiua, altera negatiua, quod est differre secundum qualitatem. Item istæ duæ. *Omnis homo est albus, & aliquis homo non est albus* sunt oppositæ, tum quia altera est vniuersalis, & altera particularis, quod est differre secundum quantitatem, tum quia altera est affirmatiua, & altera negatiua, quod est differre secundum qualitatem.

Quadruplex est propositio: *Contradicto-*

ria : contraria . Subcontraria , subalterna. Oppositio contradictoria, est duarum propositionum secundum qualitatem, & quantitatem repugnantia v. g. Istæ duæ : *Omne animal est rationale, & aliquod animal non est rationale*, opponuntur contradictoriè, quia altera est affirmatiua vniuersalis, altera est particularis negatiua habentes idem prædicatum, & subiectum . Propositiones autem contradictorias impossibile est simul esse veras, vel simul falsas: sed veritas vnius est falsitas alterius, & è conuerso.

Oppositio contraria est duarum propositionum vniuersalium habentium idem subiectum,& prædicatum secundum qualitatem repugnantia. v. g. *Omne animal est rationale, & nullum animal est rationale*, conueniunt in quantitate, cum vtraque sit vniuersalis, differunt in qualitate cum vna sit affirmatiua, altera negatiua. Has propositiones Impossibile est simul esse veras: Possunt tamen simul esse falsæ, vt patet in exemplo adducto, in quo vtraque est necessario falsa: & in hoc alio . *Omnis homo est albus, nullus homo est albus*, in quo vtraque est contingenter falsa.

Oppositio subcontraria est duarum propositionum particularium, &c. Secundum qualitatem repugnantia, vt : *aliquod animal est rationale, & aliquod animal non est rationale.* Possunt simul esse veræ vt patet in exemplo .


Oppositio subalterna,quæ impropriissime dicitur oppositio,est duarum propositionum, &c. secundum quantitatem repugnantia v.g. *Omne animal est rationale, aliquod animal*

eſt rationale. Item *nullum animal eſt rationale,& aliquod animal non eſt rationale.* Vniuerſalis dicitur ſubalternans, particularis vero ſubalternata. Veritas ſubalternantis continet veritatem ſubalternatæ, non è conuerſo. Valet enim: *Omnis homo eſt albus, ergo aliquis homo eſt albus,* non autem: *aliquis homo eſt albus, ergo omnis homo eſt albus.* Falſitas vero ſubalternantis non infert falſitatem ſubalternatæ; non enim valet ex eo quòd falſum ſit omnem hominem eſſe album, falſum etiam eſſe, quod aliquis homo ſit albus.

Habes igitur oppoſitionem contradictoriã eſſe repugnantiam in veritate & falſitate: contrariam eſſe repugnantiam in veritate: ſubcontrariam in falſitate, nam ſi falſa eſt iſta propoſitio: *Aliquod animal eſt rationale* vera eſt hæc, *nullum animal eſt rationale,* ſunt enim contradictoriæ: ſi autem vera eſt hæc: *Nullum animal eſt rationale* etiam hæc ſubalterna eſt vera *aliquod animal non eſt rationale.* Ergo ſi falſa eſt hæc: *Aliquod animal eſt rationale*, vera eſt hæc alia: *Aliquod animal non eſt rationale*, quæ eſt ipſius ſubcontraria,adeoque verum eſt ſubcontrarias in falſitate opponi, hoc eſt non poſſe eſſe ſimul falſas.

Habes etiam quod in conſideratione logica maxima omnium oppoſitionum eſt contradictoria. Nam ex duabus contradictorijs, nec vtraque concedi poteſt, nec vtraque negari, ſed negando alteram, neceſſe eſt alteram concedere, & è conuerſo. Quæ hactenus dicta ſunt clariora fient ſi in ſequenti tabella pingantur.

Omne



Oppositio definita hic, & exemplificata est oppositio ex modo enunciandi. Datur præterea alia oppositio, quæ quia prædictas leges non seruat; dicitur à summulistis de lege, seu verius exlex, qualis est ea, quæ reperitur inter has propositiones: *Omnis homo currit, & Petrus non currit.* In qua vides in propositionibus non esse idem subiectum. Hæc tamen est vera oppositio, cum nomine oppositionis nihil aliud intelligat philosophus primo Peri. cap.5. quàm repugnantiàm propositionum secundum affirmationem, & negationem.

Vt autem inter contrarias, & contradictorias recte dijudices, scias oportet contradictorias esse illas, quarum vna sufficit ad falsitatem alterius; contrarias autem, quarum altera plus affirmat aut negat, quam requiratur ad

ſalſitatem alterius. Itaque huic propoſitioni *Omnis homo eſt albus* opponitur contradictoriè hæc: *aliquis homo non eſt albus*: contrariè autem, hęc alia: *Petrus non eſt albus.* ſicut & hæc: *aliqui homines non ſunt albi.* Ad hoc enim vt falſa ſit hæc enunciatio. *Omnis homo eſt albus* nō requiritur determinatè, vt Petrus nō ſit albus, nec quod aliqui homines non ſint albi, quorũ primũ per primã propoſitionem dicitur, ſecundum per ſecundã. Hinc eſt quod propoſitiones huiuſmodi: *Omnis homo eſt albus; Petrus non eſt albus,* & *aliqui homines non ſunt albi,* quamuis eſſe nequeant ſimul veræ, poſſunt tamen eſſe ſimul falſæ, quod non contingeret ſi haberent oppoſitionem contradictoriam vt dictum eſt ſupra.

Verum quidem eſt, quod quamuis hæc propoſitio: *Petrus non eſt albus* non ſit formaliter contradictoria huius: *Omnis homo eſt albus,* infert tamen neceſſario contradictoriam: valet enim *Petrus non eſt albus, ergo aliquis homo non eſt albus*: Hæc autem vltima eſt formalis contradictoria huius: *Omnis homo eſt albus.* Idem dic de hac alia *aliqui homines non ſunt albi,* ex qua neceſſario infers, ergo *aliquis homo non eſt albus.* Hæc omnia ſe ipſis patent.

CAPVT VIII.

De Aequipollentia propoſitionum.

ÆQuipollentia eſt propoſitionum oppoſitarum æquiualentia. Fit autem talis æquiualentia miniſterio particulæ *non,* quam

quam addis vel detrahis. Cum enim hæc ſit malignantis naturæ, deſtruit & mutat omne id quod afficit, facitq; ex affirmatiua negatiuam, ex vniuerſali particularem. Summuliſtæ modum, quo propoſitiones ſibi æquipolleant, comprehenderunt breui carmine, quo ſitus, ſeu poſitio particulę *non* indicatur.

Præ contradic. Poſt contra. Præ poſtque ſubalter.

Præ contradic. ſignificat propoſitionem contradictoriam æquipollere alteri contradictoriæ, ſi huic præponatur particula *non* v.g. hęc propoſitio: *Nullus homo eſt albus* æquiualebit huic: *aliquis homo eſt albus*, ſi præponas particulam *non* dicens: *Nonnullus homo eſt albus*: idem enim eſt *nonnullus*, ac: *aliquis*. Hinc eſt illud Summuliſtarum proloquium. *Non eſt melius contradicere, quam toti propoſitioni negationem præfigere.* Propterea cuiuſcumque propoſitionis contradictoria petatur: repete eamdem propoſitionem præfigendo illi particulam *non*, & aſſignaueris contradictoriam.

Poſt contra. Significat quod propoſitionis contrariæ, & ſub contrariæ ſibi mutuo æquiualent ſi poſt ſubiectum propoſitionis ponas particulam *non* v.g. *Omnis homo eſt albus* æquiualebit huic: *nullus homo eſt albus*, ſi poſt li *omnis homo* ponas particulam *non*: erit enim: *omnis homo non eſt albus*: Quod idem eſt, ac *nullus homo eſt albus*. Idem dic de iſta *nullus homo &c.* reſpectu alterius: *omnis homo eſt albus*. Si enim dicas *nullus homo non eſt albus*, idem dicis ac ſi diceres. *Omnis homo eſt albus*. Idem in ſub contrarijs: *Aliquis homo eſt albus*: &

aliquis *homo non eſt albus*, in prima poſt hi *aliquis homo* pone particulam *non* & habes ſecundã. In ſecunda pone particulam *non* & erit *aliquis homo non non eſt albus*; Et habes æquiualentem primæ. Idem enim eſt: *aliquis homo non non eſt albus*, ac *aliquis homo eſt albus*, cum duæ negationes affirment.

Præ poſtque ſubalter. Significat quod in ſubalternis ſi duæ negationes addantur vna ante, & altera poſt ſubiectum, redduntur æquiualentes: v. g. omnis *homo eſt albus*, *aliquis homo eſt albus*: ſibi æquiualent, ſi alterutri ante, & poſt ſubiectum addas particulam *non* nam: *non omnis homo, non eſt albus*, æquiualet huic: *aliquis homo eſt albus*, & viciſſim: *non aliquis homo non eſt albus* æquiualet huic: *omnis homo eſt albus*.

CAPVT IX.

De conuerſione.

COnuerſio propoſitionum eſt vnius ad alteram propoſitionem neceſſaria conſequentia orta ex tranſpoſitione terminorũ. Eſt autem tranſpoſitio terminorum mutatio ſubiecti in prædicatum & prædicati in ſubiectum. Prima propoſitio, quæ conuerti debet dicitur conuerſa, altera quæ ex hac infertur, dicitur conuertens v. g. *nullum animal eſt planta*, ergo *nulla planta eſt animal*.

Tripliciter autem fieri ſolet conuerſio. Primo ſimpliciter, quando ſcilicet retenta eadem quantitate, & qualitate propoſitionis ſubiectum mutatur in prædicatum, & prædica-

dicatum in fubiectum v. g. *nullum animal eſt planta*, ergo *nulla planta eſt animal*. Item *aliquis homo eſt albus*, ergo *aliquod album eſt homo*. Hæc conuerſio valet in vniuerſali negatiua, & particulari affirmatiua, vt patet in exemplis allatis. Quod ſi in aliqua propoſitione exercetur diſtractio, conuerſio non fit ſecundum leges prædictas, vt videbimus.

Secundo fit conuerſio per accidens, cum ſcilicet retenta eadem qualitate, non autem quantitate mutantur extrema, hoc eſt ſubiectum in prædicatum, & pradicatum in ſubiectum v.g. *nullus homo eſt lapis*, ergo *aliquis lapis non eſt homo*. Item: *omnis homo eſt animal*, ergo *aliquod animal eſt homo*. Hæc conuerſio valet in vniuerſali negatiua, & vniuerſali affirmatiua. Non tamen valet. *Omnis mortuus fuit viuus*, ergo *aliquis viuus fuit mortuus*, quia hic exercetur diſtractio: valet autem ſic. *Omnis mortuus fuit viuus*, ergo *aliquis, qui fuit viuus nunc eſt mortuus*.

Tertio fit conuerſio per contrapoſitionem quando ſcilicet retenta eadem qualitate, & quantitate infinitantur tranſpoſita extrema v.g. *omnis homo eſt animal*, ergo *omne non animal eſt non homo*. Item: *aliquis homo non eſt muſicus*, ergo *aliquod non muſicum, non eſt non homo*.

Vt autem bonæ conuerſionis leges pro quacumque propoſitione, facilius retineres eas duplici carmine comprehenſas habe.

Simpliciter fEcI conuertitur EuA per acci,
AſtO per contra ſic fit conuerſio tota.

In his autem carminibus notandæ ſunt

istæ quatuor litteræ A,E,I,O. in tribus istis vocibus fEcI EuA AstO comprehensæ, quibus integræ propositione designantur per A propositio vniuersalis affirmatiua. Per E vniuersalis negatiua. Per I particularis affirmatiua, per O particularis negatiua, iuxta illud

Asserit A, negat E sed vniuersaliter ambæ.
Asserit I, negat O, sed particulariter ambo.

Hæc omnia satis hactenus exemplificata sunt in triplici conuersione superius explicata.

CAPVT X.

De oppositione propositionum compositarum.

PRopositiones cõplexæ ob multiplicitatẽ terminorum habent nescio quid difficultatis; propterea quamuis iisdem legibus opponantur, quibus simplices, placet tamen in aliquibus earum prædictas leges ad praxim reducere: vt per aliquas viam ostendamus ad omnes.

Prima sit propositio copulatiua. *Et Petrus & Paulus est doctus*: cui contraria est: *nec Petrus, nec Paulus est doctus*. Contradictoria: *vel Petrus, vel Paulus non est doctus*. Subalterna: *vel Petrus, vel Paulus est doctus*. Hæc, vt vides, est copulatiua de eodem prædicato. Accipe aliã copulatiuam de prædicato diuerso: *Petrus currit & Paulus sedet*, cuius contraria est: *nec Petrus currit, nec Paulus sedet*. Contradictoria: *vel Petrus non currit, vel Paulus*

non sedet. Subalterna, *vel Petrus currit; vel Paulus sedet*.

Secundum exemplum sit in propositione causali: *homo quia est animal est sensitiuus*. Cuius contraria est: *homo quia est animal non est sentiuus*. Contradictoria: *non homo quia est animal est sensitiuus*. Subalterna: *homo non quia est animal non est sensitiuus*. In qua propositione aduerte seruari ad amussim regulas superius traditas pro discernenda contraria à contradictoria. Nam hæc propositio. *Homo quia est animal non est sensitiuus*, quam pro contraria ponimus, non negat præcisè quod requiritur ad falsitatem istius: *Homo quia est animal est sensitiuus*. Nam ad falsitatem sufficit, quod vel homo non sit sensitiuus, vel si sit sensitiuus, ratio sensitiui non fundetur in ratione animalis. Contraria autem negat esse sensitiuum, & insuper rationem cur non sit sensitiuus affert: *quia est animal*. Contradictoria vero per præfixionem particulę *non* toti propositioni id præcisè negat, quod ad falsitatem alterius negari debet, scilicet vel hominem esse sensitiuum, vel etiam si sit sensitiuus, rationem sensitiui fundari in ratione animalis. Atque hic vlterius confirmatur illud proloquium: *Non est melius contradicere, quam toti propositioni negationem præfigere*, iuxta quod copulatiuæ supra positæ. *Et Petrus & Paulus est doctus*, assignabis etiam pro formalissima contradictoria. *Non & Petrus & Paulus est doctus*, & sic de cæteris.

Tertium exemplum sit in propositione modali. *Hominem currere est necesse*: cuius

con-

contraria eſt hæc: *hominem currere eſt impoſſibile*. Contradictoria: *Hominem non currere eſt poſſibile*. Subalterna: *Hominem currere eſt poſſibile*. In quibus vides ſeruari leges contentas his verſibus;

Omnis neceſſe valet: impoſſibile uullus.
Poſſibile quidam: quidã non poſſibile non.

Si enimad propoſitiones ſimplices quibus correſpõdent prædictæ propoſitiones reducãtur. Prima erit hæc: *omnis homo currit*: contraria erit: *nullus homo currit*. Contradictoria: *aliquis homo non currit*. Subalterna: *aliquis homo currit*. Prima eſt *neceſſe*. Contraria *impoſſibile*. Contradictoria *poſſibile non*. Subalterna *poſſibile*.

CAPVT XI.

De Aequipollentia, & conuerſione Prædictarum propoſitionum.

AD æquipollentiam propoſitionum quas ſupra deſcripſimus tenendum eſt id quod pro ſimplicibus dictatum eſt.

Præ contradic: poſt contra. Præ poſtque ſubalter.

Exemplum ſit in propoſitionibus ſupra relatis. *Præ contradic*: hoc eſt: propone particulam *non* huic toti propoſitioni: *& Petrus & Paulus eſt doctus* dicendo: *non & Petrus & Paulus eſt doctus*, & æquiualebit ſuæ contradictoriæ *vel Petrus, vel Paulus non eſt doctus*. Rurſus huic præpone particulam *non* dicendo: *non vel Petrus, vel Paulus non eſt doctus*, & æquiualebit ſuæ contradictoriæ: *& Petrus & Paulus eſt doctus*.

Poſt

Post contra hoc est post subiectum huius propositionis: *& Petrus, & Paulus est doctus* pone particulam *non* dicendo: *& Petrus & Paulus non est doctus*, & æquiualebit suæ contrariæ *nec Petrus, nec Paulus est doctus*. Quæ vicissim suæ contrariæ æquiualebit, si post subiectum posueris particulam *non* dicendo: *nec Petrus, nec Paulus non est doctus*. Eamdem omnino legem si in subcontrarijs serues, reddes illas æquiualentes.

Denique *præpostque subalter*. Hoc est vt subalternas reddas æquiualentes, ante & post subiectum vtriuslibet pone particulam *non* v. g. hæc: *vel Petrus, vel Paulus est doctus*, reddetur æquiualens suæ subalternanti; *& Petrus, & Paulus est doctus*: si ante, & post subiectum addatur particula *non* dicendo *non vel Petrus, vel Paulus non est doctus*. Idem enim est dicere: *non vel Petrus, vel Paulus non est doctus*, ac dicere, *& Petrus, & Paulus est doctus*. Idem serua in subalternis negatiuis. Quemadmodum autem regulæ in recitatis carminibus cõprehensę seruādę sunt in ęquipollētiā propositionum complexarum: sic etiam in earum conuersione seruari debēt leges, quas alijs versibus comprehensas, pro conuersione simplicium tradebamus.

Simpliciter f Ec I, conuertitur Eu A per acci.
Ast O per contra: sic fit conuersio tota.

Pro quo tenendum est propositionem copulatiuam per particulam *&* respondere vniuersali affirmatiuæ v.g. hanc: *& Petrus, & Paulus est doctus*: huic alteri *omnis homo, est doctus*. Copulatiuam per *nec* vni-

uer-

uerſali negatiuæ v. g. hanc *nec Petrus*, *nec Paulus eſt doctus* huic: *nullus homo eſt doctus*. Item affirmatiuam disiunctiuam reſpondere particulari affirmatiuæ; negatiuam disiunctiuam particulari negatiuæ v. g. *vel Petrus*, *vel Paulus eſt doctus*, reſpondet huic. *aliquis homo eſt doctus*, hæc alia; *vel Petrus*, *vel Paulus non eſt doctus*; huic alteri: *aliquis homo non eſt doctus*.

His ſuppoſitis facili labore rem expedies ſeruando videlicet leges vniuerſalis affirmatiuæ in copulatiua affirmante: *& Petrus & Paulus eſt doctus*, vniuerſalis negatiuæ in copulatiua negante: *nec Petrus*, *nec Paulus eſt doctus*. Particularis affirmatiuæ in diſiunctiua affirmante: *vel Petrus*, *vel Paulus eſt doctus*. Particularis negatiuæ in diſiunctiua negante: *vel Petrus*, *vel Paulus non eſt doctus*. Accipe enim hanc *nec Petrus*, *nec Paulus eſt doctus*: & retenta eadem quantitate, & qualitate tranſpone extrema: & per conuerſionem ſimplicem habebis: *Doctus neque eſt Petrus*, *neque eſt Paulus*. Quod ſi eamdem conuertere velis per accidens: retine qualitatem; muta quantitatem, extrema tranſpone, & habebis: *aliquod doctum neque eſt Petrus*, *neque Paulus*. Sicut autem leges ſimplicium in hac negatiua ſeruauimus, ſic etiam in alijs ſeruandæ erunt.

Rurſus pro æquipollentia earumdem ſequere verſum iam toties repetitum. *Præ contradic &c.* v.g. Hæc propoſitio: *hominem currere eſt neceſſe* æquiualet ſuæ contradictoriæ: *hominem non currere eſt poſſibile*, ſi ante totam propoſitionem ponas parti-

ticu-

ticulam *non* dicendo: *non hominem currere eſt neceſſe*:& viciſſim:*non hominem non currere eſt poſſibile*: æquiualet huic *hominem currere eſt neceſſe*. Similiter iſtæ duæ: *Hominem currere eſt neceſſe* & *hominem currere eſt impoſſibile*, quæ ſunt contrariæ, altera ſcilicet vniuerſalis affirmatiua, altera vniuerſalis negatiua ſibi inuicem æquiualebunt, ſi alterutri poſt ſubiectum ponas particulam *non* v. g. *hominem non currere eſt neceſſe* idem eſt ac: *hominem currere eſt impoſſibile*: & *hominem non currere eſt impoſſibile*. Idem eſt ac: *hominem currere eſt neceſſe*. In quibus vides me particulam *non* collocaſſe poſt ſubiectum dicti. Dicti autem dicitur quod in præfatis propoſitionibus ponitur ante copulam totius propoſitionis modalis.

Denique pro conuerſione iiſdem legibus vtuntur, quibus aliæ. En tibi exemplum in vna vel altera: *Hominem currere eſt neceſſe*:vniuerſalis affirmatiua conuertitur tum per accidens: ſic: *ergo aliquod currens eſſe hominem eſt neceſſe*: tum per contrapoſitionem infinitando extrema tranſpoſita ſic.*Non currens eſſe non hominem eſt neceſſe*. Item vniuerſalis negatiua: *Hominem currere eſt impoſſibile*: conuertitur tum ſimpliciter ſic: *vllum currens eſſe hominem eſt impoſſibile*; tum per accidens: *aliquod currens eſſe hominem eſt impoſſibile*.

DISPVTATIO III.

De pertinentibus ad tertiam Operationem intellectus.

CAPVT I.

Quid sit syllogismus.

IVxta definitionem ab Arist. traditam 1. Prior Cap. 1. *Syllogismus est oratio in qua quibusdam positis, aliud quid à positis necesse est contingere, eo quod hæc sint:* dicitur *quibusdam positis* hoc est præmissis rectè dispositis. Vocantur autem præmissæ duæ illæ propositiones, quæ conclusionem præcedunt, dicitur *aliud quid necesse est contingere, eo quod hęc sint*. Necesse est scilicet ex præmissis rectè dispositis conclusionem sequi, quæ aliud quid à præmissis dicitur, non quod non contineatur ipsa in pręmissis, sed quod non eodem modo cognoscitur in præmissis sicut in se ipsa. Exemplum sit. *Omne rationale est risibile, sed omnis homo est rationalis*. ergo *omnis homo est risibilis*. Hanc vltimam propositionem necesse est sequi ex eo quod admissæ sint, siue concessæ duæ illæ præmissæ; idque ex vi formæ hoc est talis dispositionis terminorum, & propositionum, vndè ad rationem rectæ illationis nihil facit veritas, vel falsitas, cum solum attendatur an ex præmissis talis conclusio inferatur, quæ concessis præmissis est innegabilis v.g. in hoc syllogismo.

Omne

Omne A est B sed omne C est A ergo *omne C est B* vel si velis in hoc alio . *Omnis equus est homo , sed omnis lapis est equus ,* ergo *omnis lapis est homo* . Etiamsi omnes propositiones sint falsæ , tamen est optima illatio , & concessa vtraque præmissa , consequentia nequit negari : necesse est enim omnem lapidem esse hominem, si ponatur quod & omnis equus sit homo , & omnis lapis sit equus . Vndè habes quod li : *necesse est aliud quid contingere* non appellat necessitatem veritatis in propositione quæ infertur, sed necessitatem consequentiæ , & illationis seu non appellat necessitatem consequentis , sed consequentiæ .

Ad intelligendam autem constitutionem syllogismi oportet scire quid sit eius materia quid forma. Materia vero alia est remota , alia proxima. Remota sunt termini, quibus constant propositiones quæ syllogismũ constituunt . Hi autem sunt omnino tres: nimirum Subiectum & prædicatum conclusionis, & medium siue medius terminus: ita dictus, quia assumitur ad probandam vnionem extremorum in conclusione per hoc , quod vtrumque extremum sibi vniuerit in præmissis v. g. in hoc syllogismo. *Omne rationale est risibile; sed omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis.* Medium, seu medius terminus est li, *rationale.* Quod quia in maiori sibi vniuit risibile, & in minori *homo* vnit in Conclusione *homo est risibilis:* inferendo; ergo *homo est risibilis.* Est autem hic sermo de syllogismis constantibus terminis finitis. Nam fortasse constantes terminis infinitis possunt constare terminis

plus-

plusquàm tribus. Sed de hoc alibi. Materia proxima sunt propositiones ex quibus syllogismus cōstat; quarū prima dicitur maior, eo quod in ipsa contineatur maius extremū: secunda minor, eo quod in ipsa cōtineatur minus extremum. Tertia vocatur consequentia quia ex vtraque præmissa consequitur & infertur: vt patet in allatis exemplis.

Quid autem sit maius, quid minus extremum habes ex Philosopho, primo Prior. cap. 5. 6. & 7. vbi docet maius extremum in prima figura esse id, quod prædicatur de medio. Minus vero extremum esse id, quod subijcitur medio v. g. inhoc syllogismo. *Omne ratinale est risibile; sed omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis.* Maius extremum est *risibile*, quod prædicatur de *rationali*. *Homo* vero est minus extremum, quia subijcitur eidem *rationali*. In secunda vero, & tertia figura maius extremum est quod, prædicatur in conclusione; Minus vero, quod subijcitur. Exemplum in secunda figura sit. *Nullus Homo est lapis, sed omne marmor est lapis, ergo nullum marmor est homo.* In hoc Syllogismo *Homo* est maius extremum, *marmor* vero minus. *Homo* est in prima pręmissa; *marmor* in secunda exemplum in tertia figura sit. *Omnis homo est substantia; sed omnis homo est animal; ergo aliquod animal est substantia. Substantia* est maius extremum: *animal* minus. *substantia* est in prima præmissa, *animal* in secūda. Quomodo autē ex adductis Syllogismis alius sit in prima, alius in secūda, & alius in tertia: & discrimen inter primā secundā & tertiam figuram post pauca intelliges. Deni-

que

que particula *ergo* denotat conclusionem deduci ex præmissis. Vnde si aliquis post duas præmissas veras aliam propositionem vtique veram adnecteret, sed quæ non præcontineretur isi illis v. g. *Omnis homo est animal, sed omne rationale est homo, ergo omnis equus est animal.* Negare debes consequentiā, neque enim hæc vltima propositio: quamuis vera sit, deduci valet ex præmissis, cum tamen deduci significetur per particulam ergo. Hinc est quod quando ambigua est conclusio, ideoque distinguenda dicitur, *distinguo consequens*: non autem *distinguo consequentiam*: & prout conceditur vel negatur dicitur, *concedo* vel *nego consequentiam.* Ratio est quia in eo sensu, in quo sequitur ex præmissis, est consequentia, non autem in alio, ideoque in vno conceditur, negatur in alio v. g. ad hunc syllogismum. *Omnis virtuosus est bonus; sed omnis logicus est virtuosus, ergo omnis logicus est bonus.* Resp. posses distinguendo mai: omnis virtuosus est bonus simpliciter & absolute nego mai: est bonus simpliciter vel, secundum quid concedo maiorē, & transmissa minori distinguo consequens. Omnis logicus est bonus simpliciter & absolute nego consequentiam est bonus vel simpliciter vel secundum quid concedo consequentiam.

CAPVT. II.

Quid, & quotuplex sit figura Syllogismi.

FOrma syllogismi, quæ comprehendit figuram & modum est debita dispositio ter-

terminorum, & propositionum vt conclusio sequatur ex præmissis. Hoc capite de figura; sequenti, de modo dicturi sumus. Figura igitur syllogismi est apta dispositio terminorum secundum subiectionem & prædicationem ad conclusionem inferendam. Triplex autem est figura syllogistica, secundum Aristotelē & Peripateticos communiter pro triplici dispositione medij termini cum extremis. Hæc medij termini triplex dispositio hoc versiculo continetur.

Sub: præ: prima. bis præ: secūda. tertia. bis sub:

Sub: præ: prima. Hoc est in prima figura medius terminus in maiori subijcitur, & prædicatur in minori v. g. *Omne rationale est risibile, sed omnis homo est rationalis ergo omnis homo est risibilis.* In quo Syllogismo *rationale* quod est mediū, est in maiori subiectum & in minori prædicatum.

Bis præ: secunda. Hoc est in secunda figura medium tam in maiori, quam in minori prædicatur v. g. *Nullus lapis est homo, sed omne rationale est homo, ergo nullum rationale est lapis.* In quo medius terminus *homo* est in vtraque premissa prædicatum.

Tertia bis sub. Hoc est in tertia figura medius terminus subijcitur & in maiori, & in minori v. g. *Omnis homo est rationalis, sed omnis homo est viuens, ergo aliquod viuens est rationale.* In quo medius terminus *homo* in vtraque præmissa subijcitur. *Præter* has tres figuras Aristotelicas Galenus existimauit quartam se inuenisse, quam acriter propugnant Medici; reijciunt Peripatetici. In hac autem medius terminus prædicatur in maiori, & subijcitur in minori v. g. *Omnis*

nis homo eſt rationalis, ſed omne rationale eſt riſibile, ergo omnis homo eſt riſibilis. Verum hæc figura Galenica non differt à prima Ariſtotelica niſi purè materialiter, & per meram tranſlationem præmiſſarum. ſi enim ponatur minor loro maioris habes ſyllogiſmum Ariſtotelicũ. Adde quod minor ipſa in hac figura Galenica immerito dicitur minor cum in ipſa contineatur maius extremum. In hoc igitur ſolum differt ab Ariſtotelica, quod innaturalis ſit ponendo propoſitionem vere maiorem ſècundo loco, quæ poni deberet in primo.

CAPVT III.

Quid, & Quotuplex, ſit modus Syllogiſmorum.

MOdus Syllogiſmi eſt recta diſpoſitio propoſitionum ſecundum quantitatẽ, & qualitatem in ordine ad concluſionem. Modi autem ſyllogiſmorum vtiles, & qui tradi ſolent à logicis ſunt omnino nouendecim quatuor carminibus comprehenſi.

Barbara. Celarent. Darÿ. Ferio. Baralipton.
Celantes. Dabitis. Fapeſmo. Friſeſomorum.
Ceſare. Cameſtres. Feſtino. Barocco. Darapti.
Felapton. Diſami. Datiſi. Broccardo. Feriſon.

Supradicta vocabula, quæ ad inuandam Tyrorum memoriam carminum in morem concinnauerunt veteres ſummiliſtæ ſunt nouendecim, & ſingula ſingulos ſyllogiſmorum modos ſignificant. In His aũtem tenendum eſt quod iam ſemel iterumque diximus per iſtas vocales *A. E. I. O.* integras pro-

propositiones designari, quæ in syllogismo eumdem ordinem habere debent, quem in supradictis vocabulis habent v. g. in *Barbara* est triplex *A*. tres igitur propositiones debent esse vniuersales affirmatiuę: nam *A*. designat propositionem vniuersalem affirmatiuam. *In Celarent* prima est *E*. hoceſt vniuersalis negatiua, secunda *A*.hoc est vniuersalis affirmatiua, tertia *E*. vniuersalis negatiua, & sic de singulis.

Primi nouem modi pertinent ad primam figuram, quorum primi quatuor sunt directi, & naturales: alij autem quinque indirecti, & innaturales. Quatuor sequentes spectant ad secundā figuram. Sex vltimi: ad tertiam. Vocantur autem modi directi in quibus minus extremum subijcitur maiori v. g. *Omne rationale est risibile, sed omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis*. Inquo *homo*, quod est minus extremum subijcitur *risibili* quod est maius. Indirecti vero sunt, inquibus maius extremum subijcitur minori v. g. *Omne rationale est risibile, sed omnis homo est rationalis, ergo aliquod risibile est homo*. Inquo *risibile* maius extremum subijcitur huic termino *homo* qui est minus extremum.

CAPVT IV.

Regulæ pro prima figura.

PRiusquàm regulas pro prima figura tradamus: operæ pretium erit singulis primæ figuræ modis sua exempla adnectere; vt reductæ ad praxim regulæ melius innotescant.

cant.

cāt. Et primo loco quatuor modi directi exēplificandi ſunt.

Bar *Omne rationale eſt riſibile,*
ba *Omnis homo eſt rationalis,*
ra. *Ergo omnis homo eſt riſibilis.*

Ce *Nullus equus eſt riſibilis*
la *Omne hinnibile eſt equus,*
rent. *Ergo nullum hinnibile eſt riſibile.*

Da *Omnis homo eſt rationalis,*
ri *Aliquod animal eſt homo,*
j. *Ergo aliquod animal eſt rationale;*

Fe *Nullum riſibile eſt Leo,*
ri *Aliquod animal eſt riſibile,*
o. *Ergo aliquod animal non eſt leo.*

Præter iſtos quatuor modos directos ſunt in prima figura quinque alij indirecti quorum exempla ſubtèximus.

Ba *Omne riſibile eſt animal,*
ra *Omnis homo eſt riſibilis,*
lip. *Ergo aliquod animal eſt homo.*

Ce *Nullum materiale eſt Angelus*
lan *Omnis homo eſt materialis,*
tes. *Ergo nullus angelus eſt homo.*

Da *Omne animal eſt viuens,*
bi *Aliqua ſubſtantia eſt animal,*
tis. *Ergo aliquod viuens eſt ſubſtantia.*

Fa *Omne rugibile est leo ,*
pes *Nullus equus est rugibilis,*
mo. *Ergo aliquis leo non est equus.*

Fri *Aliquod animal est homo ,*
se *Nulla planta est animal ,*
so. *Ergo aliquis homo non est planta.*

Post exempla tradendæ sunt regula. Prima est, quod ex maiori particulari in modis directis nihil concluditur. v. g. *Aliqua substantia est spiritualis. Omnis lapis est substantia , ergo aliquis lapis est spiritualis.* Secunda est in ijsdē modis directis ex minori negatiua nihil concludi. v. g. *Omne animal est substantia. Nullus lapis est animal,ergo nullus lapis est substantia.* Hæ tamen regula in modis indirectis non valent; bene enim concluditur in Frisesomorum sic. *Aliquod animal est rationale, nullus lapis est animal, ergo aliquod rationale non est lapis.* Obijcies hoc argum. *Aliquod risibile ludit; omnis homo est risibilis , ergo aliquis homo ludit,* bene concludit in modo directo : nam minus extremum subijcitur maiori vt patet, & tamen habet maiorem particularem, ergo prima regula assignata est falsa,

Resp. neg. ant. nam argumentum prædictum nihil valet. Conclusio ipsius vera est, si verum sit quod aliquod risibile ludat, non quia omnis homo est risibilis, sed quia omne risibile est homo. Prauitas autem illius consequentiæ manifestè apparet ex eo quod si eadem omnino forma applicetur alteri materiæ inferet falsum v. g. *Aliquod animal*

est

est equus Omnis homo est animal, ergo aliquis homo est equus. Qui potest concedere hanc consequentiã concedet & argumentum esse in forma.

CAPVT V.

Regulæ pro secunda Figura.

IN secunda Figura medius terminus prædicatur tam in maiori quam in minori. Modi autem sunt quatuor.

Ce *Nullus homo est lapis,*
sa *Omne marmor est lapis,*
re. *Ergo nullum marmor est homo.*

Ca *Omnis homo est risibilis*
mes *Nullus equus est risibilis,*
tres. *Ergo nullus equus est homo.*

Fes *Nullus equus est risibilis,*
ti *Aliquod animal est risibile,*
no. *Ergo aliquod animal non est equus.*

Ba *Omnis leo est rugibilis*
roc *Aliquod animal non est rugibile*
choi *Ergo aliquod animal non est leo.*

Prima regula pro secunda figura est ex maiori particulari nihil sequi. v. g. *Aliqua substantia est colorata, nullus angelus est coloratus, ergo aliquis angelus non est substantia.* Secunda regula est ex duabus præmissis affirmatiuis nihil sequi. v. g. *Omnis arbor est viuens omnis homo est viuens, ergo omnis homo est arbor.*

CAPVT VI.

Regulæ pro tertia figura.

MOdi tertię Figuræ in qua medius terminus in vtraque subijcitur sunt sex.

Da *Omnis homo est substantia;*
rap *Omnis homo est animal,*
ti. *Ergo aliquod animal est substātia.*

Fe *Nullus lapis est risibilis,*
lap *Omnis lapis est durus,*
ton. *Ergo aliquod durū non est risibile.*

Di *Aliquod animal est homo,*
sa *Omne animal est viuens,*
mi. *Ergo aliquod viuens est homo.*

Da *Omne hinnibile est equus,*
ti *Aliquod hinnibile est album,*
si. *Ergo aliquod album est equus.*

Bro *Aliquod animal non est vulpes,*
car *Omne animal est viuens,*
do. *Ergo aliquod viuēs non est vulpes.*

Fe *Nulla quercus est animal,*
ri *Aliqua quercus est viuens,*
son. *Ergo aliquod viuēs non est animal.*

Pro tertia Figura prima regula est ex minori negatiua directè nihil sequi. v.g. *Omnis Angelus est substantia, nullus angelus est lapis, ergo aliquis lapis non est substantia.*

Pi-

Dixi *nihil ſequi directè*, quia indirecte poſſes inferre, ergo *aliqua ſubſtantia non eſt lapis*, quæ eſſet concluſio ſyllogiſmi in *Felapton* per meram tranſlationem præmiſſarũ hoc pacto. *Nullus angelus eſt lapis, omnis angelus eſt ſubſtantia, ergo aliqua ſubſtantia non eſt lapis.* Secunda regula eſt concluſionem ſemper eſſe particularem, vt conſtat ex omnibus quæ pro exemplis adduximus. Sit enim ſyllogiſmus in *Darapti*, cuius ambæ præmiſſæ ſunt vniuerſales. *Omne ſidus eſt incorruptibile, omne ſidus eſt lucidũ, ergo aliquod lucidum eſt incorruptibile.* Male inferres. *Ergo omnè lucidum eſt incorruptibile.*

CAPVT VII.

Regulæ communes pro omnibus figuris.

PRæter regulas peculiares, quas pro vnaquaque figura tradidimus, ſunt aliæ quædam communes pro omni figura, quas hoc capite breuiter comprehendimus.

Prima eſt quod medius terminus ſaltem in altera ex præmiſſis diſtribuatur. Diſtribui autem eſt accipi pro ſingulis inferioribus, vt diximus agentes de ſuppoſitione diſtributiua. Hoc autem fit cum vel eſt ſubiectum propoſitionis vniuerſalis affirmatiuæ, vel prędicatũ negatiuæ. Ex defectu talis diſtributionis hic ſyllogiſmus eſt fallax. *Omne animal fuit in arca Noe, ſed meus Brunellus eſt animal, ergo meus Brunellus fuit in arca Noe.* Nuſquam enim medius terminus *animal* diſtribuitur. Non in minori vbi dicitur

de vno, non in maiori quia non est in suppositione distributiua completa, sed in distributiua accomodè completa, hoc est incompleta. Non enim supponit pro singulis generum hoc est pro singulis contentis inqualibet animalium specie, sed pro generibus singulorũ, hoc est pro aliquo ex vna quaque specie. In hac lege fundatur regula prima prima figuræ, & secunda secundæ, vt constat in exemplis ibidem adductis. Pro prima. *Aliqua substantia est spiritualis &c.* Pro secunda *omnis arbor est viuens &c.* Secunda regula est terminus non distributus in præmissis non potest distribui in conclusione: contra hanc regulam peccat hic syllogismus. *Omnis Angelus est substantia, nullus lapis est angelus, ergo nullus lapis est substantia. Substantia* enim maius extremũ conclusionis negatiuæ distribuitur cum non distribuatur in maiori; vt pote prædicatum propositionis affirmatiuæ. In hac lege, fundatur secunda regula primę figurę: prima secundæ, prima & secunda tertiæ vt constat in exemples quæ habes. Pro prima *omne animal est substantia &c.* Pro secunda *aliqua substãtia est colorata &c.* Pro tertia *omnis angelus est subst. &c. omnes sidus est in corruptibile.*

Tertia regula est, conclusio sequitur debiliorem partem. Hoc est si in præmissis aliqua est particularis, conclusio sit particularis, si aliqua negatiua, conclusio sit negatiua. Quarto in Syllogismis categoricis de quibus hactenus egimus ex duabus præmissis particularibus nihil sequitur v. g. aliquod *Animal est homo,*

aliquis

aliquis Leo eſt animal, ergo aliquis leo eſt homo. Patet enim in neutra medium terminum eſſe diſtributum, imo diuerſimodè in vtraque participari ab extremis.

Quinta eſt ex puris negatiuis nihil ſequitur.v.g. *Nullus homo eſt lapis, nullum marmor eſt homo, ergo nullum marmor eſt lapis.* Ratio eſt quia ex eo quod marmor & lapis diſtinguantur ab homine non bene infertur quod marmor & lapis diſtinguantur inter ſe. ſicut ex eo quod, & animal, & homo diſtinguantur à lapide, non bene infertur quod homo non ſit animal.

Contra vltimam regulam obijcies. Hic Syllogiſmus. *Stellæ quæ non ſcintillant ſunt prope nos, ſed Planetæ non ſcintillant, ergo Planetæ ſunt prope nos*, habet vtramque præmiſſam negatiuam, & tamen bene conludit, ergo regula adducta eſt falſa.

Reſp. neg. ant. quod ſcilicet prædictus ſyllogiſmus habeat vtramque præmiſſam negatiuam. Imo vtraque præmiſſa eſt affirmatiua; cum particula *non* in neutra copulam afficiat. Hic enim ſyllogiſmus, ſi bene intelligatur, ſic ſonat. *Stellæ non ſcintillantes ſunt propè nos, ſed Planetæ ſunt ſtellæ non ſcintillantes, ergo Planetæ ſunt prope nos.*

CAPVT VIII.

An, & quamodo reduci poſſint ſyllogiſmi imperfecti, ad perfectos.

PRimi quatuor modi ſyllogiſtici adeo directè, & euidenter concludunt, vt con-

cella semel vtraque præmissa, consequentia sit omnino inegabilis. In alijs autem quamuis conclusio sit æquè certa, & infallibilis. quia tamen non est æquè directa: posset aliquis Dialecticæ minus peritus illam negare, ideo inuenta est ratio omnes syllogismos ad quatuor primos reducendi: vt illa veritas, quæ per indirectos elicitur per directos ad euidentiam reducatur.

Duplex autem est Syllogismorum reductio, ostensiua altera seu conuersiua; altera per impossibile. Ostensiua, seu conuersiua est illa, in qua per conuersionem propositionum, & in aliquibus præmissarum transpositionem, syllogismi ex imperfectis fiunt perfecti. Ad hoc autem vniuersaliter loquendo aduertendum est ad litteras initiales modorum, quæ sunt quatuor. B. C. D. F. Et vnusquisque imperfectus ad eum ex perfectis reducitur, qui eamdem cum ipso litteram initialem habet v. g. *Baralipton* ad *Barbara*, *Darapti* ad *Darij* &c. Aliquando autem non sufficit propositiones conuertere sed necesse est præterea præmissas loco transferre, vt fiat ex maiori minor ex minori maior. Harum autem conuersionum, & transpositionem leges duplici carmine comprehensas habes.

S. vult simpliciter verti. P. vero per acci.
M. vult transponi: C. per impossibile duci.

His versiculis non littera initialis modorum, sed littera posita post vocalem, quæ propositionem denotat, designatur.

S. vult simpliciter verti. Sensus est, quod illa propositio quæ designatur per vocalem, quæ præcedit litteram *S.* in modis imperfectis,

ctis, conuerti debet simpliciter v. g. *Datisi* fit *Darij*, & *Ferison* fit *Ferio*, per conuersionem simplicem minoris. *Datisi. Omne risibile est homo, aliquod risibile est album ergo aliquod album est homo.* Conuerte simpliciter minorem & habes *aliquod album est risibile*; quæ si fiat minor positi syllogismi, ex *Datisi* fit *Darij*, est que in prima figura directus, vt patet. Aduerte autem in *Datisi* post illud *I* quod denotat minorem; esse litteram *S*, quæ denotat esse conuertendum simpliciter.

P. vero per acci. Sensus est quod propositio disignata per vocalem, quam sequitur littera *P* est conuertenda per accidens v. g. *Darapti* fiet *Darij* si minor, quæ per *A* designatur conuertatur per accidens, quod denotat littera: *P* posita post *A*. *Darapti. Omnis homo est risibilis, omnis homo est animal, ergo aliquod animal est risibile.* Conuerte minoré per accidens, & habebis: *Aliquod animal est homo.* Quæ si sit minor prædicti syllogismi fit syllogismus in *Darij*, primæ figuræ & directus.

M. vult transponi: significat in modis, in quibus reperitur littera *M* esse mutandum ordinem, præmissarum, ita vt maior ponatur loco minoris minor loco maioris, quo facto, & seruatis legibus conuersionis, syllogismus ad perfectum reducitur exemplũ sit in Fapesmo, *Omne risibile est homo, nullus equus est risibilis, ergo aliqus homo non est equus.* Ex minori fac maiorem, conuertendo illam simpliciter vt denotat littera *S* dicendo *nullum risibile est equus*; ex maiori fac minorem conuertendo illam per accidens

vt denotat littera *P* dicendo *aliquis homo est risibilis*, & cum consequentia, ergo *aliquis homo non est equus*, habes Syllogismum in Ferio. *Nullum risibile est equus, aliquis homo est risibilis, ergo aliquis homo non est equus.* Non vacat exemplificare per singulos. Moneo tamen conuersionem in aliquibus esse solius consequentis ita *Celantes* fit *Celarent* & *Dabitis* fit *Darij* per hoc præcisè quod conclusio conuertatur simpliciter: vltimum enim *E* in Celãtes, & vltimum *I* in dabitis, quod denotat conclusionem, habet post se litteram *S* quæ vult simpliciter verti. In *Baralipton* autem couclusio ex particulari fit vniuersalis, & euadit *Barbara* ponendo scilicet pro conclusione illam propositionẽ quæ per conuersionem per accidens in particularem euadit. *Baralipton: Omne risibile est homo, omne rationale est risibile, ergo aliquis homo est rationalis.* Muta conclusionẽ ergo *omne rationale est homo*, & habes syllogismum in *Barbara*. Hæc autem est conuersa huius: *aliquis homo est rationalis*, vt diximus in loco.

Quia tamen duo modi *Barocobo* scilicet, & *Brocardo* alter secundæ, alter tertiæ figuræ nequeunt ostensiuè, seu conuersiuè ad perfectos reduci: ideo alia reductio inventa est, quam dicunt per impossibile, & indicatur per has particulas *C per impossibile duci.* Fit autem hæc reductio hoc pacto. Accipitur contradictoria conclusionis negatæ ab aduersario; coniungitur cum altera propositione ab eodem concessa, & elicitur consequentia contradictoria alteri propositioni ab eodem concessæ: & sic aduersarius cogitur ad duo

con-

contradictoria, quod est reduci ad impossibile res clarius patebit in exemplo. Sit syllogismus in Barroccho. *Omnis homo est risibilis, aliquod animal non est risibile, ergo aliquod animal non est homo.* Concessa vtraque præmissa neget aduersarius consequentiam: tunc accipe contradictoriam negatæ, quæ est, *omne animal est homo*, & forma syllogismum sic. *Omnis homo est risibilis, omne animal est homo, ergo omne animal est risibile.* Quæ est contradictoria minoris concessæ in altero syllogismo, & tamen tenetur illam concedere concessa vtraque præmissa, & sic reducitur ad impossibile. Item in Brocardo. *Aliquod animal non est homo, omne animal est sensitiuum, ergo aliquod sensitiuum non est homo.* Si negatur consequentia accipe contradictoriam *omne sensitiuum, est homo*. Forma syllogismum. *Omne sensitiuum est homo, omne animal est sensitiuum, ergo omne animal est homo.* Quæ consequẽtia negari nequit, & tamen est contradictoria maioris concessæ in antecedenti syllogismo.

CAPVT IX.

In alijs modis fit eadem reductio.

QVamuis reductio ad impossibile præcipuè pro *Baroccho, Brocardo* inuenta sit; tamen etiam erga alios modos adhiberi potest. Et quidem pro modis primę figuræ indirectis regulæ sunt.

Maiorem oppositũ pellit, maiorque minori.
Excipe Celantes in quo contraria res est.

Sensus est. Accipe contradictoriam con-

sequentis negati. Fiat maior noui syllogismi, in quo maior accipiat locum minoris & deducetur conclusio repugnans minori concessæ in priori syllogismo v. g. in *Baralip. Omne risibile est animal, omnis homo est risibilis ergo aliquod animal est homo.* Si negetur consequentia, sume contradictoriam & sic syllogiza. *Nullum animal est homo, omne risibile est animal, ergo nullum risibile est homo.* Hæc consequentia, quæ negari nequit, repugnat minori syllogismi antecedentis *omnis homo est risibilis*. nam si *nullum risibile est homo*, valet per conuersionem simplicē; *nullus homo est risibilis.* Si autem verum est *nullus homo est risibilis*: falsum est *omnis homo est risibilis.* Repugnat enim duas contrarias esse simul veras: vt dictum est suo loco.

Excipitur autē *Celantes*, in quo contrariares est. Hoc est in quo accipitur minor concessa in priori syllogismo, & fit maior. Tunc accipitur contradictoria consequentis negati, & fit minor, & ex vtraque infertur consequentia repugnans maiori concessæ in priori syllogismo v.g. *Celantes. Nullum materiale est angelus, omnis homo est materialis, ergo nullus angelus est homo.* Si negetur consequentia: accipe minorem concessam in primo syllogismo & dic. *Omnis homo est materialis*, postea cape contradictoriam consequentis negati, & dic. *Aliquis angelus est homo*: & habes consequentiam, *ergo aliquis angelus est materialis*, quæ repugnat maiori concessæ in antecedenti syllogismo. *Nullum materiale est Angelus.* Ex hac enim per conuersionem simplicem valet:

valet: *ergo nullus angelus est materialis*, cuius contradictoria est: aliquis angelus est materialis.

Pro secunda figura regulæ sunt.

Stat maior: trahit oppositum de sede minorē.

Hoc est maior prioris syllogismi maneat. Sed loco minoris ponatur contradictoria cōsequentis negati, & pro consequentia inferetur contradictoria minoris concessæ in anteriori syllogismo v.g. *Festino. Nullus equus est risibilis, aliquod animal est risibile, ergo aliquod animal non est equus.* Si negetur consequentia retine maiorem prioris syllogismi, *nullus equus est risibilis.* Pro minore pone contradictoriam consequentis negati. Scilicet omne animal est equus, & habes pro consequentia *ergo nullum animal est risibile*, quæ est contradictoria minoris in superiori syllogismo concessę, *aliquod animal est risibile.*

Pro tertia figura regulæ sunt.

Stat minor; oppositū transit maioris in ædē.

Hoc est minor prioris syllogismi retinet suum locum: contradictoria consequentis nagati ponitur loco maioris. Exemplum sit in *Darapti. Omnis homo est risibilis, omnis homo est animal ergo aliquod animal est risibile.* Si negetur consequentia accipe contradictoriam eiusdem, & dic: *Nullum animal est risibile*, sume minorem prioris syllogismi: *Omnis homo est animal*, & inferes *ergo nullus homo est risibilis.* Quæ opponitur contrariè maiori concessę in priori syllogismo, *omnis homo est risibilis*: ideoque huius veritas nequit cum alterius veritate subsistere.

CAP-

CAPVT X.

Quibus principijs innitatur syllogistica.

INter principia quæ dicuntur nota ex terminis, hoc est indubitata ijs qui significationem vocum intelligunt, primo loco ponitur hoc: *Quodlibet est vel non est. Non potest idem simul esse & non esse.* Huic principio innititur hoc aliud. *Quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se,* puta si Petrus, & animal rationale sunt idem cum homine, necessarium est, quod etiam interse sint idem. Et: *quorum vnum distinguitur à tertio, à quo alterum non distinguitur ea interse distingui oportet.* Puta si homo distinguitur ab hinnibili, à quo non distinguitur equus; hominem & equum inter se distingui necesse est. His principijs respondent alia duo Logicæ propria quibus vim syllogisticam immediatè fundari docet Philosophus primo prior. cap. 1. in fine.

Primũ est, *in toto esse* quod vulgo dicitur *Dictum de omni*, significat autem, quod quicquid dicitur de aliquo termino communi supponente distributiuè, etiam de quolibet contento sub tali termino dici debet v. g. quia dicitur *omnis homo est animal* si simul concedatur quod Petrus sit homo, hoc est cõtineatur sub hoc termino communi *homo* necessarium est concedere quod Petrus sit animal, si enim negaretur, negaretur, & concederetur idem de eodem, & falsificaretur, primum principium. *Non potest idem simul esse, & non esse.* Hoc axioma *dictum*

de

de omni fundat consequentiam argumentorum in *Barbara*, &, in *Darij*, in quibus conclusio est affirmatiua.

Secundũ est: *dictũ de nullo*, & significat, vniuersaliter quod prædicatum illud, quod negatur de aliquo termino cõmuni perfectè distributo, negari debet de quolibet contento sub illo v. g. quia de equo vniuersaliter negatur quod sit rationalis, & sub hoc termino communi *equus* continetur Bucephalus, etiam de Bucephalo negari debet quod sit rationalis & sic de quolibet alio. Hoc axioma fundat syllogismos in *Celarent*, & *Ferio*, in quibus conclusio est negatiua.

CAPVT II.

Aliæ species argumentationis.

INter alias species prima sit Enthymema, quod est Syllogismus incompletus, in quo nimirum ex vnica præmissa, quæ dicitur antecedens infertur conclusio, altera præmissa subintellecta: v. g. *Petrus est homo, ergo est animal*. Subintelligitur enim altera præmissa *omnis homo est animal*.

Secunda sit Exemplum. Est oratio in qua ex eo quod *aliquid* vni conueniat, infertur etiam alteri conuenire. v. g. *Vtile est fratri tuo studere logicæ, ergo etiam tibi*.

Tertia Inductio. Et est oratio per quam à multis enumeratis arguitur ad vniueasale: de hac actum est alibi.

Quarta sit Syllogismus conditionatus, qui dupliciter fit: *aliquando* enim ex eo quod in min. affirmetur conditio, quæ erat pars

ma.

ma. altera pars ma. pro concluſione infertur. v. g. *Si Petrus ſtuduit logicæ eſt ſapiens; ſed ſtuduit logicæ ergo eſt ſapiens.* Aliquando ex eo quod in minori negetur pars conditionata maioris, infertur pro conſequentia negatio conditionis poſitæ in eadem mai. v. g. *Si Petrus ſtuduit logicæ eſt ſapiens, ſed non eſt ſapiens, ergo non ſtuduit logicæ.* De Syllogiſmis conſtantibus ex propoſitionibus complexis, eodem modo, quo de alijs, Philoſophandum eſt.

Sunt autem præter Syllogiſmos categoricos, de quibus diximus, Syllogiſmi expoſitorij, ita dicti, quod quaſi ob oculos ponant neceſſitatem illationis. Habet hoc genus Syllogiſmorum in prima figura duos modos. primus eſt cum vtraque præmiſſa affirmatiua. v. g. *hic homo ludit, ſed Petrus eſt hic homo, ergo Petrus ludit.* Secundus eſt cum maiori negatiua & min. affirmatiua v. g. *Petrus non eſt logicus, ſed hic homo eſt Petrus,* ergo *hic homo non eſt logicus.*

In ſecunda figura tres habet modos. Primus eſt cum vtraque præmiſſa affirmatiua, v. g. *hic homo eſt Petrus, ſed Princeps ciuitatis eſt Petrus, ergo Princeps ciuitatis eſt hic homo.* Secundus eſt cum ma. affirmatiua, & mi. negatiua v. g. *Princeps Philoſophorum eſt Ariſtoteles, ſed Alexander non eſt Ariſtoteles:* ergo *Alexander non eſt Princeps Philoſophorum.* Tertius eſt cum ma. negatiua, & mi. affirmatiua v. g. *Ariſtoteles non eſt Tullius, ſed Princeps eloquētiæ eſt Tullius,* ergo *Princeps eloquentiæ non eſt Ariſtoteles.*

In Tertia figura duos habet modos. Primus eſt ex vtraque affirmatiua v. g. *Petrus*

eſt

eſt doctus ; ſed Petrus eſt hic homo, ergo *hic homo eſt doctus* .

Secundus eſt cum ma.negatiua & mi.affirmatiua v. g. *Brunellus non eſt homo : ſed Brunellus eſt hic equus*, ergo *hic equus non eſt homo*. Porro Syllogiſmus expoſitorius definitur à Conimbricenſibus primo prior. cap. 6. queſt. vnica, art. primo : qui conſtat medio termino ſingulari . Vtitur autem hoc Philoſophus præcipuè ad probandam bonitatem Syllogiſmorum tertiæ figuræ .

Innituntur autem Syllogiſmi expoſitorij principijs ſuperius explicatis : ſi enim quod dicitur de omni debet etiam dici de quolibet contento in omni,& ſimiliter quod negatur de omni, negari debet de quolibet contento in omni, ne de eodem idem affirmetur & negetur ; manifeſtum eſt quod de eodem ſingulari idem dicere & negare eſt impoſſibile. Et ad hoc reducetur contradictio inter vniuerſalem, & particularem, ſicut & aliæ oppoſitiones vt conſideranti patebit .

CAPVT VLTIMVM.

De Syllogiſmo ſophiſtico .

SYllogiſmus ſophiſticus, ſeu captioſus definitur ab Ariſtotele prim. Elench. cap. 1. *Oratio, quæ propter ſimilitudinem quam habet cum Syllogiſmo, Syllogiſmus videtur cum tamen non ſit*. Ex eo quod non ſit Syllogiſmus nihil concludit. Ex eo quod videatur eſſe, videtur concludere, & capit incautos, qui ſimilitudinem rei pro re admit-

tunt

tunt iuxta illud. *Tanti vitrum, quanti Margaritum.*

Decipi autem per huiusmodi Syllogismos dupliciter contingit. Vel per hoc quod voces vnum significare videantur cum multa significent, vel per hoc quod res ipsæ propter similitudinem vnum videantur, cum sint multa. Propterea fallaciæ aliæ sunt dictionis; aliæ extra dictionem. Inter fallacias dictionis prima fit fallacia æquiuocationis. Fit autem hæc per hoc quod eadem vox plura, & inter se diuersa significans modò pro vno, modò pro alio accipiatur v. g. *Omnis canis est latrabilis, sed aliquod sidus est canis.* ergo *aliquod sidus est latrabile.* Secundo fit eadem fallacia per hoc quod vox aliud propriè, aliud metaphoricè significet. v. g. *Omne quod ridet est homo, sed Pratum Titiri ridet*, ergo *Pratum Titiri est homo.* Secunda est *amphibologia*, quæ est æquiuocatio quædam totius orationis. Contingit autem vel ex eo quod varietur casus, v. g. *Omnes Episcopi sunt Sacerdotes, sed isti boues sunt Episcopi, ergo isti boues sunt Sacerdotes*. In maiori *Episcopi* est in nominatiuo, in minori est in genitiuo; vel ex eo quod varietur sensus v. g. *Ista capra est mater, sed ista capra est tua*; ergo *ista capra est mater tua.* Tertia & celeberrima omnium, quæ ex parte dictionis accidunt, & quæ in vniuersa Philosophia, & Theologia grauissimas affert difficultates est fallacia *sensus compositi*, & *sensus diuisi*. Potest autem dupliciter contingere: primo si res diuisim significatæ siue importatæ, composite, & copulatiuè sumantur. v. g. *Duo & tria sunt par &, impar, sed quinque sunt*

sunt duo & tria, ergo *quinque sunt par & impar*: *Binarius & ternarius*, *sunt par & impar*. *Sed quinarius, est binarius & ternarius, ergo quinarius est par & impar*. Ad huiusmodi Syllogismos distinguendum est. Duo & tria diuisim sumpta sunt par & impar conc. simul sumpta nego. Vel si mauis sunt par & impar in sensu diuiso concedo in sensu composito nego.

Secundo committitur hæc fallacia si ex eo quod datur potentia ad duo opposita disiunctiuè, inferatur dari potentiam ad duo illa simul ponenda v. g. *Petrus habet potentiam sedendi & standi, ergo potest sedere, & stare sed sedere & stare est impossibile, ergo potest impossibile*. Vides quod ex eo quod Petrus possit vtrūlibet diuisim, male infert aduersarius, quod possit vtrumque coniunctim.

Ad dissoluendas autem omnes fallacias, quæ hac ratione fieri possunt, sciendum est quid sit *potentia simultatis*, quid *simultas potentiæ*. Si enim bene adhibeantur hi termini, dissoluunt omnia omnino sophismata, quæ secundum hanc fallaciam fiunt. Dari potentiam simultatis est posse simul esse plura v. g. datur in me potentia simultatis ad ambulandum, loquendum, cogitandum, ridendum, &c. quia hæc omnia possum ponere simul: non autem datur potentia simultatis ad loquendum, & tacendum quia non possum loqui simul & tacere. Dari autem simultatem potentiæ est esse simul in eodem subiecto potentiam ad plura, quamuis ea plura simul esse non possint. v. g. in me est potentia sedendi simul cum potentia standi: imo fortasse eadem est potentia standi, & sedendi:

dendi: non tamen est potentia standi, & sedendi simul: ideoque si quis mihi diceret: datur in te potentia ad sedendum & standum ergo potes sedere & stare: responderem cum distinct: possum sedere, & stare simultate potentiæ concedo, potentia simultatis nego. Vel possum stare & sedere in sensu composito, nego, in sensu diuiso concedo.

Quinta est fallacia figuræ dictionis, quæ accidit, & ex eo quod vox significans rem in vno statu, sumatur ad eandem significandam in alio. v. g. *Quod emisti comedisti, sed emisti bouem crudum*, ergo *comedisti bouem crudum*. Et ex eo quod terminus ex suppositione simplici transeat ad suppositionem personalem v. g. *Homo est species, sed Petrus est homo*, ergo *Petrus est species*.

Fallaciȩ extra dictionē recensentur omnino septem. Prima est secundum accidens: Estque cum aliquid tribuitur subiecto ratione sui, quod illi conuenit ratione accidentis. v. g. *Musicus non est ens naturale, sed arte factum, sed Petrus est musicus*, ergo *Petrus non est ens naturale, sed arte factum*. Vides hic tribui Petro ratione sui id quod conuenit illi ratione alicuius accidentis, nimirum, ratione musicæ, quæ est quid superueniēs Petro. Respondetur autem ad huiusmodi sophismata cum distinct. v. g. *Musicus reduplicatiuè sumptus non est ens naturale, sed arte factum* conc. *Musicus specificatiuè sumptus*. nego. Rem autem accipi specificatiuè est accipi purè materialiter, hoc est pro mero subiecto totius denominationis. Ita in casu præsenti Musicus specificatiuè acceptus est purus ille & merus homo, qui est subiectum

artis

artis musicæ. Aliter etiam fieri potest fallacia accidentis sed satis est pro præsenti.

Secunda est: à secundum quid ad simpliciter v. g. *Aethiops est albus secundum dentes*, ergo *Aethiops est albus*. In quo ex eo quod Æthiops sit albus secundum quid, infertur esse album sine vllo addito, quod conuenit solum albo simpliciter, & absolutè. Fit etiam hæc fallacia, cum terminus ab ampliori suppositione ad minus amplam restingitur. v. g. *Qui dicit Petrum esse animal, dicit verum; sed qui dicit Petrum esse equum dicit* Petrum *esse animal*, ergo *qui dicit Petrum esse equum dicit verum*. Animal in maiori accipitur secundum totam suam extensionem, in minori restringitur ad speciem equinam, & propterea fit mala conclusio.

Tertia est ignorationis Elenchi: & est illa perquam excomparatione vnius rei cum pluribus diuersimodè se habentibus ad ipsam inferuntur apparenter duo contradictoria. v. g. *Petrus est maior Francisco, sed non est maior Antonio* ergo *Petrus est maior, & non maior*. Respondetur cum distinct. *maior, & non maior* respectu diuersorum conceditur, respectu eiusdem negatur.

Quarta est fallacia consequentis, cum videlicet non seruantur leges bonæ consequentiæ. v. g. *Petrus est animal*, ergo *est homo*. Consequentia non valet, quamuis consequēs sit verum. Nam ex animali non licet inferre hominem, quod est inferre speciem ex genere. Si enim liceret, recte argueres: *Bucephalus est animal*, ergo *est homo*. Ratio cur non valeat huiusmodi consequentia est, quia idē genus contrahitur per oppositas differentias,

qui-

quibuscum constituit diuersas species; cum igitur sit ex se ad hanc vel illam indifferens, neque hanc neque illam ex ipso licet inferre.

Quinta est fallacia *petitionis principij*, est quæ eiusdem per idem probatio v. g. Si quis probaret lunam moueri, quia mutat situm, & mutare situm, quia mouetur; à primo ad vltimum probaret lunam moueri, quia mouetur, quod est petere principium

Sexta est secundũ non causã pro causa, sitq; quando pro causa alicuius rei assignatur id, quod verè nõ est causa. v. g. *Musicus est causa cãtus sed homo niger est musicus*, ergo *homo niger est causa cantus*. Hoc consequẽs non est falsum si homo niger specificatiuè sumatur. Falsum est tamen, si reduplicatiuè, & in sensu formali: & quia hunc sensum præsefert consequentia, ideo est fallax afferendo nigredinem pro ratione influente in cantum, cum tamen hæc impertinenter se habeat ad cantũ.

Denique vltima est secundum plures interrogationes vt vnam v. g. *homo & equus estne animal bipes*? hac interrogatione valde pusillus est qui capitur. Statim enim vnicuique subuenit responsio cum distinct. de Homine dicit quod sit bipes, de equo negat.

Vniuersaliter autem loquendo ad omnem Syllogismum sophisticum responderi potest negando conseq; & ostendendo fallaciam, ratione cuius vitiosa est forma argumenti: solet etiam claritatis ergo responderi cum distinct. concedendo, vel negando, pro diuersitate sensuum, quos afferunt propositiones. Atque hæc de summulis satis ad honorem & gloriam omnipotentis Dei & Beatissimæ Virginis MARIÆ.

DISPV-



DISPVTATIONES LOGICÆ.

LOGICIS Disputationibus, quas tractaturi sumus hoc anno non licet otiosa oratione proludere. Libet tamen in ipso Logicarum disputationum exordio illud primum examinare; an ità necesse sit cæteris Logicam præire scientijs, vt sine ipsius ope operam ludat Intellectus humanus, dum easdem adipisci conatur. Primum igitur, quæremus an sit ad alias scientias perfecte aquirendas, non solum vtilis, sed necessaria: quæsituri postmodum quod nam sit ipsius obiectum: & ex obiecto Naturam, & quidditatem ipsius inuestigaturi.



DISPV-

DISPVTATIO I.
PROOEMIALIS.
QVESTIO I.
De Necessitate Logicæ.
ARTICVLVS I.
Quo genere necessitatis sit Necessaria.



OGICA naturalis vnicuique nostrũ innascitur, quæ est vis quædam humani Intellectus, qua de rebus omnibus ratiocinari apti sumus. Logicam artificialem studio, & labore aquirimus. De prima non agimus hic. Certum est enim eos scientijs ineptos esse, qui facti sunt sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.

De secunda, quæ est facultas quædam directiua operationum mentis humanæ, quæritur hic an sit necessaria, & quo genere necessitatis necessaria sit ad cæteras scientias puta ad Physicam, Metaphysicam aliasque huiusmodi acquirendas.

Pro quo sciendum est ad obtinendum aliquem finem aliquid necessarium multipliciter dici. Quædam enim adeo necessaria sunt, vt sine ipsis res obtineri non possit. Quædam itavt possit quidem, sed non nisi raro, & cum

ingenti

ingenti difficultate, quædam ita vt non raro, nec difficillimè, facilius tamen cum ipsis, & melius. Rursus rem vnam obtineri non posse sine alia duplicitur contingit, vel enim simpliciter & absolutè non potest, & tunc dicitur necessitas metaphysica: hoc modo necessarium est, vt Deus te conseruet, vt viuas: Est enim omnino impossibile, quod stes nisi Deo tenente. Vel res vna quamuis absolutè sine altera obtineri possit: nequit tamen naturaliter: & huiusmodi necessitas dicitur naturalis, seù physica. Hoc genere necessitatis necessarius est Cibus animali vt viuat, quamuis enim etiam per multos annos impransus, & incœnatus per diuinam Omnipotentiam viuere possis: non tamen naturaliter, hoc est viribus naturæ id facies.

Necessitas, qua vna res ad aliam requiritur, quia non nisi raro & cum ingenti difficultate, sine illa acquirirur: vocari solet necessitas moralis. Necessitas vero, qua vnum ad aliud requiritur, vt hoc facilius, & commodius adipiscamur, dicitur necessitas ad melius esse.

Denique quando quærimus an ad alias scientias perfectè aquirendas logica sit necessaria: nomine scientiarum non intelligimus quemlibet actum; sed quemlibet habitum scientificum: non enim ab actu, sed ab habitu datur vnicuique nomen scientis: pura qui vnam cantilenam nouit, eamque suauissime cantat; non illico dicitur musicus, sed qui habitum musicæ habet, nec dicitur Astrologus qui vnam Astrologicam demostrationem intelligit: Nec Medicus, qui semel vnum morbum curauit. His positis sit.

Prima conclusio. Logica nec absolutè, nec physicè necessaria est ad alias scientias perfectè aquirendas.

Hæc conclusio continet duas partes. Prima est Logicam non esse absolute necessariam ad alias scientias. Probatur autem: quia sine præuia logica potest de potentia absoluta intellectus humanus acquirere qualibet scientiam, ergo logica non est absolute necessaria ad alias scientias. Antecedens est certum, non enim diuinæ Omnipotentiæ impossibile est, ita tractare humanum ingenium vt etiam non præcedente logica euadat Physicæ, & Metaphysicæ sciens.

Secunda pars est: neque naturalitur necessariam esse logicam ad alias scientias. Probatur hæc etiam pars: quia sine logica artificiali possunt etiam naturaliter aliæ scientiæ in statu perfecto acquiri; ergo logica non est naturaliter necessaria ad alias scientias. antecedens probatur, quia non excedit vim naturalem humani ingenij adipisci Physicam vel Medicinam, vel quamlibet aliam scientiam huiusmodi sine antecedenti studio Logicæ, ergo logica non est necessaria necessitate physica ad alias scientias. Secundum antecedens probatur: quia Plato, Aristoteles, & aliqui alij, ante quam inuenta esset Logica alias scientias ita adepti sunt, vt sapientes essent. Id tamen ingenti studio, & labore ij paucissimi obtinuerunt. Propterea fit:

Secunda Conclusio. Logica est moraliter necessaria ad alias scientias il statu prefecto acquirendas.

Probatur Conclusio quia illud est moraliter necessarium ad aliud sine quo non potest

illud

illud aliud nisi rarissime, & cum summa difficultate acquiri; sed aliæ scientiæ in statu perfecto nequeunt sine Logica, nisi rarissime, & cum grauissima difficultate acquiri; ergo Logica est moraliter necessaria ad alias sciētias in statu perfecto acquirendas. Hinc Philosophus tertio Metaphysicæ docet quod priusquā intellectus humanus in alias scientias incumbat debet addiscere modū sciendi; hoc est in serie scientiarum acquirendarum debet primo loco conari vt Logicam acquirat. Maior Syllogismi propositi est clara, continetque ipsammet definitionem necessitatis moralis. Minor autem probatur, experientia quam habemus circa imbecillitatem humani Intellectus, qui etiam præmisso studio Logicæ tam difficile alias scientias adipiscitur. quid faceret si sine logica?

Est igitur fundamentum nostræ conclusionis imbecillitas humani ingenij, ex quo facilè argues hanc logicæ necessitatem non esse æqualem in omnibus: cum non omnium sit vnum ingenium. Alij igitur plus; alij minus logica indigēt, omnes tamen indigēt, & ij ipsi, qui ante logicam aliquas scientias adepti sunt, non nisi labore improbo adepti sunt; easdem non modo facilius, sed etiam perfectius adepturi si logica instructi fuissent.

ARTICVLVS II.

Respondetur nonullis Obiectionibus.

OBicitur primo. Si Logica non est physicè necessaria ad alias scientias, superfluum est studere logicæ: sed ex dictis non

est physice necessaria, ergo &c. Probatur maior: quia superfluũ est adhibere mediũ plenũ incõmodi ad obtinendum aliquid, quod sine ipso potest naturaliter obtineri ergo si sine logica possunt aliæ scientiæ obtineri etiam naturaliter superfluum est logicæ incumbere.

Resp. negando maiorem, quæ falsa est ob multa. Primo quia non est superfluum adhiberi medium, etiam ob solam facilitatem maiorem obtinendi finis propter quem adhibetur: aliter superfluum esset equum adhiberi ad iter agendum: præcipuè ab ijs, qui etiam sine graui incomomdo pedibus possunt iter agere. Secundo quia non modo non est superfluum, sed est necessarium adhibere illud medium ad rem obtiuendam, sine quo non nisi rarissimè, & cum ingenti difficultate obtinetur: aliter superfluum esset arma induere ad resistendum homini armato, cum aliquando contigerit hominem inermem plures armatos exarmasse. Ad videndum igitur vtrũ aliquid sit necessarium ad aliud oportet videre, an & quomodo illud aliud sine ipso obtineri possit. Si nullo modo: illud aliud est omninò necessarium; si aliquo quidem modo, sed non naturaliter, illud aliud est physice necessarium: Si naturaliter quidem, sed non nisi raro & cum difficultate pene insuperabili: est necessarium moralitur; si sine graui difficultate, erit necessarium ad melius esse.

Obicies secundo, Si Logica est necessaria ad alias scientias vel est necessaria omnibus hominibus, vel solùm aliquibus: neutrùm dici potest, ergo non est necessaria, maior est euidens, minor probatur. Et primo quod

non

non sit necessaria omnibus quia saltem aliquis sine logica potest adipisci alias scientias, ergo non est necessaria omnibus Ex hoc autem quod non sit necessaria omnibus, probatur quod nec aliquibus, seù quod nulli; Quia quidquid potest facere vnus homo, potest & alius: Ergo si aliquis sine logica potèst euadere Physicus, aut Medicus; possunt omnes. Antecedens probatur quia omnes homines sunt eiusdem perfectionis.

Resp. concessa mai. negando min. & dico logicam esse necessariam omnibus, quia omnium intellectus directione indiget ne fallatur, dixi necessaria omnibus vnicuique autem magis vel minus pro maiori, vel minori imbecillitate intellectus. Ad probationem min. quo ad primam partem distinguo antecedēs: saltem aliquis potest adipisci sine logica alias sciëntias cum ingenti difficultate, concedo ant. sine ingenti difficultate nego ant. & conseq;

Ad probat. secundę partis nego ant. quod videlicet quidquid potest vnus homo, possit & quidlibet alius homo. Hoc enim tam in viribus animi, quam in viribus corporis manifestè falsum apparet. In viribus corporis, quia vnus est alio longe robustior: in viribus animi, quia vnus est alio longe ingeniosior. ad probationem dic omnes homines esse eiusdem perfectionis essentialis non autem accidentalis.

Obicies tertio, Si Logica est necessaria ad alias scientias est necessaria ad seipsam. Consequens est impossibile, ergo & antecedens. Probatur mai. quia ideo est necessaria ad alias, quia aliæ sunt difficiles aquisitu:

tu: sed etiam ipsamet Logica est aquisitu difficilis, ergo logica erit necessaria ad logicam. Consequens autem esse impossibile probatur quia impossibile est logicam ante logicam addiscere.

Resp. distinguendo mai. est necessaria ad se ipsam necessitate partis ad partem conc. mai. necessitate totius ad totum, nego maiorem; & eodem modo distincta min. nego consequentiam. Logica est necessaria ad logicam necessitate partium ad partes, quia necesse est ante addiscere vnam partem logicæ quam aliam. Non est necessaria necessitate totius ad totum; quia non est necesse imò est impossibile ante totam logicam, totam logicam addiscere. Ante ea quæ pertinent ad secundam operationem intellectus, necesse fuit intelligere, quæ spectant ad primam & ante ea quæ spectant ad tertiā; ea que pertinent ad secundā. Toti autem logicæ eā dumtaxat logica prærequiritur quam logicam naturalem appellamus, quamque supponimus in omnibus dum artificialem paulatim à facilioribus iuxta præceptum Philosophi ad difficiliora progredientes explicamus.

ARTICVLVS III.

Soluuntur aliæ Obiectiones.

OBijcitur preterea. Potentia necessaria non indiget directione; sed intellectus est potentia necessaria; ergo intellectus non indiget directione: Si autem intellectus directione non indiget; frustra est logica. Maior probatur quia potentia necessaria non potest

aliter,

aliter, & aliter agere, sed quod non potest aliter, & aliter agere non indiget directione; ergo potentia necessaria, non indiget directione. Explicatur hoc idem exemplo aliarum potentiarum necessariarum. Oculus v. g. quia est potentia necessaria non indiget directione, vt recte videat; sed quodlibet obiectum sibi propositum videt quantum potest. Idem dic de potentia auditiua, de odoratiua, & sic de ceteris. Quod autem intellectus sit potentia necessaria est certum.

Respondeo negando mai. ad cuius probationem nego potentiam necessariam non posse aliter & aliter agere. Quamuis autem aliqua potentia necessaria non indigeat, imo sit incapax directionis non tamen omnis est huiusmodi. Et consequentur ex eo quod intellectus sit potentia necessaria non infertur quod dirigi nequeat. Potest igitur potentia necessaria determinari ad operandum hoc potius quam illo modo cum ab alio, tum à seipsa: ab alio: si non sit reflexiua supra se, & supra suos actus; à se ipsa, si supra se & suos actus reflectat; Potentia loco motiua, quæ est potentia necessaria, & non reflexiua supra suos actus, determinatur ab appetitu, aut voluntate ad mouendum corpus hoc potius quam illo modo; puta saltando potius, quam ambulando & saltando ad hunc potius, quam ad alium numerum: Pirrichiam potius, quam Medeam; Voluntas autem ad imperandum hunc potius quam alium motum dirigitur à potentia cognoscente, hunc potius quam illum motum efficere saltationem intentam.

Intellectus autem non minus cognoscit se,

suosque actus per cognitionem reflexam, quã per cognitionem directam alias potentias, & actus aliarum potentiarum; adeoque non minus potest dirigere se ipsum, quam alias potentias ad operandum. Hinc habes discrimen inter intellectum qui est potentia necessaria, & voluntatem, quæ est potentia libera non consistere in hoc quod voluntas possit aliter & aliter operari; Intellectus autem non. sed inter cetera, quæ alibi afferentur inter vtramque potentiam discrimina, sufficiat hoc pro præsenti quod etiamsi intellectus repræsentet voluntati, aliquid vt euidenter bonum, potest voluntas non amare; quia est potentia libera; si sibi ipsi repræsentet aliquid vt euidenter verum, non potest non assentiri, quia est potentia necessaria.

Obicies insuper. Nulla operatio intellectus est indifferens vt sit bona, vel praua: Ergo nulla operatiò, est dirigibilis: sed si nulla operatio est dirigibilis nõ requiritur logica. ergo simpliciter & absolute non requiritur logica. Ant. probatur. Quia omnis operatio intellectus est vel bona, vel praua; quæ bona est non indiget directione; quæ praua, nequit fieri bona: nam operationem iam elicitam reuocare vt illam emendes tam est impossibile, quam reuocare tempus elapsum. Nostræ enim mentis operationes sunt de natura temporis: hoc est essentialiter fluentes. Puta si quis elicuerit hunc actum: *Omnis homo est animal; ergo omne animal est homo*, & deinde reflectens ad prauitatem ipsius vt potè peccantis contra leges conuersionum velit hunc reformare dicens: *Omnis homo est animal ergo aliquod animal est homo*, non refor-

reformar actum, qui fluxit sed alium elicit meliorem. Idem dic de singulis.

Respondeo duplicem indifferentiam hic considerandam esse; aliam physicam, aliam logicam: indifferentia physica est illa quæ præsupponit realem existentiā rei quæ dicitur indifferens v. g. lignum est indifferens physicè ad hanc vel illam figuram, quia ad vtrālibet realiter & physicè præsupponitur cum aptidudine ad vtramque. Lignum enim neque rotundum, neque quadratum quadrabis vel rotundabis ad libitum, & illud idem ex quadrato rotundum, ex rotundo quadratum efficies. Indifferentia autem purè logica est illa quæ non supponit existentiam rei, quæ denominatur indifferens sed solum capacitatem in esse obiectiuo, vt ad hanc, vel illam rationem contrahatur: rem intelliges hoc exemplo. Operatio recta puta iudicium rectum dicitur iudicium: etiam iudicium prauum dicitur iudicium, tam igitur in Iudicio prauo, quam in Iudicio recto reperitur ratio Iudicij, in recto dicitur contrahi ad rectitudinem, in prauo ad prauitatem: & quia tam cum prauitate, quam cum rectitudine dicitur iudicium, Ideo iudicium dicitur indifferens ad rectitudinem, & prauitatem: vbi aduerte quod non prius existit aliquod Iudicium neque rectum neque prauū; quod deindè ad rectitudinem, vel prauitatem flectas, sicut dicebamus de ligno: sed quia qui iudicat potest vel rectum vel prauum iudicium elicere, ideo ratio iudicij dicitur indifferens ad hoc vel illud.

Hoc genere indifferentiæ dicuntur indifferentes rationes superiores respectu harum vel

vel illarum inferiorum v. g. Animal dicitur indifferens ad hominem, & brutum; non quod detur animal aliquod, quod non sit, neque homo, neque brutum, aut quod illud animal quod est homo possit euadere brutum, aut è conuerso; sed quia tam de homine, quam de Bruto dicitur *animal*. Hoc idem dic de ratione specifica respectu indiuiduorum; puta de ratione hominis respectu Petri, Pauli, & aliorum. Non enim ideò dicitur homo indifferens ad Petrum, vel Paulum, vel quemlibet alium, quod detur aliquis homo, qui non sit neque Petrus, neque Paulus, neque vllus alius homo: aut quod ex Petro possis eudaere Paulus, aut quilibet alius homo: sed quia & de Petro, & de Paulo, & de quolibet alio dicitur *homo*. Hæc indifferentia reperitur in operatione intellectus. Primo quidem in operatione vt sic ad primam, secundam & tertiam; non quod detur aliqua operatio, quæ neque sit prima, neque secunda, neque tertia. Sed quia & prima & secunda & tertia, est operatio. Secundo in quolibet genere operationum datur hæc indifferentia respectu inferiorum, nam & prima operatio potest esse praua vel recta, & sic de cęteris: ita vt in qualibet retineatur ratio operationis. Ex his.

Respondetur ad argumentum propositum distinguendo antecedens. Operatio non est indifferens indifferentia physica concedo antecedens, indifferentia logica: nego antecedens & consequentiam. Omnis operatio intellectus est indifferens accipiendo ly *Omnis* non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum. Dixi *non pro singulis*

gene-

generum quia si singulas operationes examines nulla est indifferens. v. g. hæc *Petrus est animal; ergo est homo* non est indifferens, sed essentialiter mala. Hæc alia *Petrus est homo; ergo est animal*, non est indifferens, sed essentialiter bona, & sic de reliquis. Sed *pro generibus singulorum* quia quodlibet genus potest vel ad prauitatem, vel ad rectitudinem contrahi: nam & ratio primæ operationis reperitur in bona & praua apprehensione & ratio Iudicij, in prauo & recto Iudicio, & ratio discursus in prauo, & recto discursu, vt autem non praue sed recte tuus intellectus operetur indiges logica directrice.

Habes ex hac eadē doctrina: quod quamuis in quolibet genere operationis possit aliqua elici, & quidem recta sine ope logicæ artificialis; puta, aliqua prima apprehensio, aliquod iudicium, & aliquis discursus, non propterea dicendum est logicam non esse necessariam pro dirigendis omnibus operationibus intellectus, quia etiam in quolibet genere sunt aliquæ operationes adeo difficiles vt sine adminiculo logicæ non fiāt. erit igitur necessaria pro omnibus intelligendo ly *omnibus* modo supradicto.

Obicitur tertio. Si Logica artificialis est necessaria ad alias scientias, non est ęque bene consultum intellectui humano ac consultum est brutis; consequens est iniqum; ergo & antecedens. Min. est clara: nam intellectus humanus est nobilior Pecude, si igitur melius consultum est Pecudi quam ipsi, est quędam Naturæ iniquitas. Maior autem probatur quia Pecus non indiget vlla arte acquisita, vt assequatur suum finem, sed in-

tellectus humanus indiget aliqua arte, vt assequatur suum, videlicet vt assequatur scientias ergo Pecudi melius consultum est quam Intellectui humano. Probatur hæc vltimà consequentia, quia melius est per naturam, & sine indigentia habitus supperadditi posse assequi suum finem, quam non posse per naturam, sed indigere adiutorio habitus acquisiti.

Respondeo negando mai: àd probationem concessis mai: & min: nego consequentiam. Ad probationem distingue: melius est non indigere habitu ad assequendum finem, quam indigere: cæteris paribus, concedo, cæteris imparibus, nego; qui minimum bonum sine ope alterius assequitur non est melioris conditionis, quam qui maximum, ope alterius. Qui minimum sine ope alterius, est melioris conditionis, quam qui pro illo eodem minimo indiget alterius ope. Brutum assequitur suum finem per ea, quæ ipsi innascuntur, nec indiget artes addiscere, vt per illas suum finem adipiscatur; immo illarum est incapax.

Intellectus non assequitur suum finem nisi per artes, quas addiscit & quarum est natura capax; sed finis intellectus humani est maximum bonum, finis bruti est minimum: adde quod non propterea intellectus non assequitur per naturam: cum per naturam suas sibi artes excogitet.

Obicitur vltimo: aliæ scientiæ sunt faciliores quam logica; ergo logica non debet præmitti alijs scientijs. Cõsequentia est euidens; nam præmittere difficiliora facilioribus est inuertere modum disciplinæ. Antecedens autem probatur. Mathematica v. g.

est

est facilior quam Logica adeò vt etiam Pueri sint mathematicis disciplinis maximè apti. Physica etiam videtur facilior, quia cum habeat pro obiecto ens sensibile, ad illud intelligẽdum maximo pere adiuuatur à sensibus: Logica autem cum versetur vel circa res omnes, vel circa intellectum, vel circa operationes intellectus: habet procul dubio obiectum cognitu difficilius; scientia autem quæ habet obiectum cognitu difficilius est difficilior; ergo logica est difficilior alijs scientijs.

Respondetur negando antecedens, loquendo de alijs scientijs in statu perfecto. Ad probationem antecedentis. Quoad Mathematicam artinet dicendum est eam logica minus indigere, quam indigeant aliæ scientiæ: non tamen non indigere: Ratio cur minus indigeat est quia saltem in multis magis nititur Imaginatione, quam Intelectu, quæ imaginatio cum sit etiam in pueris viuidissima, ideo etiã pueri sunt nonullis rebus mathematicis apprimè ideonei: ratio cur tamen indigeat, est, quia non solum imaginatione sed etiam intellectu vtitur Mathematicus, si in hac facultate velit aliquam excellentiam adipisci. Cum autem in rebus mathematicis sit infinita demostrationum multitudo; periculum est ne sophismate, seu paralogismo pro demostratione vtatur, nisi logicam habeat adiutricem. Neque igitur Mathematica ipsa in statu perfecto sine ope logicæ acquiretur; quamuis etiam pueri sibi aliquid scire videantur in mathematicis.

Quoad Physicam autem est maxime necessaria logica, quia quãuis Physicus in specu-lan-

culando ens sensibile, quod habet pro obiecto adiuuetnr à sensibus: tamen nisi à logica dirigatur vix vnquam procedet sine terrore, atque formidine in inuestigandis rerum causis vt experientia constat. Logica vero quamuis versetur vel circa res omnes, vel circa intellectum, vel circa operationes mentis non est adeo difficilis, quia circa obiecta prædicta versatur secundum aliquem modum sibi proprium non valde difficilem: puta si habet pro obiecto res omnes: non ita versatur circa ipsas vt illarum quidditatem proprietates, & causas consideret. Hoc enim ad alias scientias spectat: sed solum illas considerat in esse secundo intentionali, hoc est provt cognitas: considerando processionem vnius cognitionis ab alia, puta conclusionis à præmissis & alia huiusmodi. Si habet pro obiecto intellectum: non considerat naturam, & proprietates intellectus, quod spectat ad Animasticam, sed solum considerat illum vt perfectibilem per hanc, & illam cognitionem elicitam secuudum has, vel illas leges, quas tradit. Denique si pro obiecto habet operationes mentis non considerat illas secundum omnes rationes, sed secundum quasdam easque faciles, puta secundum modum, quo conuertuntur, quo sibi æquipollent, quo disponuntur in forma syllogistica, quæ omnia sunt facillima habentibus tantillum Logicæ naturalis, hoc est pauculum rationis.

QVESTIO II.

De obiecto Logicæ.

ARTICVLVS I.

Diuiditur obiectum in materiale, & formale.

RES quam cognoſcis eſt obiectum tuæ cognitionis, quam vides tuæ viſionis, quam amas tui amoris, quam deſideras tui deſiderij, & ſic de cęteris. Illud igitur circa quod actus, vel habitus, vel potentia verſatur; obiectum actus, vel habitus, vel potentię nuncupatur. Ita ſonorum dicitur obiectum potentiæ auditiuæ: coloratum viſiuæ; quia viſus percipit colorta, & auditus ſonora. Ens ſenſibile dicitur obiectum Phyſicæ, quia Phyſica ens ſenſibile ſpeculatur. Ens, ſine vlla reſtrictione aſſignatur pro obiecto Metaphyſicæ, quia circa ens, ſecundum totam ſuam amplitudinem Metaphyſica occupatur.

Diuiditur autem multipliciter obiectum. Prima diuiſio fit in materiale & formale. Materiale in ſcientijs dicitur, rès, quæ à qualibet ſcientia conſideratur; formale vero ratio illa ſecundum quam, vel propter quam à ſcientia cōſideratur. Sciendum eſt enim eamdem rem eſſe indifferentem ad diuerſas ſcientias, provt eadem res ſecundum diuerſas rationes eſt contemplabilis. v. g. Quantitas vt ens conſideratur à Metaphyſica, quæ pro motiuo formali ſuarum contemplationum habet rationem entis. Spectat enim ad Methaphyſicam paſſiones entis ſpeculari; paſſio autem

tem

tem entis vt entis cuilibet rei conuenire debet; quia quælibet res est ens, vt diximus, & consequentur passio entis pro vt entis demostrata à metaphysica tam conuenit quantitati quam cuilibet alteri rei adeoque, & quantitas, & quælibet alia res rectè dicitur considerari à Metaphysica sub ratione entis.

Rursus eadem quantitas vt affectio corporis sensibilis consideratur à Physica, quæ pro motiuo formali suarum speculationum habet rationem sensibilis. Eadem vt extensio seu dimensio quædam consideratur à Mathematica, cuius est numeros, & magnitudines contemplari: itavt ratio extensi in quantitate, seu potius in Ente, sit ratio secundum quam consideratur à Mathamatica. Sensibilitas ratio secundum quam consideratur à Physica, ipsamet vero ratio entis sit ratio secundum quam consideratur à Metaphysica. Ex quibus habes quod ens, vt ens erit obiectum Metaphysicæ? vt sensibile, obiectum Physicæ; vt extensum Mathematicę reduplicando semper per particulam *vt* obiectum formale scientiarum, quæ eamdem rem sed diuersimode speculantur. Hanc Doctrinã hausimus ex Philosopho secundo Physicorum textu 17. & seqq;

Sic etiam eadem res potest esse materia siue obiectum materiale diuersarum artium, quæ ratione vel diuersi obiecti formalis, vel diuersæ rationis formalis *sub qua* diuersificabuntur. Ita lignum quod est obiectum materiale artis scissoriæ est etiam obiectum materiale Nauifactiuę, & Statuariæ. Nam & Scissor, & Nauium faber, & Statuarius circa lignum versantur.

Dixi

Dixi, *vel diuersi obiecti formalis, vel diuersæ rationis formalis sub qua*; quia posset aliquis opinari ad diuersificandos habitus speculatiuos requiri quidem diuersitatem obiecti formalis, non verò ad diuersificandos habitus practicos. Ratio esse posset quia in habitibus speculatiuis ratio formalis subqua res consideratur est obiectum formale non autem in practicis. Nam in habitibus practicis nomine obiecti formalis intelligitur ipsa forma, quæ in materiā est introducenda, & propter quam introducendam habitus circa talem materiam occupatur. v.g. talis dispositio localis introducenda in colores per quā Cęsarem repræsentent, est obiectum formale Pictoriæ. Talis figura inducenda in marmor per quam repræsentet leonem dicitur obiectum formale Statuariæ, & sic de cæteris.

Contingit autem, aiunt, artes esse diuersas cum identitate, & obiecti materialis, & obiecti formalis, per solam diuersitatem rationis formalis sub quas puta ars fusoria, & ars malleatoria in idem aurum inducunt formā Pontificis; adeoque vtraque circa eamdem materiam occupata eamdem insuper formam intendit. Sed malleatoria versatur circa aurum, quatenus malleabile, seu tusile; fusoria circa idem quatenus fusile; hæc enim liquando, illa tundendo ex auro Pontificem facit. Hanc autem diuersam rationem sub qua circa eamdem materiam Malleatoria, & Fusoria occupantur sufficere volunt ad diuersificandas secundum speciem duas hasce artes.

Verum hæc Doctrina quamuis in assignando obiecto formali habitibus practicis dicendo illud esse formam ipsam, quæ in mate-

materiam ab habitu, & ex intentione habitus introducitur quamuis inquam in hoc puncto placeat, non tamen in cæteris omnino arridet, quia diuersa sensibilitas obiectorum sensibilium non diuersificat habitus speculatiuos, ergo nec diuersa figurabilitas, hoc est diuersa ratio sub qua res est figurabilis diuersificabit habitus practicos. Explicatur antecedens omne sensibile pertinet per modum obiecti ad Physicam: at inter sensibilia alia sentiuntur per visum, alia per auditum, alia per tactum *&c.* Nec tamen totidem ponuntur scientiæ, quot sunt huiusmodi sensibilitates. Eodem modo licet inter figurabilia alia figurentur, per fusionem, alia per malleationem, item licet idem sit & per fusioné, & per malleationem figurabile non propterea erit, vel erunt diuersorum habituum. Et quemadmodum in sensibilibus non attenditur ad hanc vel illam sensibilitatem, sed ad rationem sensibilis, quæ dicitur simpliciter, & absolutè *ratio formalis sub qua.* Ita in figurabilibus non attenditur ad hanc, vel illam rationem sub qua res est figurabilis, sed ad rationem figurabilis, quæ dicitur simpliciter: *ratio formalis sub qua.*

ARTICVLVS II.

Colliguntur aliqua ex dictis.

Collige primo obiectum materiale, non differre à formàli per hoc, quod materiale consideretur à scientia, non vero formale; sed per hoc quod ad rationé obiecti materialis sufficit quod consideretur: ad formale vero, requiritur insuper quod sit ratio secun-

cundum qüam, vel propter quàm materiale respicitur.

Collige secundo non necessario obiectum formaleà materiali distingui. Nā si res aliqua secundū se ipsā, vel propter se ipsā consideretur: adeoq; sit simul res considerata, & ratio secundū quā vel per propter quam consideratur, erit respectu talis cōsiderationis obiectū materiale simul & formale. Hoc modo diuina esentia est obiectum materiale simul, & formale visiouis beatæ: materiale, quia est res visa, seu terminans visionem; formale quia per se ipsam, & propter se ipsā videtur, & ad sui visionē mouet. Eodē modo diuina bonitas est obiectum, tam materiale, quam formale Charitatis: materiale quia illā amamus, formale, quia propter illā, seu propter se ipsam.

Collige tertio, rationem formalem sub qua, tam in habitibus speculatiuis, quam in practicis præsuponi ad actus, qui per eosdem eliciuntur: nam, & Physica præsupponit sensibilitatem in corpore, & Statuaria figurabilitatem in marmore circa quod occupatur. In practicis tamen non præsupponitur obiectum formale: quia obiectum formale est forma inducenda per habitum: voco autem habitum speculatiuum cuius finis est cognoscere, practiuum vero cuius finis est operari.

Quæres cur ratio formalis sub qua respectu habitus speculatiui sit obiectum formale, non autem respectu habitus practici.

Respondeo disparitatem petendam esse à priori ex natura vtriusque habitus. Habitus speculatiuus est pure cognoscitiuus, siue quod idem est sistit in contemplatione sui

obiecti. Practicus autem est operatiuus, seu progreditur ad operationem sui obiecti. Ratio autem propter quam cognoscimus, seu motiuum cognoscendi præexistit cognitioni ad quam mouet. Ratio vero propter quam operamur non præexistit cognitioni dirigenti ad opus, sed illam consequitur. Hinc recte dixeris Physicus cognoscit hoc corpus quia est sensibile; Statuarius considerat hoc marmor vt illud artificiose figuret. In prima propositione affertur motiuum scientiæ speculatiuæ: scilicet Physicæ. In secunda motiuum scientiæ practicæ, scillicet Statuariç. Motiuum autem, & obiectum formale, tam respectu potentiarum, quam respectu habituum sunt vnum, & idem.

ARTICVLVS III.

Aliæ diuisiones obiecti.

SEcunda diuisio fit in obiectum atributionis, & obiectum attributum, seu communitatis. Obiectum attributionis, est illud quod primo, & per se consideratur à scientia & per ordinem ad quod cætera omnia considerantur. Obiectum attributum, seu communitatis, est illud, quod a scientia considera-tur non primo, & per sè, sed per ordinem ad illud quod dicitur attributionis. Exemplum sit in Physica, & Statuaria: si verum est Physicam considerare solum per se, & propter se substantiam sensibilem, substantia sensibilis, erit obiectum atributionis. Obiectum verò attributum, seu communitatis erunt & accidentia, & quæcumque alia per

ordinem ad ſubſtantiā ſenſibilem ſpeculatur ſi autem conſiderat per ſe, & propter ſe non ſolum ſubſtantiam; ſed omne enis ſentibile: ens ſenſibile erit obiectum attributionis. Attributum verò erit quidquid aliud per ordinem ad ens ſenſibile conſiderabit.

Item obiectum attributionis Statuariæ eſt ſtatua, quià hæc primario, & per ſe intenditur à Statuaria, malleus vero ſera, & haſcia, & alia id genus pertinent ad obiectum communitatis; quia non propter ſe, ſed propter ſtatuam faciendam conſiderantur à Statuaria.

Ex his facile intelliges, tam in ſpeculatiuis quam in practicis Obiectū attributionis eſſe complexum ex obiecto materiali, & formali. Aduerte autem obiter quod finis, opus, & obiectum attributionis in habitibus practicis ſunt vnum & idem. Ita in ſtatuaria obiectum atributionis eſt ſtatua, quæ ſimul eſt opus, & finis ſtatuariæ.

Denique diuiditur obiectum in totale, & partiale. Totale eſt quod adæquat totam tendentiam habitus, vel Potentiæ. Partiale vero quod eſt ſolum pars eorum, quæ à tali habitu, vel potentia conſiderantur. Ita ens ſenſibile eſt obiectum totale, ſeu adæquatum Phyſicæ, quia ſub ente ſenſibili continetur quidquid à Phyſica conſideratur: aqua vero, vel ignis, eſt partiale quia eſt ſolum pars eorū quæ ab eadē ſcientia conſiderātur. Sic etiam coloratum, eſt obiectum adæquaſum potentiæ viſiuæ, quia quicquid terminat tendentiam potentiæ viſiuæ, ſub colorato continetur. Cæruleum autem, vel viride eſt ſolum obiectum partiale, quia eſt

ſolum

ſolum pars eorum, quæ à Potentia viſiua reſpiciuntur.

ARTICVLVS IV.

Voces non ſunt Obiectum materiale Logicæ.

PRæmiſſa notitia obiecti eiuſdemque diuiſionibus, quantum ſufficit pro præſenti. Quærendum eſt quodnam ſit obiectum attributionis Logicæ: & quia obiectum attributionis ex materiali, & formali conflatur. Quærendum eſt primo, quodnam ſit obiectum materiale. In hac controuerſia. Prima ſententia eſt eorum, qui Logicæ pro obiecto materiali voces aſſignant. Primum fundamentum huius ſententiæ eſt ipſamet nominis etimologia: Logica enim dicitur à voce Græca *Logos*, quæ ſermonem ſignificat.

Secundum ſumitur ex eo quod Iſagoge Porphyrij in qua de quinque prædicabilibus agitur: ſilicet de Genere, Specie, Differentia; Proprio, & Accidente inſcribitur *De quinque vocibus*: Ergo, aiunt, Logica cuius eſt hic tractatus conſiderat voces; ſed obiectum materiale habitus eſt id quod conſideratur ab habitu, Ergo obiectum materiale Logicæ ſunt voces.

Tertium fundamentum petitur ex Logica Ariſtotelis in qua paſſim agit de vocibus, puta de Terminis, de Aequiuocis, Vniuocis, & Analogis. De nomine, & Verbo, De Oratione. Quæ omnia ſunt Voces. Hæc ſententia, Ocamo, & Nominalibus imputatur.

Quos

Quos tamen ab hac veluti calumnia magno conatu vindicat Hurtadus, quasi indignum fuerit Viris sapientibus ità sentire. Dicencendum sit.

Voces non sunt obiectum materiale Logicæ.

Probatur conclusio, quia ad hoc vt voces sint obiectum materiale Logicæ debent directè, & per se secumdum aliquam rationem considerari à Logica: sed voces nec directe nec per se secundum vllam rationem considerantur à Logica; ergo voces nō sunt obiectum materiale Logicæ. Maior patet ex definitione, & diuisione obiecti superius tradita. Minor probatur quià vel voces considerantur, quatenus sunt sonus quidam, & hæc consideratio non spectat ad Logicam, sed ad Physicam, quæ & sonum, & colorem, & alia obiecta potentiarum sentitiuarum considerat. Vel considerantur quatenus sunt significantes, & significatio vocum pertinet ad Grammaticos; ad videndum enim quid hæc vel illa vox significet, non consulis Aristotelem sed Calepinū. Vel considerantur quatenus sibi congruunt, & hoc pertinet ad eosdem Gramaticos qui precepta tradunt vt voces concordent cum vocibus puta adiectiuum cum substantiuo genere numero, & casu &c. Vel considerantur quatenus habent ornatus per tropos, & figuras quibus fiunt ad persuadendum idoneæ, & hoc pertinet ad Rethoricam; vel quatenus habent inter se Harmonicam quamdam consonantiam, & pertinet ad Musicam ergo sub nulla ratione directe, & per se considerantur à Logica.

Fundamenta sententiæ initio propositæ facile

ſacile diruitur. Ad primum dic Logicam dici à ſermone, ſed interno. Ad ſecundum dic Iſagogem, ſeu introductionem Porphyrij inſcribi *de quinque vocibus*, ſed internis, vel potius de rebus prout ſubſtantibus noſtris conceptibus. Genus enim v. g. eſt collectio plurium habentium in eſſentia aliquam ſimilitudinem, & aliquam diſſimilitudinem, prout ſubſtans cognitioni confuſæ. Vt videbitur ſuo loco, vbi & de genere, & de ſpecie tractabitur. Addè quod Iſagoge Porphyrij non eſt Logica, ſed introductio ad Logicam Ariſtotelis, vnde etiam ſi haberet pro fine explicationem illarum vocum *Genus Species &c.* Hoc ſolum intenderet, vt redderet facilius intelligibilem doctrinam Philoſophi per huiuſmodi voces ſuos conceptus explicantis.

Ad tertium dic Philoſophum agere de vocibus non per ſe, & propter ſe, ſed reductiuè ad actus internos, quorum expreſſiuæ ſunt voces nec enim aliter comunicamus noſtros conceptus quam per voces.

ARTICVLVS V.

Reſpondetur Obiectionibus.

OBijcies, voces ita diſpoſitæ vt recto definiant diuidant, & concludant, debent ſpecialiter conſiderari ab aliqua facultate: non ab alia quam à Logica, ergo à Logica. Maior probatur quia predicta diſpoſitio eſt aliqua ſpecialis bonitas ſeu rectitudo, ergo eſt aliqua ſpecialis ratio propter quam debeat ſpecialiter conſiderari, & conſequen-

ſequenter ſi Logica eſt practicâ voces conſiderat, vt illas diſponat in definitionem Syllogismum &c. Si Speculatiua hanc ipsā diſpoſitionem per quam definiunt, & ſyllogizant propter ſe contemplatur.

Reſp. negando ma, ad cuius probationem reſpondeo primo negando antec. nam diſpoſitio per quam voces recte definiunt, diuidunt,& ſyllogizant,eſt rectitudo ſeu bonitas per quam noſtris conceptibus conreſpondet. Diſponere autem voces ità vt noſtris conceptibus correſpondeant, & res eo modo alijs repræſentent,quo concipiuntur a nobis, eſt commune omni diſpoſitioni vocum intentæ à Grāmatica per quam docemur ſic loqui vt intelligamur. Quod si pro qualibet diuerſitate conceptuū multiplicentur in vocibus rectitudines, & pro qualibet ſpeciali rectitudine, ſpecialis inſtituatur facultas: tot erunt inſtituendæ facultates circa vocum diſpoſitionem, quot ſunt noſtri conceptus inter ſe diuerſi: puta:bonitas affirmationis eſt diuerſa à bonitate negationis:detur igitur alia facultas quæ dirigat affirmationes, alia quæ dirigat negationes.Hoc tamen hactenus nemo ſomniauit.

Reſpondeo ſecundo omiſſo antecedenti negando conſequentiam: nam multæ rationes ſecundum ſpeciem diuerſæ ab eodem habitu conſiderantur, & intenduntur. Figura Leonis, & figura Pecudis ſunt ſecundum ſpeciem diuerſæ, & tamen pertinent ad eamdem Statuariam. Quadratum, & circulus ſunt figuræ ſpecie diuerſæ, & tamen ad eamdem Mathematicam ſpectant, & ſic de alijs.

Dic igitur conſiderari à Logica per ſe, & pro-

propter se definitionem, diuisionem, syllogismum mentalem; non autem vocalem: talis autem dispositio vocum externarum vt internas, hoc est vt conceptus mentis exprimãt, siue illi sint definientes, siue diuidentes, siue syllogizantes, est opus Grammaticæ, non Logicæ: quæ cum sit instrumentum scientiarum consistentium in conceptibus, non in vocibus: non voces dirigit, sed conceptus. Quia tamen homines vt suos conceptus exprimant, vtuntur vocibus, ideo præcepta & exempla per voces fiunt, quæ conceptibus substituuntur.

Obicies secundo: actus externus misericordiæ, quo quis subleuet Pauperes tribuitur habitui misericordiæ, per se & directe, ergo etiam actus externus Logicæ; puta syllogismus vocalis tribui debet Logicæ per se & directè. Consequentia probatur; quia tam misericordia dirigit actus internos, quam Logica.

Resp. omisso antec. negando consequentiam. disparitas est quia actus externus misericordiæ est secundum regulam misericordiæ ipsum imperantis. At syllogismus, definitio, diuisio vocales, non sunt secundum regulas Logicæ imperantis aut dirigentis tales actus internos: sed secundum regulas Grammaticæ, ad quam pertinet ita voces disponere, vt exprimant conceptus, quicunque illi sint. Conceptus autem ipsi qui per difinitionem, diuisionem, aut syllogismum vocalem exprimuntur, à Logica diriguntur. ad probationem consequentiæ patet ex dictis: tam misericordia, quam Logica dirigunt & imperant actus internos; sed miseri-

ſericordia inſuper imperat actum externum non autem Logica, quæ de externo non curat niſi per accidens, & reductiuè ad internum.

ARTICVLVS VI.

Neque res omnes ſunt obiectum materiale Logicæ.

VT intelligas ſententiam quam pro titulo ponimus ſuppone conuenire Logicæ rationem habitus practici, hoc eſt non pure contemplantis ſuum obiectum materiale, ſed inſuper aliquid circà ipſum operantis. Quamuis enim ex ijs qui pro obiecto Logicæ materiali res omnes conſtituunt, aliqui Logicam diuidant in duos habitus, alterum ſpeculatiuum, & alterum practicum, vtrique res omnes pro obiecto materiali tribuentes; tamen hoc articulo, res omnes à Logica practica remouere aggredimur ſtatuentes obiectum materiale ipſius non eſſe res omnes.

Probatur autem noſtra Concluſio ex definitione obiecti materialis; quia, illud ſolum eſt obiectum materiale habitus practici circa quod habitus occupatur vt in illud formam à ſe intentam inducat, ſed hoc non conuenit rebus omnibus reſpectu Logicæ, ergo res omnes non ſunt obiectum materiale Logicæ. Maior probatur inductione per omnes habitus practicos: ſtatuariæ obiectum materiale eſt marmor, quia in marmor inducitur forma intenta à ſtatuaria. Obiectum materiale pictoriæ ſunt colores, quia in colo-

res inducitur forma intenta à Pictoria. Obiectum materiale Sutorię est corium quia in corium inducitur forma intenta à sutoria, puta forma ocreæ vel calcei, & sic de alijs minor autem videtur manifesta: nam etiam si daremus Aduersarijs quod recta operatio sit forma intenta à Logica certè recta operatio non inducitur in res tanquam in subiectum sicut forma artificialis in marmor sed, est circa res, tanquam circa obiectum repræsentatum per ipsam.

Hoc idem argumentum sic proponitur à nonullis. Obiectum materiale habitus practici est id, quod perficitur per habitum seu per formam intentam ab habitu: sed res omnes non perficiuntur à Logica seu per formam intentam à Logica, ergo res omnes non sunt obiectum materiale Logicæ.

Sed Siluester Maurus questione 9. de obiecto Logicæ practicæ lõga inductione probat, aut probare conatur ad rationem obiecti materialis habitus practici nullo modo requiri vt perficiatur, imo, ait ille, sæpe contingit vt materia, circa quam artes occupantur, per artis opera deterioretur: sic cum lignarius arborẽ cædit, quæ viuebat in syluis vt ex ea scamnum efficiat; materia illa amittit formam viuentis quæ est nobilior, & acquirit formam scamni ignobiliorem, transire autem à nobiliori ad ignobiliorem formã non est perfici sed deteriorari.

Quis non dicat, hæc esse euidentissima? verum hæc oppositio laborat in æquiuoco. Authores quando dicunt obiectum materiale perfici ab habitu practico inducente formam; nihil aliud intelligunt nisi per talem

lem habitum induci in materiam, formam aliquam, quæ antea non erat in dicta materia præscidendo ab hoc, an hęc sit nobilior an ignobilior, ea quæ per introductionem ipsius ex cluditur: ad hoc enim vt materia perfici dicatur ab habitu, sufficit quod ab habitu recipiat aliquam formam adeoque aliquam perfectionem, quam ex se pręcisè considerata non habet. Hoc etiam modo agens naturale dicitur perficere materiam primã quamcunque tandem formam in ipsã inducat, quamuis sæpe contingat vt introducendo vnam, alteram nobiliorem expellat ita accidit quando inducendo formam cadaueris expellit formam viuentis cum ea incompossibilem. Cum igitur constet res omnes ita se habere post operationes Logicas sicut se habebant antea, quia vt aiunt nostrum cogitare nihil ponit in re: constat res omnes non esse obiectum materiale Logicæ.

Dices etiamsi res non immutentur intrinsece per operationes intellectus tamen immutantur extrinsecè, & acquirũt aliquam formam saltem extrinsecam de nouo. Fiunt enim ex non cognitis cognitæ, per denominationem saltem extrinsecam à cognitione ipsas respiciente.

Resp. quod etiam per Pictoriam, & Statuariam res immutantur extrinsice, & aquirunt aliquam formam saltem extrinsecam de nouo. Fiunt enim ex non repræsentatis repræsentatæ, & tamen non sunt obiectum materiale Pictorię, aut statuariæ. ideoque.

Probatur secundo nostra conclusio. Obiectum materiale Pictoriæ, vel statuariæ nõ

sunt res, quæ per Pictoriam aut Statuariam repræsentantur v. g. Cæsar, Alexander &c. Sed sunt ipsi colores, & marmor, quæ ab ipsa intrinsecè immutantur per artem, accipiēdo ab ipsa formā aliquam, quā non habēt ex se, ergo neque obiectum materiale Logicæ erunt res, quæ per opus Logicæ hoc est per operationes mentis repræsentantur, sed aliquid aliud quod à Logica recipiat aliquam formam, quam ex se non habeat.

Dices Pictoria ita versatur circa colores vt in ipsis ponat imaginem Cæsaris ipsos intrinsicè immutando, & perficiendo, ita vero circa Cæsarem vt illum solum extrinsicè respiciat, & denominet effigiatum. Quotiescumque autem habitus talis est, vt formam à se intentam intrinsicè ponat in aliqua materia etiam si aliud obiectum extrinsicè respiciat, materia illa quæ per habitum intrinsicè immutatur dici debet obiectū materiale non autem id quod extrinsecè. solum ab ipso respicitur, & denominatur.

Verum hæc responsio fauet sententiæ quā Aduersarij impugnāt. Fauet enim, & ponētibus intellectum, & ponentibus operationem mentis dirigibilem pro obiecto materiali Logicæ, nam qui intellectum assignat pro obiecto materiali; statim dicet per formam intentam à Logica, nimirum per operationē rectam perfici intrinsecè ipsummet intellectum in quo recipitur cum extrinsicè solum denominet res recte cognitas, adeoque si subsistet doctrina adducta: intellectus humanus, non autem res omnes, assignari debet pro obiecto materiali Logicæ.

Qui vero operationem mentis existimāt

esse

esse obiectum materiale Logicæ dicent recti-tudinem, hoc est formam intentam à Logica recipi in ipsamet operatione, denominari autem tantum extrinsicè res rectè cognitas, & consequenter ex hac ipsa aduersariorum responsione, habes vnde impugnentur, & sententiæ ipsis contrariæ sustineantur.

ARTICVLVS VII.

Satisfit nonnullis obiectionibus.

OBijcies primò. Philosop. in ipso Logicæ initio, agit de rebus omnibus scilicet in libris prædicamentorum: & postea in alijs libris de operationibus intellectus: ergo res omnes secundum Philosophum sunt obiectum materiale Logicæ, operationes rectę formale: solet enim in habitibus practicis cognitio materiæ præmitti cognitioni formæ.

Resp. concesso antecedenti negando consequentiam: ratio cur Philosophus egerit primo loco de prædicamētis, est quia traditurus præcepta rectè operandi voluit prius rudem quandam rerum omnium cognitionem præmitere, vt subministraret materiam circa quam pręcepta Logicæ exercerentur. Cæterum, ex hoc ipso constat res omnes non esse obiectum logicæ, non enim ruditer, & in ordine ad aliud, sed accuratè, & propter se considerari debet à qualibet facultate quidquid ipsi pro obiecto tribuitur. Certè non potuit intendere Aristoteles vt ea omnia de quibus agit in libris predicamento

rum per Logicam perfectè cognoſcantur nam fruſtra præter Logicam alias ſcientias quærimús ſi per Logicam omnia ſcimus. Hoc igitur ſolum potuit intendere, vt intellectus Logica bene inſtitutus rerum omnium cognitionem ſecurius inueſtiget.

Obicies ſecundo ſi res rectè cognitæ ſunt obiectum attributionis; res omnes ſunt obiectum materiale Logicæ, ſed res rectè cognitæ ſunt obiectum attributionis; ergo res omnes ſunt obiectum materiale. Maior eſt certa nam obiectum attributionis continet, & obiectum materiale, & obiectum formale adeoque, ſi obiectum attributionis Logicæ ſunt res recte cognitæ res ipſæ erunt obiectum materiale, recta cognitio formale; minor vero de qua ſolum poteſt eſſe cõtrouerſia probatur. Illud eſt obiectum attributionis cuiuslibet habitus practici quo obtento talis habitus quieſcit, & eſt contentus: Quo non habito non eſt contentus, ſed habitis rebus bene cognitis Logica eſt contenta, non habitis non eſt contenta, ergo res bene cognitæ ſunt obiectum attributionis Logicæ.

Maior probatur primo inductione. Obiectum attributionis ſtatuariæ eſt ſtatua, quia habita ſtatua, ſtatuaria eſt contenta, non habita non eſt contenta. Obiectum attributionis ſutoriæ eſt calceus, quo habito ſutoria eſt contenta, non habito non eſt contenta, & ſic de cæteris. Probatur ſecundo ratione; quia vt diximus, ſupra obiectum attributionis, & finis reſpectu habitus practici ſunt omnino idem: vnum quodque autem obtento fine quieſcit, & eſt contentum, non obtento

tento non eſt contentum, ſed vlterius mouetur ad ipſum. Minor etiam probatur, quia habitis rebus benecognitis non habet vlterius Logica quod quærat, non habitis vero, debet vlterius tendere cum ideo tantum inuenta ſit vt res bene, & perfectè cognoſcantur.

Reſp. conceſſa ma. negando mi. ad probationem minoris reſpondeo primo retorquendo argumentum: illud eſt obiectum attributionis habitus practici, quo obtento talis habitus quieſcit, quo non obtento non quieſcit: ſed obtento intellectu bene operante Logica quieſcit, non obtento non quieſcit ergo intellectus bene operans eſt obiectum attributionis Logicæ. Idem plane dic de operatione recta illud eſt obiectum attributionis habitus practici, quo habito habitus quieſcit ſed habita operatione recta, Logica quieſcit; ergo obiectum attributionis Logicæ eſt operatio recta, & pro hoc argumento valent ea omnia, quæ ab Aduerſarijs dicta sũt ſupra; videlicet & inductio per Statuariam, Sutoriam, & alios habitus practicos & ratio petita ex identitate inter obiectum attributionis, & finem.

Reſp. ſecundo diſtinguendo maiorem: illud eſt obiectum attributionis quo obtento quieſcit formaliter habitus con. ma. quo obtento conſequenter quieſcit habitus nego ma., & eodem modo diſtincta minori; nego conſequentiam · ſiuè obiectum attributionis Logicæ, ſit intellectus rectè operans, ſiuè ipſemet recta operatio, eſt impoſſibile, quod res recte cognoſcantur quin eo ipſo habeatur vtrumque. Et conſequenter quin eo ipſo habeatur id in quo formaliter quieſcit Lo-

gica. Si vero intellectus rectè operans sit obiectum attributionis ipsius, quiescit formaliter in intellectu bene operante: si recta operatio in recta operatione.

Quamuis autem ista sint inseperabilia potest vnum ex his esse ratio in qua formaliter quiescat Logica, eo quod sit finis ipsius, absque eo quod etiam alterum habeat rationem finis, etiam si quolibet ex his habito habeatur per necessariam consequentiam idin quo per se, & propter se quiescit Logica. Porro sicut & recta operatio infert necessario intellectum rectè operantem, & e conuerso, ita etiam res rectè cognita necessario infert vtramque, adeoque non est mirum si habitare recte cognita Logica quiescat quando quidem re bene cognita necessario datur, & recta cognitio, & intellectus rectè cognoscens.

Obijcies tertio, Logica est Instrumentum scientiarum, sed scientiæ sunt vt res euidẽter, & certo, & per suas causas sint cognitę: ergo etiam Logica est vt res bene euidenter, & certo per suas causas cognoscantur: Ergo finis Logicæ sunt res bene cognitæ.

Resp. dupliciter intelligi posse quod Logica sit instrumentum scientiarum primo, ita vt Logica sit habitus quidam, quo instituitur seu præmunitur intellectus vt facilius acquirat habitus scientificos: & in hoc sensu melius diceretur instrumentum intellectus ad scientias acquirendas quam instrumentum scientiarum, sicut malleus melius dicitur instrumentum. Fabri, quam scamni quamuis Faber ad fabricam scamni, vtatur malleo. Secunda ita vt Logica sit habitus

bitus quidam, ex cuius directione habitus scientifici suos actus eliciunt circa propria obiecta. Et in hoc sensu magis proprie dici potest instrumentum scientiarum: Nam ex directione Logicæ scientiæ definiunt, diuidunt, & syllogizant.
In neutro autem ex his sensibus habet pro obiecto res recte cognitas: non in primo quià tunc finis illius erunt habitus scientifici, qui non sunt res rectè cognitæ, sed virtutes quædam intellectuales, quibus anima certo, & infallibiliter & per causas, & euidenter cognoscit hæc, & illa obiecta. Non in secundo: quia tunc finis Logicæ erunt actus ipsi qui eliciuntur à scientijs: actus autem qui eliciuntur à scientijs, non sunt res rectè cognitæ, sed rectæ cognitiones rerum. Vnde apparet cōfundi hic ab Aduersarijs obiectum Logicæ, cum obiectis actuum elicitorum ex directione Logicæ; concedimus autem res omnes esse obiecta actuum, qui, Logica dirigente, eliciuntur à scientijs, non autem esse obiectum materiale Logicæ, nisi remotum.
Ad argumentum in forma: concessa ma. nega mi. si pro fine habituum scientificorum petat res rectè cognitas, non autem solos actus elicitos ab ipsis, qui sunt rectæ cognitiones rerum vbi aduerte duas istas propositiones. *Finis Physicæ est ens sensibile rectè cognitum*, & *finis Physicæ est recta cognitio entis sensibilis*; esse inter se diuersas: quamuis & recta cognitio entis sensibilis necessario inferat ens sensibile rectè cognitum; & ens sensibile recte cognitum necessario inferat rectam cognitionem entis sensibilis.
Obicitur quarto Philosophus quarto Me-

thaph. tex. quinto dicit quod Dialectica, ſicut & Philoſophia, hoc eſt Methaphiſica de omnibus rebus diſputat ergo res omnes ſunt obiectum tam Dialecticæ, quam Philoſophiæ.

Reſp. quod Ariſto. non loquitur ibi de Logica docente de qua hic agimus, ſed de vtēte:imo nec de vtente ſecundum ſe totam, ſed de parte vtentis:ſcillicet de Topica quæ, vt ibidem ait Philoſophus diſputat tentatiue de omnibus, adeoq; hæc authoritas Philoſophi non facit ad rem. Quod ſi quis vellet Philoſophum ibi loqui de Logica docēte, dicendum eſſet aſſignari quidem à Philoſopho dialecticæ res omnes pro obiecto, ſed remoto. In forma ad argumentum potes cōcedere totum, intelligendo nomine Dialecticæ id quod intelligit Philoſophus, habitum videlicet de rebus omnibus tentatiuè, & probabiliter diſſerentem.

Obicies quinto. Omnia præcepta logicę eo tendunt, vt operationes conformentur rebus: ergo Logica habet pro obiecto res ipſas. Antecedens probatur. Hæc præcepta: *definitio conſtare debet ex genere, & differentia. Conuerti debet definito. Diuiſio debet adæquare diuiſum*. Nequeunt explicari niſi attingendo res ipſas; ergo Logica per ſua præcepta verſatur circa res ipſas.

Confirmatur quia conflatum ex cognitione, & obiecto dicitur ens logicum.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens, vt operationes conformentur rebus tāquam obiectis operis logici concedo antecedens, tanquam parti operis logici nego antecedens, & conſequentiam. Ad probationem antecedentis,

dentis, respondeo cum distinctione: præcepta illa non possunt explicari nisi attingendo res, vt terminum, & obiectum operis: concedo antecedens, vt partem, & materiam operis nego antecedens, & consequentiã. Quando logica dicit: definitio cõuenire debet cum definito, docet quamlibet scientiam cuius rationis cognitionem habere debeat circa suum obiectum, vt habeat cognitionem definitiuam eiusdem, talem scilicet vt quidquid dicitur de significato, per definitionem dici possit de significato per definitum. Idem proportionaliter dic de alijs præceptis. Ad confirmationem dic *quod totum logicum* dicitur non solum de ente cognito, adeoque non solum de conflato ex obiecto, & cognitione, sed etiam de multis alijs, in quibus importatur forma extrinseca rei denominatæ: & consequenter ab hac denominatione entis logici, quæ conuenit cognito male infertur ens cognitum recte adscribi logicæ pro obiecto. Amatum, desideratum, visum, & alia huiusmodi innumerabilia dicuntur tota logica, & tamen ista non assignantur Logicæ pro obiecto.

ARTICVLVS VI.

Soluuntur aliæ obiectiones.

OBijcitur preterea. Obiectum materiale habitus practici est id, cui prædictus habitus adaptat formam, quam intendit, sed id cui Logica adaptat formam quam intendit sunt res omnes; ergo res omnes sunt obiectum materiale logicæ. Maior probatur inductio-

ne facta per omnes facultates practicas. Marmor est obiectum materiale Statuariæ, quia Statuaria formam à se intentam; puta similitudinem Cæsaris adaptat marmori. Ferrum est obiectum materiale Frænifactoriæ, quia formam fræni à se intentam adaptat ferro. Cæmenta, & lapides sunt obiectum materiale Domifactiuæ, quia Domifactiua formam domus à se intentam cæmentis & lapidibus adaptat, &c. Minor autem probatur quia forma intenta à Logica, est operatio intellectus recta, nimirum definitio, diuisio, & argumentatio: sed totus labor, & artificium logicæ eo tendit vt prædictæ operationes rebus omnibus adaptentur; ergo id cui Logica adaptat formam, quam intendit sunt res omnes.

Respondeo distinguendo maiorem, illud est obiectum materiale, &c. cui adaptat formam tanquam subiecto; concedo maiorem: tanquam obiecto extrinseco; nego maiorem; & eodem modo distincta minori nego consequentiam. Ad probationem maioris retorquetur tota inductio nam & Statuaria adaptat formam Cæsaris marmori, & Frænifactoria formam fræni ferro tanquam subiecto: hæc autem totum frænum adaptat ori equino; illa totam statuam Cæsari. Quemadmodum igitur, totum artificium Logicæ est in adaptanda cognitione rebus, hoc est in recte cognoscendo: ita totum artificium Pictoriæ est in adaptanda figura rebus, hoc est in recte pingendo: hæc adaptat imaginem realem, illa intentionalem rei representatę. Et quia hac paritate inter Pictoriam, & Logicam, vtpote fundata in idenitate rationis pro vtraque facultate, premuntur Aduersarij: ideo:

Da-

Dicunt esse disparitatem manifestam inter hanc, & illam, in ordine ad rem intentam. Præcipua inquiunt dificultas Logicæ, seu in quam incurrit Logica est superanda circa res ipsas: At vero precipua imo tota difficultas quam habet Pictoria non est superanda circa res ipsas quæ repræsentantur; sed circà colores hoc vel illo modo disponendos inter se, vt Cæsarem potius, quam Lactucam, repræsentent, vel è conuerso. Item precipua difficultas Statuariæ non consistit in cognoscendo qua ratione statua conformanda sit obiecto, quod repręsentat, sed in vincenda resistentia marmoris difficulter hanc vel illam figuram recipientis.

Respondeo disparitatem allatam non facere ad rem, magis quam si diceres in hoc disparem esse operationem intellectus à marmore, & colore, quod hic liquidus sit, illud durum, cum operatio intellectus nec liquida sit, neque dura. Certum est difficile esse res cognoscere: Vnde autem hoc oriatur nunquam ineptius dicetur quam cum dicetur oriri ex resistentia rerum obstantium cognitioni sui. Difficultas res cognoscendi sapienter refunditur à Philosopho secundo Metaphysicæ in imbecillitatem intellectus humani, se habentis ad manifestissima naturæ sicut se habet oculus noctuæ ad lumen solis. Quemadmodum igitur male philosopharetur qui diceret ideo lumen solis non percipi à noctua, quia resistit visioni circa se exercēdę: Ita etiam male phylosophantur qui dicunt res ab intellectu humano non nisi difficulter percipi quia resistunt cognitioni circa se exercendæ. Imo quemadmodum lum[illegible]

solis

Solis etiam in oculos noctuarum sese liberaliter effundit; ità etiam res omnes sese intellectui humanò spõtè obijciunt, vt huius, non illarum infirmitas sit non videre.

Prætereà vix vnquam Pictorem audies dicentem, colores resistere huic, vel illi dispositioni, & ideo difficilem esse artem pingendi, nihil est obedientius coloribus, quæ facilius cadauere tractari se sinunt, & ibi cõquiescunt vbi à pennicillo collocantur: marmor autem quamuis scalpro resistat, non magis tamen bonæ, quam prauæ figuræ resistit; cum longe difficilius sit bonam, quam prauam figuram inducere. Idque adeo manifestum fit, quam manifestum est plures esse Statuarios malos, quam bonos.

Insuper pro obiecto materiali saltatoriæ recte assignatur ratio saltus, rectitudo autem seu bonitas saltus, pro formali; saltus vero rectus seu bona saltatio, & numerosa pro obiecto attributionis: & tamen ratio saltus non resistit bonitati, seu numerositati intentæ per artem: certè saltui vt sic magister saltus numquam irascitur si Nouitius prauè saltet; sed modo duritiem auris, modo crassitiem tibiarum incusat.

Denique scito, modo recte cognoscendi difficultas circà res cognoscendas superatur per scientias; non autem per logicam. Scire autem quomodo res debeant cognosci non est artificium, aut opus logicæ, sed ipsamet logica: sciut scire quomodo res debeant depingi non est artificium Pictoriç, sed ipsamet Pictoria.

AR-

ARTICVLVS IX.

Vtrum ens rationis sit obiectum Logicæ.

ENs rationis multipliciter accipitur primo pro ente chimerico hoc est pro aliquo impossibili non habente, nec habere potente vllum esse nisi mere obiectiue in intellectu: Huiusmodi est *Hircoceruus*; *homo, non homo*, & quodlibet constans prędicatis inter se repugnantibus. Secundo accipitur pro ipsamet operatione intellectus, quæ vere est ens rationis, cum tota sit,& in intellectu, & ab intellectu, qui est ipsamet ratio. Tertio. Pro denominationibus seu concretis secundo intentionalibus. Hoc est pro quolibet composito ex re & cognitione: vno verbo pro rebus cognitis, vt cognitis: & in hoc sensu accipitur ens rationis ab ijs,qui res pro obiecto materiali rectam cognitionem, pro formali Logicæ assignarunt. Quod etiam appellatur ens rationis logicum.

Rursus concretum hoc secundo intentionale:puta *cognitum*, *prædicatum*, *subiectum*, & alia huiusmodi, qua ratione constituatur in esse cogniti, seu in esse secundæ intentionis, non est vna omnium sententia. Scotistæ existimant cognitum constitui formaliter in esse cogniti per entitatulam quamdam quam vocant ens diminutum,resultantem ex illis actibus quibus tendimus in obiecta. Huiusmodi autem ens diminutum est purè ens rationis, tam in esse, quam in conseruari pendens à sola ratione, nec requirens vllum subiectum, in quo sit. Hinc est quod potest

con-

constituere formaliter cognitas res etiam non existentes. v. g. beneficio talis entitatulæ nunc est cognitus Antichristus licet nondum existat, imo sunt cognita etiam obiecta nunquam extitura, vt alter mundus, & fortasse impossibilia: vt alter Deus.

Thomistæ vero existimant cognitum in ratione cogniti constitui formaliter non per ens diminutum resultans circa obiectū, quod dicitur cognitum; sed per quamdam relationē quam concipit intellectus, dum comparat obiectum cognitum provt cognitum cum potentia cognoscitiua. Doctrinam hanc Thomisticam hoc exemplo intelliges; intellectus cognoscit arborem, deindè alia cognitione cognoscit arborem esse à se cognitam. Per hanc secundam cognitionem aiunt illi, fingit circa arborem relationem quandā, per quam comparata cum ipsomet intellectu, habet respectu ipsius rationem cognitę ad cognoscentem. His positis.

Nos tam contra Scotistas, quam contra Thomistas cum alijs innumeris sentimus: dicimus enim res esse, & constitui formaliter cognitas per ipsummet actum intellectus, tanquam per formam extrinsecè denominantem obiectū quod respicit, & hanc sentētiam dum probamus, vtramque ex relatis superius efficaciter reprobamus.

Probatur autem sic. Per hoc præcise quod intellectus tendat in aliquam rem, res illa est & denominatur cognita: Item per hoc precisè quod intelligā meum intellectū tendere in illam rem, cognosco illam rem esse à me cognitam: Ergo sine vlla resultantia vllius entis diminuti in obiecto, seu circa obiectum

iectum, obiectum eſt & denominatur cognitum. Et ſimul ad hoc vt cognoſcam illam rem eſſe à me cognitam, non eſt neceſſe me fingere vllam relationem inter rem cognitã, & potentiam cognoſcentem. Vtraque conſequentia eſt manifeſta: ſi enim per meam cognitionem pręciſe res vere, & proprie eſt cognita, Denominatio cogniti non indiget vllo alio ad ſui conſtitutionem; & conſequenter fruſtra eſt reſultantia entis diminuti. Item ſi per hoc pręciſe quod cognoſcam meã cognitionem tẽdere in illam rem; cognoſco illam rem eſſe à me cognitam: ad hoc cognoſcendum non requiritur vlla fictio; & conſequenter inter rem cognitam, & potentiam cognoſcentem non eſt neceſſe vllam relationem fingere, vt intelligam hanc circà illam verſari.

Dicunt per actum intellectus obiectũ eſſe quidem fundamentaliter cognitum, conſtitui autem cognitum formaliter per ens diminutum neceſſario reſultans ex mea cognitione circa obiectum. Hoc fere modo aer eſt fundamentaliter lucidus per præſentiam ſolis, formaliter autem per lucem neceſſario reſultantem in ipſo ad preſentiam ſolis.

Reſpondeo non ſolum fundamentaliter ſed formaliſſime per meam cognitionem obiectum conſtitui, & denominari à me cognitum, quia poſita mea cognitione circa parietem, & præciſa qualibet alia entitate: eſt in omni rigore verum *paries eſt à me cognitus*. Hoc autem dici nequit de aere, poſita præciſe præſentia ſolis; quod ſcilicet aer ſit lucidus: Qui enim ſolum concipit præſentiam ſolis, & nihil aliud non concipit lucidum

aerem

aerem, sed oportet insuper quod concipiat lucem ipsam receptam in aere.

Rursus cognoscendo hoc pręcisè: nimirum quod meus intellectus tendat per actum suũ in lapidem, & nulla alia ratione concepta, cognosco lapidem esse à me intellectum: & quemadmodum requiritur in aere lux per quam formaliter, & intrinsece denominetur lucidus, & preterea nullũ aliud figmentũ, aut ens diminutum; Ita etiam ad hoc vt lapis sit & denominetur cognitus requiritur cognitio, quæ versetur circa lapidem, adeoq; forma cogniti poterit esse extrinseca obiectis ita denominatis. Quod dico de forma cogniti intellige de forma subiecti, predicati, aliorumque similium: subiectũ enim prædicatum, & alia huiusmodi per cognitionem in esse talium constituuntur. Nam esse subiectum est esse hoc modo cognitum vt de ipso aliquid affirmes aut neges, esse prædicatum est de alio negari, vel affirmari, & sic de ceteris, quæ omnia per actus nostri intellectus formaliter habentur: frustra est igitur & figmentum Thomisticum, & ens diminutum Scotistarum.

Obserua tamen obiter, quod res cognita potest, quatenus talis, dici habere aliquod esse diminutum; eo quod esse simpliciter constitui nequeat per esse pure intentionale, quale est illud, quod habent res per actum intellectus. Puta esse cogniti quod habet nunc in anima mea Antichristus, aut alter mundus non est esse simpliciter Antichristi, aut alterius mundi. Imo huiusmodi esse intentionale componitur cum non esse simpliciter rei, quæ intentionaliter existit: Hunc enim

verè

verè & propriè ſtant ſimul & non eſſe, ſeu negatio Antichriſti,& eſſe intentionale eiuſdem : quod tam facilè percipies, quam percipies , te cogitare de re quæ non eſt.

Iam igitur vt dubitationem propoſitam reſoluamus . Dico primo ens rationis primo modo acceptum,videlicet pro ente chimerico, non eſſe obiectum Logicæ . Hæc concluſio & nobis, & ijs,qui ponunt res omnes pro obiecto Logicæ communis eſt : non tamen illos, æquè ac nos decet. Nam ſi res omnes ſunt obiectum Logicæ;etiam impoſſibile habebit rationem obiecti : cum definitiones, & ſyllogiſmi æque circà impoſſibile fiant , ac circa quodlibet aliud obiectum : ſi verum eſt vt hic ſupponimus impoſſibile contineri in obiecto adæquato intellectus humani ; Quæcumque autem diſparitas aſſignetur inter poſſibile & impoſſibile quoad punctum præſens nulla erit.

Vbi aduerte diuerſitatem inter iſtas duas propoſitiones;*Logica habet pro obiecto etiam ipſum impoſſibile.* Et: *impoſſibile eſt obiectum Logicæ.* Senſus primæ eſt logicam verſari etiam circa impoſſibile illud definiendo & circa illud ſpeculando . Secundæ:impoſſibile eſſe quod logica verſetur circa vllum obiectum . Prima,in ſententia à nobis impugnata ſuperius deberet admitti pro vera : ſecunda in omnium ſententia eſt falſa.

De ente rationis in ſecunda acceptione, videlicet pro actu intellectus dicemus poſtea: De ente rationis Logico.

Dico ſecundo. Ens rationis Logicum non eſſe obiectum Logicæ. Hæc concluſio probatur

tur ex dictis. Nam si res non sunt obiectum materiale; res cognitæ, quæ sunt ens rationis logicum, non sunt obiectum attributionis sed res ipsæ non sunt obiectum materiale, ergo, &c. minor probata est supra.

ARTICVLVS X.

Obiectum materiale Logicæ, est operatio; formale, rectitudo: attributionis, operatio recta.

ENs rationis tam Scotisticũ consistens in ente diminuto quam Thomisticum in relatione rationis seu ficta, eo ipso quod remouimus a secundis intentionibus remouimus ab obiecto Logicæ, quando quidem id vnum tam Scotistę, quam Thomistæ intendunt per ens diminutum, & relationem fictam, vt habeant secundas intentiones hoc est denominationes *cogniti, generis, speciei,* & reliquas. Superesset autem alia sententia circa obiectum Logicæ impugnanda, quæ pro intellectu humano stat; hanc tamen dum nostrã adducimus, & contra Aduersarios propugnamus, impugnabimus quantum satis erit,

Nostra igitur conclusio tres continet partes prima est: operatio vt sic est obiectum materiale Logicæ. Probatur hæc prima pars: quia illud est obiectum materiale Logicæ, quod per se consideratur à Logica vt in ipsũ formam à se intentam inducat, sed operatio mentis est huiusmodi: ergo est obiectum materiale Logicæ. Maior constat ex ijs quæ diximus diuidentes obiectum, minor probatur, quià omnia præcepta logicæ eo spectant, vt opera-

operationes intellectus, definitiones, diuisiones, ratiocinationes sint rectæ: ergo rationem operationis Logica considerat, vt id in quod inducat formam à se intentam.

Secunda pars est. Obiectum formale est rectitudo. Probatur autem sic. Obiectum formale in habitibus practicis est illa forma quę per habitū inducitur in materiale: sed rectitudo est illa forma, quæ per logicam inducitur in operationem, quæ est obiectum materiale; ergo rectitudo est obiectum formale. Tertia pars est. Obiectum attributionis est operatio recta. Probatur hæc tum ex dictis alibi; tum ex probatione primæ & secundæ partis huius nostræ conclusionis: Nam obiectum attributionis est conflatum ex obiecto materiali, & formali: sed obiectum materiale Logicæ est operatio, formale rectitudo; ergo conflatum ex vtroq; videlicet operatio recta, erit obiectū attributionis.

Dices: Obiectum materiale præsupponi debet formali: sed operatio non præsupponitur suæ rectitudini, ergo operatio non est obiectum materiale, nec rectitudo formale.

Resp. Disting. mai; Obiectum materiale præsupponitur logicè obiecto formali conc. mai: præsuponitur physicè: nego mai: & eodem modo distincta minori, nego consequentiam. Præsuppositionem logicam & physicā facile intelliges ex dictis quæstione prima de indifferentia logica & physica. Pręsuppositio physica ponit vnam rem, puta materiam physicę ante aliam, puta ante formam. Hoc modo lignum, ex quo compacta est hæc cathedra, præextitit seu præsuppositū fuit huic figuræ, per quam ex rudi ligno euafit in Cathe-

thedram Magistralem. Præsuppositio logica consistit in hoc, quod vna ratio ex alia legitime inferatur, vt superior ex inferiori. Hoc modo animal est prius, seu præsuppositum homini: recte enim dixeris: *Est homo, ergo est animal.* Hæc præsuppositio, quæ etiã dicitur prioritas logica, solet etiam vocari prioritas à subsistendi consequentia. Hanc habet operatio respectu cuiuscunque determinatæ operationis siue bonæ siue prauæ. Valet enim: *Est recta operatio, ergo est operatio.* Et sic de alijs.

Prioritatem huiusmodi sufficere ad rationem obiecti materialis est indubitatum; nam & in Saltatoria assignatur pro obiecto materiali saltus vt sic, & pro formali speciositas saltus: cum tamen certum sit non prius in natura existere saltum, quàm saltum speciosum. Item in Musica pro obiecto materiali assignatur sonus, pro formali speciositas soni, cum tamen musicus non prius emittat sonum, quam sonum speciosum: sed quia tam in sono specioso, quam in sono deformi reperitur ratio soni, ideo ratio soni dicitur prior sono specioso, aut deformi, prioritate iam explicata. Hanc præsuppositionem tam logicam quam physicam habebas iam explicatam vbi de indifferentia.

Scio non defuturos qui in Saltatoria humanas tibias, in quibus recipitur saltus numerosus, & in Musica aerem in quo recipitur sonus harmonicus, seu cãtus, pro obiecto materiali assignent: Sed hæc sunt adeo absona vt alia impugnatione non egeant. Eodem iure pro obiecto materiali Pictoriæ telam seu tabulam super qua disponuntur colores;

& in Statuaria basim super quam statua collocatur, vel nidulum in qua reponitur pro obiecto materiali assignabunt. Quæ omnia videntur aliena conceptu obiecti materialis.

Veritas conclusionis clarius patebit ex responsione ad obiectiones.

ARTICVLVS XI.

Satisfit nonnullis obiectionibus.

OBijcies primo. Operatio recta perficit intrinsece intellectum, ergo intellectus est obiectum materiale Logicæ. Antecedens probatur, quia operatio recta recipitur intrinsece in intellectu. Consequentia etiam probatur, quia illud est obiectum materiale artis, quod perficitur per opus artis, ergo si per operationem rectam, quæ est opus Logicæ perficitur intellectus, intellectus erit obiectum materiale Logicæ.

Resp. concesso antecedenti & eius probatione negando consequentiam; ad cuius probationem nego antecedens. Obiectum materiale artis, seu scientiæ practicæ, non est idquod perficitur per opus eiusdem, sed id quod in opere ipso perficitur per alteram partem operis, videlicet per formam intentam ab arte. Subiectum operis est subiectum obiecti attributionis, quod est constans ex obiecto materiali & formali. Operatio recta est totum opus Logicæ; hæc recipitur in intellectu; adeoque intellectus est subiectum obiecti attributionis logicæ: quæritur autem quid in ipsomet obiecto attributionis habeat rationem materiæ quid rationem formæ. Pro

materia aſſignamus operationem, pro forma rectitudinem, ex vtraque obiectum attributionis; hoc eſt opus, & finem Logicæ conſtituimus.

Inſtabis. Operatio recta habet ſolum rationem formæ, ergo non habet rationem totius operis. Antecedens probatur, quia in artibus id quod fit, habet ſolum rationem formæ; ſed tota operatio recta fit à Logica, ergo tota operatio recta habet ſolum ratione͂ formæ. Maior probatur inductione per artes, in Statuaria v. g. figura fit, & habet rationem formæ: non autem tota ſtatua dici poteſt fieri, quia in ſtatua eſt aliquid quod non fit: puta in ſtatua, marmor, aut lignum non fit ab artifice. Item in Pictoria ſola diſpoſitio colorum, non autem colores ipſi ab artifice fiunt, diſpoſitio autem eſt obiectum formale, ſeu forma intenta per artem. Idem dic de alijs innumeris. In operatione vero recta non fieri ſolam rectitudinem, ſed etiam ipſam operationem eſt euidens.

Reſp. Negando antecedens. Ad probationem, ſciendum eſt, quod docet Philoſophus in quinto Metaphyſicæ: Quaſdam videlicet artes eſſe factiuas, & quaſdam actiuas. Factiuæ præſupponunt phyſice͂ materiam circa quam verſantur & quam perficiunt: ſecus actiuæ; propterea harum finis, vt ait ibidem Philoſophus, eſt ipſummet exercitium; finis autem & opus in omnibus artibus, ſunt vnum & idem. Exempla Philoſophi ſunt in ædificatore & Citharœdo; finis Aedificatiuæ no͂ eſt ipſamet ędificatio, ſed Domus: finis citharisticæ eſt ipſamet citharizatio; hoc eſt ipſummet exercitium citharizandi. Propterea

hæc

hæc dicitur non relinquere opus post se, illa dicitur relinquere. Aliæ disparitates inter artem factiuam & actiuam alibi afferentur. Interim ad argumentum propositum responde cum distinctione: Id quod fit ab arte, est solum form;asi ars sit factiua: omitte, si actiua nega.

Dixi *omitte* quia qui bene loquuntur dicunt fieri statuam; & toti Alexandro non autem soli figuræ inscribunt: *Opus Phidiæ*: quamuis reipsa aliquid sit in illo opere quod non fit à Phidia: Quia tamen id quod non fit à Phidia tamẽ immutatur & figuratur à Phidia & per figurationem à Phidia & marmore informi euadit in Alexandrum, ideo totum dicitur opus ipsius.

Præterea si quis rem accurate & metaphysice consideret, etiam in recta operatione inueniet id quod materiam appellamus non fieri ab arte, fieri autem solum id quod dicimus formam. Oportet enim in operatione recta distinguere formaliter rationem operationis à rectitudine: & considerando non dari præcepta, vt operemur, sed vt recte operemur; rectitudo ipsa, non autem operatio tribuenda est arti.

Obicies 2. Nisi daretur intellectus, non daretur operatio recta: vel potius ideo præcise intenditur operatio recta, vt perficiat intellectum; ergo operatio recta intenditur per modum formæ, intellectus vero consideratur per modum materiæ.

Resp. Quod si non daretur pes neque daretur calceus: vnde qui pedibus carent Sutores contemnunt, sicut qui intellectu; contemnunt Logicos. Præterea ideo præcise in-

tenditur calceus vt vestiat pedem ergo calceus erit forma intenta à Sutoria eiusdemque obiectum formale: obiectum vero materiale eiusdem erit pes humanus. Eodem modo nisi essent pedes & tibiæ non daretur speciosa saltatio: Imo ideo precise intenditur speciosa saltatio, vt faciat homines speciose saltantes; ergo tibiæ & pedes erunt obiectum materiale Saltatoriç, recta autem saltatio erit obiectum formale.

Vides igitur æquiuocationem qua laborant huiusmodi argumenta; ad quam detegendam, sciendum est, aliud esse finem proximum artis, aliud finem vltimum ad quem vlterius dirigitur à Prudentia finis proximus artis. Finis proximus artis est ipsummet opus quod ab arte fit v. g. finis Sutoriæ est calceus qui fit à Sutoria. Contingit autem opus artis non esse quid propter se expetibile, sed solum gratia alterius: hinc prudentia, quæ omnibus artibus præest, hunc eundem finem vlterius ordinat. v. g. Calceum ad tutamen, vel ornatum pedis: Deficiente autem fine ad quem vlterius ordinatur, ars prædicta esset imprudenter instituta. v. g. Si noua lex fieret in natura, vt omnes homines sine pedibus nascerentur; prudentia dictat tunc abolendam fore artem sutoriam, & Sutores omnes, si in cæteris inutiles forent Reip: è Republica abigendos. Quod dico de Sutoribus intellige de infinitis alijs.

Aduersarij autem à fine quem proximè intendit ars animum transferunt ad vlteriorē finem ad quem & ars ipsa, & opera artis à prudentia ordinantur; & quod peius est fine prudentiæ ordinantis artem & opera artis cum

cum fine artis confundunt. Igitur ad argumentum in forma dic verum esse quod nisi daretur intellectus, non daretur operatio recta, imo nec daretur potentia elicitiua operationis rectæ. Ad id aliud quod dicunt: Ideo præcise intenditur operatio recta vt perficiat intellectũ: dist. li *ideo* appellante finẽ proximum. nega, appellante finem vltimum & extrinsecum artis: omitte antecedens & nega consequentiam. Finis proximus, immediatus & intrinsecus Logicæ est operatio recta, & in hac, Logica conquiescit: hæc autem operatio recta quæ consideratur à Logica vt opus suum, potest experi à prudentia sub alia ratione: puta vt perficiens & aliquo modo felicitans intellectum humanum; sicut & infinita alia aliarum artium opera ab eadem prudentia ad alios fines amantur quam ad eos in quibus artes conquiescunt.

Aduerte autem hic aliam ęquiuocationem, in quam incidunt qui ponunt intellectum pro obiecto materiali Logicæ; hac ratione moti quia opus elicitum per Logicam perficit intellectum. Logica intellectum instruit, seu dirigit non tamquam subiectum receptiuum bonæ definitionis, diuisionis aut argumentationis; de hoc enim nihil scit, aut scire curat logica: sed vt potentiam elicitiuam siue effectiuam definitionis, diuisionis & argumentationis; Idem factura siue operatio ad quam dirigit recipiatur in quocunque alio subiecto, siue nullibi: quod nullo modo spectat ad considerationem Logicæ; sed Animasticæ est speculari exprofesso, quod nam sit subiectum actuum vitalium; an videlicet recipiantur in potentia à qua egre-

diuntur, an in alia, an in tota homine, an in anima à qua talis potentia distinguatur, & & alia huius modi, quæ suo loco tradentur. Quia tamen communiter supponitur actus vitales recipi in eodem principio à quo eliciuntur, adeoque perficere principium sui effectiuum; ideo hoc ipsum principium Aduersarius considerat, vt consideratum à Logica per modum subiecti perfectibilis per opus quod dirigit.

Dices Idem est realiter in operatione recta esse operationem rectam, & esse perfectionem intellectus: sed Logica intendit operationem rectam, vt rectam; ergo logica intendit operationem rectam, vt perfectionem intellctus.

Resp. Omissa maiori & concessa minori negando consequentiam, Omisi maiorem non quod dubitē de veritate ipsius, sed quia de eius veritate decernere non spectat adLogicum: Duo enim examinanda haberet hic Animasticus. Primum esset an operatio recta intellectus recipiatur in ipsomet intellectu, an solum ab ipso procedat & in anima distincta ab intellectu, vel in aliquo alio subiecto recipiatur. Secundum esset an procedens dumtaxat ab intellectu, non autem in intellectu recepta, adhuc sit perfectio intellectus. Neutrum ex istis spectat ad Logicum; & vtrumlibet verum sit, Logica dirigit intellectum ad recte operandum, & pro fine habet operationem rectam. Negaui, data vtraque præmissa, consequentiam: quia syllogismus nihil valet dum facit transitum à sensu materiali ad formalem. Etiamsi enim duæ rationes in vna eademque re realiter identificentur, non tamen sequitur vnam non posse

inten-

tendi præſcindendo ab alia. Puta in homine ratio entis & ratio animalis ſunt realiter idem & tamen male argueres ſic: In homine idem eſt realiter eſſe animal & eſſe ens, ſed Metaphyſica conſiderat hominem vt ens, ergo conſiderat vt animal: Imo per hanc ipſam reduplicationem ſupra vnam rationem, alia non attacta, formaliter præſcindis ab alia. Hoc idem ſatis indicatum eſt vbi diximus circa vnam eandemque rem, ſub diuerſis rationibus poſſe diuerſas ſcientias occupari.

Obijcies tertio. Ideo marmor eſt obiectum materiale Statuariæ, quia in ipſum inducitur forma intenta à Statuaria: ſed etiam in intellectum humanum inducitur forma intenta à logica; ergo intellectus humanus eſt obiectum materiale Logicæ. Minor probatur nam vel forma intenta à logica eſt tota recta operatio, vel ſola rectitudo; tam autem rectitudo operationis, quam recta operatio inducitur in intellectum, ergo forma intenta à logica inducitur in intellectum.

Reſp. Negando maiorem. Non ideo marmor eſt obiectum materiale Statuarię quia in marmor inducitur forma per quam fit Statua, ſed quia Statuaria conſiderat marmor, vt in ipſum inducat formam ſtatuæ: Sed Logica non conſiderat intellectum vt in ipſum inducat operationem rectã aut rectitudinẽ; ergo ſiue forma intenta à logica ſit tota recta operatio, ſiue ſit ſola rectitudo; intellectus non ſe habet reſpectu Logicæ ſicut marmor reſpectu Statuariæ.

Hoc eodem argumento, ſi quid valeret, probares aerem eſſe obiectum materiale Muſicæ, quia: Ideo marmor eſt obiectum mate-

riale Statuariæ quia in ipsum inducitur forma intenta à Statuaria: sed in aerem inducitur forma à Musica intenta; ergo aer est obiectum materiale Musicæ. Minor probatur, quia forma intenta à Musica, vel est sonus speciosus, seu cantus, vel sola speciositas soni; tam autem sonus speciosus, quam speciositas ipsa recipitur in aere. Quod si quis, vt tueatur intellectum esse obiectum materiale Logicæ, concedat aerem esse obiectum materiale Musicæ, vix merebitur Musica delectari.

ARTICVLVS XII.

Respondetur alijs obiectionibus.

OBijcitur præterea. Si operatio vt sic est obiectum materiale Logicæ, rectitudo formale, operatio recta obiectum attributionis; etiam dici poterit quod obiectum materiale Statuariæ est figura vt sic, formale rectitudo figuræ, obiectum attributionis recta figura. Item quod obiectum materiale Pictoriæ est imago, vt sic, formale rectitudo, obiectum attributionis recta imago: Consequens est contra Statuarios & Pictores, ergo & antecedens. Minor est euidens nam Statuarij circa marmor, Pictores circa colores tamquam circa propriam materiã occupantur: Probatur autem sequela maioris, quia tam ratio figuræ secundum se est indifferens ad rectitudinẽ, & prauitatẽ quam ratio operationis. Nam & recta figura est figura, & praua figura est figura sicut & recta operatio est operatio, & praua operatio est operatio: ergo in ratione figuræ inuenitur ratio suffi-

ciens ad obiectum materiale Statuariæ intendentis non figuram quomodocunque, sed rectam figuram. Artes enim sunt non vt fiat opus, sed vt fiat bonum opus.

Resp. Negando sequelam maioris. Ad cuius probationem concesso antecedenti nego consequentiam. Indifferentia ad rectitudinem & prauitatem est quidem ratio requisita in operatione, ad hoc vt sit obiectum materiale Logicæ, non tamen est ratio adæquata propterquam est obiectum materiale eiusdem. Sicut ad hoc, vt sis homo requiritur quidem, vt sis animal: non tamen ratio adæquata per quam constitueris homo est ratio animalis. Ratio cur operatio sit obiectum materiale, est quia consideratur à logica, vt in ipsam rectitudo inducatur, siue vt recta fiat, sicut considerantur colores à Pictoria, vt in ipsos inducatur talis dispositio, siue vt taliter disponantur. Hinc habes indifferentiam ad rectitudinem, & prauitatem tolli per rectitudinem inductam non quomodocunque sed ex intentione Logicæ.

Dices figuram vt sic, in Pictoria posset assignari pro obiecto materiali logico, seu metaphysico Pictoriæ, colores autem pro obiecto materiali physico eiusdem: ergo operatio vt sic posset assignari pro obiecto materiali logico, seu metaphysico logicæ, & pro obiecto materiali physico eiusdem, intellectus humanus. Probatur consequentia, quia non est potior ratio de vna quam de alia.

Resp. Omisso antecedenti negando consequentiam. Ratio cur Pictoriæ assignentur pro obiecto materiali physico colores, est, quia Pictoria considerat colores physice præ-

 sup-

ſuppoſitos diſpoſitioni quam intendit, vt hos hoc vel illo modo diſponat. At logica non conſiderat intellectum, vt in ipſum hanc vel illam operationem inducat: Imo in tota ſua Logica, Philoſophus, vt notat Siluester Maurus vix vnquam nominat intellectum: ſupponit autem Logica intellectum quem dirigat in operando, ſeu in cognoſcendo ſicut Sutoria manum Sutoris quam dirigat in leſinando, ſeu ſuendo. Dicitur autem figura vt ſic obiectum materiale logicum ſeu metaphyſicum Pictoriæ, quia tam à figura praua quam à recta abſtrahitur per intellectum ratio figuræ; rationes autem hoc modo abſtractæ dicuntur rationes logicæ vel metaphyſicæ.

Ratio igitur conſiderata à logica eſt operatio. Conſtat hoc cùm ex diuo Thoma quæſtione prima in libris poſter. vbi ſic habet: *Ars quædam neceſſaria eſt quæ ſit directiua ipſius actus rationis, per quam ſcilicet homo in ipſo actu rationis ordinate & faciliter, & ſine errore procedat: Et hæc ars eſt Logica: ideſt rationalis ſcientia; quæ non ſolum rationalis eſt ex hoc quod eſt ſecundum rationem, quod eſt omnibus artibus commune, ſed etiam ex hoc quod eſt circa ipſum actum rationis ſicut circa propriam materiam; & ideo videtur eſſe ars artium: quia in actu rationis nos dirigit, a quo omnes artes procedunt.* Hæc Diuus Thomas. Tùm etiam ex tota tractatione Logica, quæ tota occupatur circa operationem mentis: puta circa rationem ſubiecti & predicati, circa diſpoſitionẽ medij termini, ordinationem propoſitionum, vniuerſalis cum particulari;

culari, affirmatiuæ cum negatiua: eo fere modo, quo ars pingendi dictat dispositionem colorum, nimirum cæruleum cum viridi, nigrum cum albo, sic & sic debere disponi.

Vbi aduerte Logicam melius comparari cum ijs artibus quæ per additionem partis ad partem operantur; qualis est Pictoria & Architectura, quam cum ijs quæ per detractionem, qualis est Statuaria, quæ statuam marmoream efficit per hoc quod à marmore as & illas partes ordinate decidat.

Obicies iterum. Non est explicabile quid t illa rectitudo quam in operationem induit Logica, ergo huiusmodi rectitudo male ssignatur pro obiecto formali. Probatur ntecedens. Nam talis rectitudo non est dispositio operationum secundum locum: non nim disponuntur operationes in intellectu, cut colores in tela; non secundum tempus, cut contingit in vocibus, quæ disponuntur a usica secundum prius & posterius: nam in efinitione simul tempore cognoscitur subctum & predicatum, genus & differentia: ita cum dicis: *Homo est animal rationale* on prius cognoscis hominem quam animal tionale, nec prius animal quam rationale; uamuis ore vnum alio prius proferas: em in syllogismo simul tépore sunt in inllectu præmissæ & conclusio. Patet igitur spositionem, quæ inducitur in operationes entis, non esse neque secundum locum, nec secundum tempus.

Hoc argumentum affertur & promouetur. Mauro quæstione nona Logicæ ad octam; qui tandem concludit dispositionem qua consistit arficium logicum esse illam

per quam obiecta certo modo disponuntur; ita videlicet, vt in propositione hoc obiectũ prædicetur; illud subiciatur; in prima figura medius terminus subiciatur, &c. Quæ vere est dispositio Logica. Cum igitur dispositio consistat in adaptatione cum rebus, quia per illam subiectio, & predicatio fit, vt postulat obiectorum natura: totum artificium consistet in adaptatione cognitionis cum obiecto; ex quo infert obiectum attributionis in Logica esse ens recte cognitum, formale operationem rectam materiale res ipsas.

Resp. quod siue operatio recta sit obiectũ formale, siue obiectum attributionis, eadem est difficultas in explicando quid sit rectitudo illa intenta à Logica: Insufficienter autem explicatur rectitudo prædicta dicendo artificium logicum in eo consistere, vt obiecta certo modo disponantur, pura ita vt in propositione hoc obiectum predicetur, illud subiciatur. Nam, vt cetera omittam, sæpe contingit in propositione illud idem obiectum subici, quod predicatur, vt patet in hac propositione: *Homo est animal rationale*. Non enim alia res est homo, alia animal rationale: quomodo igitur aliud subijcitur, & aliud predicatur? Igitur ad argumentum in forma.

Resp. Negando antecedens ad cuius probationem transeat quod dispositio intenta à Logica in actibus rationis non sit neque secundum locum, neque secundum tempus; sed quid inde? Certe dispositio illa per quam aiunt obiecta certo modo disponi non est dispositio in ipsis obiectis. Est enim ridiculum dicere, quod sit in potestate nostri intel-

intellectus inducere in res ipsas hanc vel illi dispositionem. Roga igitur, quid sit illa dispositio, an sit in rebus an in conceptibus? Dic autem obiecta ita disponi quoad subiectionem, & prædicationem nihil aliud esse, quam cognitionem nostram ita tendere in obiecta, vt subijciat, & prędicet hoc vel illo modo, vt inferat vnum ex alio, vt difiniat & diuidat; & quia operatio, vt sic seu actus rationis potest deficere à tali modo tendendi, in quo consistit rectitudo Logica, propterea datur ars tendendi hoc, & illo modo, hoc est, hoc vel illo modo cognocendi; & hæc ars est Logica.

ARTICVLVS XIII.

An omnis operatio recta pertineat ad obiectum Attributionis Logicæ.

INter Philosophos qui operationem rectã statuut obiectum attributionis, seu finē Logicæ superest alia controuersia: an videlicet omnis operatio recta pertineat ad prædictum obiectum intelligendo *li: omnis:* pro generibus singulorum. Alij enim ponunt argumētationem solam; imo quia argumentatio est ratio communis ad syllogismum probabilem, & ad demonstratiuum, sunt qui velint solam demonstrationem esse obiectum adæquatum Logicæ. Alij pro obiecto Logicæ secundam, & tertiam operationem admittunt, reiecta simplici apprehensione: alij denique cum secunda, & tertia etiam primam recipiunt aiuntq; sub obiecto adæquato tres operationes intellectus comprehendi.

Is

His vltimis assentimur. Habemus autem pro nobis Diuum Thomam, qui lectione prima in librum Periher. Logicam Aristotelis diuidens in tres partes, singulas singulis operationibus assignauit. *De his* inquit *quæ pertinent ad primam operationem intellectus, determinauit Aristoteles in libro prædicamentorum. De his quæ ad secundam, in libris periherm. De his quæ ad tertiam determinauit in libris prior. & consequentibus.* Quia vero circa primã operationẽ potissimũ est controuersia, ideo de ipsa præcipue & breuiter agimus hoc art.

Dicunt igitur, qui nobis aduersantur. Prima operatio intellectus non est dirigibilis; ergo non spectat ad obiectum Logicæ. Consequentia patet, quia Logica non considerat operationem nisi vt illam dirigat, ergo operatio non dirigibilis non consideratur à Logica. Antecedens probatur. Quia operatio incapax veritatis, & falsitatis non est dirigibilis, sed prima operatio est huiusmodi, ergo non est dirigibilis. Maior probatur quia ideo solum dirigitur operatio, vt vera sit, & subtrahatur falsitati, in quam ex defectu directionis incurreret. Minor autem est euidens, quia, vt ait Philos. donec aliquid affirmetur, aut negetur, nondum est verum vel falsum.

Resp. neg. ant. Ad cuius probationem nego mai. Nam nec omnis rectitudo operationis est veritas, nec omnis irrectitudo est falsitas: & consequenter potest aliqua operatio deficere à rectitudine absq; eo quod incidat in falsitatem. Dari rectitudinem aliquam distinctam à veritate imo cum falsita-

iunctam patet ex ijs syllogismis, quos
sophus pro syllogismorum ideis paſ-
lducit . *Omne A est B, sed omne C est A*
mne C est B.
nitto hic examinare an verum sit, quod
a apprehensio sit incapax, tam veritatis,
falsitatis , quia Philos. in Mataph.
, quod intelligere simplicia continet
n , quamuis non intelligere non sit de-
sed ignorare , hoc est imperfectionem
sitam veritati , quæ est in intelligentia
icium , non esse falsitatem sed ignoran-
. Interea dico plures defectus repetiti
in prima apprehensione , ad quos vi-
os est necessaria Logica. Primus defe-
it obscuritas , orta ex confusione pre-
orum, eamdem rem constituentium, in-
iate repræsentatorum v. g. in Petro
iuntur multa prædicata : Nam Petrus
ubstantia , corpus , viuens , animal ,
o , Petrus. Hæc predicata si hoc ordine
piantur apprehenditur clarè , & sin
usione quidditas Petri : hæc autem or-
tio predicatorum superiorum , & infe-
m fit per Logicam ; ergo Logica ad
smodi apprehensiones est vtilis. Hinc
rima parte Logicæ diximus rationem
s vniuersalem in definitione præponi
is vniuersali , dicendo potius : *Animal*
nale quam *rationale animal* in defini-
hominis ; hoc est habendo conceptum
ootius quam illo modo tendentem in
ctum , quod definitur .
æter obscuritatem quam tollit Logica
pprehensione rerum , tollit etiam diffi-
atem. Hoc autem explicatur à Caietano,
in

in præfatione ad anteprædicamenta Arist. sic. *Ens incomplexum, quod est obiectum primæ operationis erat confuse dispersum, & obscurum in vniuerso; ita vt si simplex albedo præsentata esset quidditatem eius intueri difficillimum foret, quoniam confusione quadā albedinis natura cum figuris, cum quantitate cum substantia, cū relatione mixta est. Modo autem distinctis rerū ordinibus, & adunatis cuiusq; ordinis rebus ad decē incomplexa, insignita suis proprietatibus, velut quibusdam figuris, facile ac prompte circa quodcunq. incomplexum audemus intellectus aciem figere: tollitur siquidem ex adunatione omnium incomplexorum ad decem capita vagatio intellectus ad incomplexorum notitiam habendam.* Hæc, & alia in hanc sententiam Caietanus.

Quæ vt recte intelligas, scire oportet Philosophum, res omnes, quæ sunt, quæq; esse possunt, ad decem capita reuocasse, quæ prędicamenta seu Cathegoriæ appellantur: sunt autem hæc. *Substantia. Quantitas. Qualitas. Relatio. Vbi. Quando. Situs. Habere. Actio. Passio.* Nam quidquid est, est vel substantia, vel accidens; si substantia est aliquo modo continetur sub hoc capite, seu sub hoc genere *Substantia* si autem accidens, necesse est reduci ad vnum aliquod ex nouem aliis capitibus, seu generibus. Hæc autem capita vocantur à Caietano rationes simplices, seu incomplexæ, dicunturq; obiecta primæ operationis.

Contingit autem vt in vno eodemq. obiecto plurain ex prædictis generibus simul reperiantur. Puta in lacte reperitur simul ra-

bſtantiæ, extenſio, albedo, ſimilitu-
n aliqua alia re, eſſe in loco, eſſe in
ore, & alia, quæ facile eſſet ſub vna
aq. ratione confundere, niſi diſtincta
camentorum notitia haberetur: adeoq;
eſito ob oculos lacte, & lactis albedine
ulum eſſet ne intellectus conceptum al-
nis quidditatiuum inquirens; vel ſub-
tiam, vel diſpoſitionem ſecundum lo-
, vel figuram conciperet, in quo erra-
, non per deceptionem, quaſi affirmans
negans id quod non debuit affirmari, aut
ari; ſed per non attingentiam quidditatis
ecti, quam tamen conabatur attingere.
Ex hac non attingentia quidditatis rei
tur alius defectus; quod ſcelicet intelle-
s conſiderans obiecta, & reflectens ſupra
præhenſionē, quam de obiecto formauit,
rmet propoſitionem falſam, & de ratione
ſa, puta de albedine, prędicet figuram, aut
iam rationem cum albedine in obiecto
ermixtam. Propter hoc dici poteſt, quod
mplex operatio contineat veritatem, & fal-
tatem, non formalem, ſicut affirmatio &
egatio, ſed cauſalem, ſeu occaſionalem;
uatenus nimirum facile eſt intellectum à
præcedenti appræhenſione determinari ad iu-
dicium verum, vel falſum, prout per illam
attigit, vel non attigit quidditatem rei quā
inquirebat.

Hoc fere modo Philoſ. licet paſſim aſſi-
met verum & falſum non eſſe in rebus, ſed
in anima, hoc eſt in cognitionibus; tamen
5. Metaph. tex. 24. docet res ipſas dici
poſſe falſas, eo quod ſint aptæ videri, quod
non ſunt, & aliter quam ſunt. Hoc eſt eo

quod

quod determinent intellectum ad iudicium falsum. Affert pro exemplo Philos. vmbras, figuras, & somnia, quæ ab hominibus pro eo quod non sunt sæpe habentur, sunt enim multi similes cani Aesopico, qui vmbram offæ, quam præ dentibus habebat, grandiorem offam existimans, offam veram in flumen deicit vt in fictam, & apparentem irrueret.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Satisfit Obiectionibus.

OBijc. primo, sola demonstratio est syllogismus faciens scire; ergo sola demonstratio est obiectum Logicæ. Conseq. probatur, quia Logica est instrumentum scientiarum, ergo solum operationem scientificam habet pro obiecto.

Resp. con. antec. neg. consequentiam. Ad cuius probationem conc. ant. nego iterũ conseq. Logica dicitur instrumẽtũ sciẽtiarũ quia sciẽtiæ ex directione Logicæ speculãtur sua obiecta; non solum autem speculantur syllogizando, sed etiam definiendo, & diuidendo. Præterea quando dicitur Logica instrumentum scientiarum, non debet intelligi nomen scientiæ adeo strictè, vt non comprehendat nisi habitus cognoscentes rem certo, & euidenter per causas: nam etiam Topica, quæ probabiliter de rebus disputat, vtitur directione Logicæ.

Obic. secundo obiectum attributionis habitus practici intenditur propter se ab habitu, sed nec prima operatio, nec secunda intendi

tur propter se à Logica; ergo nec prima
tio, nec secunda sunt obiectum attri-
nis. Minor probatur, quia prima ope-
intenditur solum propter secundam,
da solum propter tertiam ergo neutra
ter se.

esf. conc. mai. neg. min. Ad cuius pro-
onem nego ante. In quo aduerte ad hanc
iculam *solum*. Non enim nego primam
rehensionem intendi propter iudicium
icium autem propter discursum; sed ne-
solum intendi hoc propter discursum, il-
propter iudicium. Prima apprehensio
amuis habeat hanc bonitatem, quod sci-
et inducat quodammodo in iudicium re-
m, si clara sit, & distincta, adeoq; sit
petibilis relate ad iudicium rectum; tamē
propter se expetibilis, quatenus est dilu-
da intelligentia obiecti: si enim ipsum
dere quod per oculos fit, vt docet Philos.
imo Metaph., propter seipsum appetimus,
propterea inter omnes sensus maxime di-
gimus visum: vnde de amicissimis dicere
olemus esse nobis chariores oculis ipsis; quā-
o magis expetibile est propter se ipsum in-
elligere, seu apprehendere, quod est per
ntellectum videre.

Obijc. tertio. Prima operatio est pars se-
cundæ; secunda, pars tertiæ: pars non ex-
petitur propter se, sed propter totum; ergo
prima operatio solum expetitur propter se-
cundam, secunda solum propter tertiam.
Maior probatur, quia iudicium continet pri-
mā apprehensionem; discursus apprehensio-
nem & iudicium.

Res. Distin. ma. Prima operatio est pars
secun-

secundę, secunda tertię per se:nego mai. per accidens:omitto mai., & eodem modo distincta minori:nego conseq. Dicitur pars per se respectu alterius, quod ex natura sua exigit esse constutiuum alterius, nec est modo sibi debito, nisi constituat, & componat aliam rem. Ita brachium est pars per se corporis humani; exigit enim constituere corpus humanum, nec est modo sibi debito nisi simul cum alijs partibus constituat, & componat corpus humanum. Materia prima per se, & natura sua, est pars substantiæ physicæ, quia ex natura sua exigit esse constitutiuum corporis physici, & simul cum forma componere vnam substantiam completam. Illud autem est pars per accidens, quod ita ingreditur constitutionem alterius, vt tamen aptum sit propter se expeti, & modo sibi debito existat, etiam sine consortio alterius, cum quo constituat vnum: & hoc modo do aduersarijs appræhensionem esse partem iudicij, iudicium esse partem discursus.

Dixi: *do aduersarijs*; non autem concedo; quia probabile est quamlibet operationem intellectus humani non constare partibus, sed indiuisibiliter attingere omne id, quod attingit: iuxta id, quod nuper dicebatur loquendo de dispositione illa, in qua consistit rectitudo intenta in actu rationis.

Obic. quarto si prima operatio pertinet ad obiectum attributionis Logicæ, nihil remanet pro obiecto attributo, seu communitatis eiusdem: conseq. est absurdum, ergo & antec. Probatur sequela maioris, quia Logica nihil considerat nisi operationes intelle-

ctus, ergo si intra rationem operationis est, quod non sit obiectum attributio- nihil remanet quod sit obiectum attri- m, seu communitatis. Conseq. proba- uia obiectum communitatis debet ip- etiam considerari ab habitu.

sf. primo transmissa ma. negando min. enim absurdi est, quod hæc scientia r suum obiectum attributionis nihil deret? diximus olim, quod id quod deratur à scientia non propter se, sed ter aliud, non est obiectum attributio- sed attributum, seu communitatis: sed diximus ad rationem scientiæ requiri, æter obiectum attributionis habeat in- obiectum attributum, seu communita- Quæ duo sunt valde diuersa.

sf. secundo negando sequelam mai. Ad probationem nego ante. Logica præ- perationem intellectus considerat voces dine ad operationem intellectus, quæ erea dicitur materia propria Logicæ. supra non esse absurdum, quod scien- æter suum obiectum proprium nihil leret; potest enim dari & datur de facto ia scientia, quæ res omnes considerat, obiecto habet omnia; assigna, si potes, id extra omnia, quod sit obiectum munitatis: scientiam huiusmodi dupli- ssignauit Philosophus: Dialecticam, icet, & Philosophiam, hoc est To- , & Metaphysicam.

æres pro appendice ad ea quæ dicta , an operatio recta quam assignamus biecto Logicæ, sit operatio recta; vt , an recta quatenus directiua. Explica- tur.

tur. Hoc argumentum: *Omne alterabile est corruptibile: Sed omne elementum est alterabile; ergo omne elementum est corruptibile*: habet duplicem bonitatem; prima est rectitudo illa, qua conformatur præceptis rectę argumentationis; in hoc enim medius terminus est recte distributus, & omnia cõsonant regulis primæ figuræ; secunda est aptitudo quam habet, vt fit idea quædam, & exemplar, cui quæcumq; argumenta conformia erunt, optima erunt: quæritur autẽ an secundum primam, an secundum secundam bonitatem intendatur à Logica per modum obiecti.

Dico obiectum Logicæ, esse operationem rectam quatenus rectam, non autem quatenus directiuam. Probatur hoc quia finis intrinsecus habitus practici non ordinatur ab eodem habitu ad alium finem; sed operatio, prout directiua, ordinatur à Logica ad alium finem; ergo operatio, prout directiua, non est obiectum, seu finis intrinsecus vltimus Logicæ. Minor probatur, quia operatio, prout directiua, est propter aliam operationem, adhiberturq. à Logica vt explicatio quædam eorum præceptorum, quæ tradit ad recte operandum. Hoc eodem modo aliæ artes solent contrahere sua præcepta ad quamdam materiam, vt ita eorũdem bonitas magis appareat. Puta Statuaria etiam, quæ circa aurum versatur, præcepta sic, vel sic efformandi aurum contrahit ad cretam, vel ad plumbum, & eadem sic contracta ostendit Tyronibus, quibus statuam plumbeam proponit pro modulo, siue idea statuæ aureæ faciendæ.

Dices: Logica facit innumeros sillogismos ideales, ergo habet pro obiecto sillogismos huiusmodi. Probatur antecedens, quia omnes fere syllogismi qui ab Aristotele fiunt tradente Logicam, sunt huiusmodi: *Omne A est B, sed omne C est A &c.* Hi autē syllogismi non habent aliam bonitatem quam ideæ.

Res. Conc. ante. neg. conseq; Syllogismi prædicti fiunt à Logica, vt per illos doceat, quomodo in quacunq; materia sit syllogizandum; & consequenter non sistit Logica in illis, tamquam in fine; in illis inquam materialiter consideratis.

QVESTIO III:

An Logica sit Virtus:

ARTICVL I.

Quid sit Logica docens, quid vtens.

LOgicam in docentem & vtentem diuidunt omnes, sed non omnes nomine docentis aut vtentis idem intelligūr.

Conimbricences aiunt Logicam docentem esse Logicam vniuersam, hoc est, tam secundum partem Analiticam, quam secundum Topicam atq; Sophisticam, quia vbique docet, & tradit pręcepta definiendi; diuidendi, & syllogizandi: vtentem vero esse solam Topicam, quia vsus præceptorum Logicæ in alijs materijs non spectat ad Logicam, sed ad alias scientias, quarum est huiusmo-

eiusmodi obiecta contemplari. Puta ad Physicam pertinet vsus præceptorum Logicæ circa ens mobile, ad Mathematicam circa ens quantum & sic de alijs.

At vero, aiunt, materia pure probabilis, cum non sit vllius scientiæ, quia scientiæ exigunt obiectum certum, & infallibile, habet quæ circa se versetur Logicam ipsam; adeoq; Logica, non solum tradit præcepta syllogizandi, sed etiam syllogizat circa materiam probabilem.

Hæc Conimbricensium doctrina non placet; primò quia dum reiicimus res a ratione obiecti, non reliquimus res, quæ solum probabiliter cognoscuntur pro obiecto Logicæ. Nam vel de omni, vel quasi de omni re, possunt haberi cognitiones probabiles: adeoque si ea quæ probabiliter cognosci possunt, sunt materia propria Logicæ; Logica habet pro materia res, vel omnes, vel quasi omnes.

Præterea falsum est 1. Logicā vti suis præceptis, solum circa materiam probabilem: nam iuxta sua præcepta de definitione de enunciatione, de argumentatione, vno verbo de operatione intellectus philosophatur non probabiliter, sed euidenter.

Placet autem in hac controuersia P. Gabriel Vasquez in prima parte disp. octaua num. 19. vbi docet Logicam docentem esse ipsamet præcepta Logicæ, quibus definire, diuidere, & syllogizare docemur: vtentem vero esse omnem & quamlibet scientiam, prout iuxta eadem præcepta circa sua obiecta definiunt, diuidunt, & syllogizant. Hoc modo Logica vtens dicetur praxis ipsa, siue opus

opus ex Logicæ directione factum. Hæc sententia est satis communis, adeoq; habet pro se maximum argumentum, quod haberi possit in decidenda controuersia, quæ magna ex parte est de nomine. Hanc amplectuntur Ouiedus & Hurtadus, qui dicit hanc fuisse mentem D. Aug. qui D. Paulum, aliosque Theologos vocat dialecticos, quia Dialectica seu Logica circa res, de quibus agũt vtuntur.

Est præterea pro hac sententia authoritas antiquorum, & præcipue Græcorum, qui Logicam diuiserunt in Logicam à rebus auulsam, & logicam rebus, concretam. Logica à rebus auulsa dicitur: quæ definitionem, diuisionem, argumentionem dirigit præscindendo à qualibet materia, circa quam tales operationes fiant. Dicitur concreta rebus, quatenus est definitio, diuisio, aut argumentatio talis obiecti. Prima est Logica docens, secunda est Logica vtens.

ARTICVLVS II.

Respondetur obiectionibus.

OBijc. primo Totum potestatiuum non bene diuiditur nisi de membris diuidentibus predicari possit ipsum diuisum: sed de alijs scientijs, etiam prout vtuntur preceptis Logicæ, non potest prædicari Logica, ergo si nomine vtentis intelligantur aliæ scientiæ, Logica male diuiditur in docentem & vtentem. Maior explicatur, & probatur. Animal non bene diuideretur in rationale, & irrationale, seu in hominem & Brutum, nisi tam de Bruto, quam de homine

prędicari posset Animal. Minor autem probatur Physica etiam syllogizans ex arte non est Logica.

Hoc idem argumentum valet, si nomine Logicæ vtentis intelligas praxim ipsam, seu speculationem, elicitam à quacunq. scientia ex directiooe Logicæ. Quis enim dicat hanc definitionem: *Homo est animal rationale* appellandam esse Logicam.

Resp. Logicam diuidi in docentem, & vtentem non per modum totius potestatiui in partes, hoc est generis in species, sicut diuiditur Animal in Hominem & Brutum: sed sicut virtutem in habitum, & actus directos per ipsam. Contingit enim ex modo loquendi tam habitum, quam actum imperatum ab ipso, nomen eiusdem virtutis sortiri. Puta, non solum habitum inclinantem ad operandum prudenter, sed etiam actum ipsum, qui ex directione talis habitus sit, prudentiæ nomine insignimus. Ad argumentum in forma concessa maiori, & transmissa minori disting. conseq. Non be ne diuiditur Logica &c. Diuisione generis in species, seu totius potestatiui in partes: concede conseq., diuisione virtutis in habitum, & actas directos, siue imperatos per ipsum: nega conseq.

Obic. secundo D. Thomas quarto Metaph. lec. quarta dicit vsum definiendi, diuidendi, & syllogizandi in alijs scientijs non tam Logicam appellandam esse, quam Philosophiam. Ergo aliæ scientiæ neq ucūt appellari Logica.

Resp. primo nos non dixisse, quod aliæ scientiæ sint Logica; sed quod sint Logica

vtens; li autem *vtens* non est ratio contrahens genus ad speciem, vt dictum est supra, sed potius distrahens à propria significatione Logicæ.

Res. secundo conc. ante. neg. conseq. si per li *Logica* veniat Logica vtens. Imo ex antecedenti sequitur vsum syllogizandi, &c. esse aliqualiter appellandum Logicam, vt patet ex his verbis: non tam Logica appellandus est quam Philosophia; ex hoc autem, quod magis proprie sit Philosophia quam Logica, male inferes quod nullo modo sit Logica. Sensus igitur D. Thomæ est, quod speculationes magis sortiuntur nomen à scientia, circa cuius obiectum fiunt, quam ab illa ex cuius directione fiunt.

Obicitur tertio Logica est instrumentum scientiarum: sed male dicitur de habitu vtente instrumento, quod sit tale instrumẽtum vtens, ergo male dicitur de qualibet alia scientia quod sit Logica, etiam addendo li *vtens*. Minor probatur, quia nemo dicet dè arte fabrili quod sit malleus vtens: aut de milite, quod sit gladius vtens.

Res. Conc. mai. disti. mi. Male dicitur de omni habitu vtente quolibet instrumento conc. min. de õni habitu respectu cuiuslibet instrumenti nego min. & conseq. Quamuis Logica sit instrumentum scientiarum, & malleus instrumentum artis fabrilis, non tamen est, & in Logica, & in malleo eadem ratio instrumenti. Logica est instrumentum, scientiarum quia ex ipsius directione aliæ scientię speculantur; malleus non est instrumentum artis fabrilis, eo quod Faber ex directione mallei lignum elaboret. Hinc

alia scientia recte dicitur Logica vtens; ars fabrilis male mallens vtens.

ARTICVLVS III.

Definitur Virtus.

PRæcipuæ hominis potentiæ, & per quas cæteris animantibus præstat sunt intellectus, & voluntas: Ideo istæ duæ potissimum perfici debuerunt, vt operationes sibi proprias non solum facere, sed facile facere possent. Id autem, per quod intrinsece perficiuntur prædictæ potentiæ, in ampliori acceptione virtutis, virtus dicitur, quæ si perficit voluntatem, dicitur moralis, si intellectum, intellectualis.

Virtus autem in strictiori, & magis propria significatione definitur ab Aristotele secundo Ethic. cap. 6. his verbis: *Dicendum est igitur omnem virtutem, & ipsum id cuius est virtus bene affectum reddere, & opus eius bene efficere.* Quæ definitio sic circumfertur: *Virtus est habitus qui bonum facit habentem, & opus eius reddit bonum.* Definitionem suam exemplificat Philos. & in oculo, & in equo. *Oculi virtus*, inquit, *& oculum ipsum, & opus ipsius bonum facit; quippe cum oculi virtute fiat, vt bene inspiciamus. Simili modo equi virtus & ipsum equum promptum facit, & ad cursum gestandumq; sessorem, & ad sustinendos hostes idoneum.* Quæ verba Philos. adeo clara sunt, vt commentatore non egeant.

Obseruandum est autem obiter unumquodq; bonum dici, secundum quod est be-

ne dispositum ad suum finem: sic oculus bonus est, qui bene dispositus est ad videndum; videre autem est finis oculi. Et equus est bonus, si sit bene dispositus ad currendum, gestandum sessorem, & sustinendum hostem in quibus equi finis est. Et Homo ille bonus est, qui est bene dispositus ad felicitatem, quæ finis est hominis. Hinc sola culpa facit Hominem malum: nec enim Homo malus est, eo quod sit aut breuis pede, aut lumine læsus quidquid dicat Martialis, cum huiusmodi defectus non auertant à regno cælorũ, in quod melius est ingredi cæcum, & claudum, quam duos pedes, & duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

Habetur ex eodem Arist. septimo Phisic. cap. 17. alia virtutis definitio; quod scilicet sit. *Dispositio perfectissimi ad optimum:* Hoc est habitus quidam disponens potentiã, in sua natura perfectam, ad optimum opus talis potentiæ. Ex hac vtraq; definitione, quæ omni virtuti, siue morali, siue intellectuali conuenit, constat Virtutem intellectualem esse habitum, qui bonum faciat intellectum, & opus eius bonum reddat. Item esse habitum quendam, per quem intellectus, secundum naturam suam perfectus, ad optimum suum opus disponitur. Nomine autem operis, de quo hic est sermo, intelligere debes actum ipsum, qui à Virtute elicitur, siue qui est actus talis Virtutis, hoc est talis Virtus in actu. Nam (vt in Virtute intellectus rem exemplificemus) cousiderari potest Virtus vel prout est in habitu, siue habitualiter inhærens intellectui, vel prout est in actu, hoc est prout de facto

exercetur. Secundum primam acceptionem sopiti etiam, incogitantes, & dormientes sunt virtuosi: nec enim Physicus dormiens desinit esse Physicus. Iuxta secundam autem acceptionem non est virtuosus, nisi qui actu operatur.

Sensus igitur definitionum, quas attulimus, est Virtutem esse habitum, quo potentia perficitur, & actus ab eadem elicitus bonus est. Cum autem idem Philos.6. Ethic. cap. 2. in fine, & cap. 3. in principio dicat, Virtutem intellectus esse habitum, per quem Anima verum dicit, manifestum est, ex mente Philosophi, requiri ad rationem Virtutis intellectualis, vt actus per ipsam elicitus sit verus, quem actum antea nuncupauimus opus.

Aduertendum est igitur aliud esse dictamen ipsum, seu derectionem actiuam Virtutis, aliud actum elicitum ex tali dictamine seu directione. Per dictamen Virtutis Anima semper dicit absolute, & simpliciter verum: per actum vero elicitum ex dictamine Virtutis contingere potest, vt Anima dicat absolute, & simpliciter falsum. Dictamen, seu directionem actiuam Virtutis vocamus actum imperantem; actum elicitum ex tali dictamine, seu directione vocamus actum imperatum. Primus etiam dicitur actus dirigens, secundus actus directus. Primus est elicitus a virtute dirigente, secundus à potentia vel habitu sequente directionem Virtutis.

Explicatur prædicta doctrina exemplo satis familiari. Si quis debeat ferre iudicium de Petro, videatque illum visu, verbo &

opere compositum ad modestiam; Prudentia dictat Petrum esse iudicandum bonum; & per hoc dictamen Prudentiæ Anima dicit verum · qui enim aliter iudicaret de Petro, damnaretur vt temerarius: & tamen contingere potest, vt totus ille externus apparatus sit mera hypocrisis; adeoque iudicium de bonitate illius sit falsum. In tali casu habes hunc actum: *Petrus iudicandus est bonus*: verum; hunc alium: *Petrus est bonus*; falsum. Primus est actus imperans, & dirigens; secundus imperatus, & directus.

Dices dictamen bonum non potest esse ad opus malum: sed tale iudicium est malum, ergo dictamen ad tale opus non potest esse bonum. Minor probatur. Tale iudicium est falsum, ergo est malum.

Resp. transmissa maiori neg. min. ad cuius probationem conc. antec. dist conf. est malum malitia opposita bonitati, intentæ per dictamen Prudentiæ: nego conseq. est malum alio genere malitiæ: omitto conseq. Dictamē nequit esse bonum de opere malo, si tale opus contineat malitiam oppositam bonitati intentæ per tale dictamen. Bonitas autem intenta à Prudentiâ in actibus imperatis, est bonitas opposita præcipitationi, inconsiderationi, temeritati; quam bonitatem semper obtinet in actibus ex sua directione elicitis. Cum tali autem bonitate coniungitur aliquando per accidens malitia quædam, quæ est difformitas actus, seu iudicij cum obiecto.

Explicatur hoc idē à contrario; sæpe enim cum alia bonitate, quę consistit in veritate seu conformitate iudicij cum obiecto, con-

iungitur malitia inconsiderationis, & temeritatis. Contingit enim non semel, vt iudicium prudens sit falsum, temerarium vero sit verum: cum tamen temerarium sit semper vituperabile, adeoque malum; prudens vero semper laudabile, adeoque bonum.

Ratio cur aliquando iudicium prudens sit falsum, temerarium vero sit verum, est: quia, vt ait Philosophus, multa falsa sunt probabiliora veris: qui autẽ prudẽter iudicat, iudicat, illud esse verum, quod probabilius est esse verum. Quamuis enim sæpe accidat, vt falsa sint probabiliora veris, tamen plerumque, quæ probabiliora sunt, vera sunt; ideoque Prudentia bene dictat, quando dictat, illud pro vero habendum esse, quod probabilius est esse verum.

Hinc habes iudicium imperatum à Prudentia non esse iudicium euidens: nam circa ea, quæ euidenter apparent, non indigemus dictamine, vel imperio Prudentiæ: adeoque si quis affirmaret iudicium elicitum ex imperio Prudentiæ à se consultæ esse euidens, & infallibile; ille imprudenter de Prudentia sentiret, vel potius ignoranter.

ARTICVLVS IV.

Logica tam secundum Topicam, & Sophisticam; quam secundum Analyticam est virtus.

CONclusio, quæ pro titulo ponitur supponit diuisionem Logicæ communiter admissam in tres partes, Analyticã, Topicã, & Sophisticam. In Analytica agitur de syllogis-

logismo demonstratiuo : in Topica de probabili, in Sophistica de fallaci. Probatur autem veritas conclusiònis secundum omnes partes ex definitione Virtutis. Nam & Topica, & Sophistica, & Analytica faciunt bonum habentem, videlicet intellectum, & opus eius reddunt bonum : ergo & Topica, & Sophistica, & Analytica est Virtus. Item habitus, per quem Anima dicit verum est Virtus, sed tam per Topicam & Sophisticam, quam per Analiticam Anima dicit verum, ergo &c. minor probatur, quia dictamen conficiendi syllogismi probabilis, aut Sophistici, eiusdemne dissoluendi, tam est verum; quam verum est dictamen construendi syllogismi demonstratiui.

Probatur secundo quia tam Topica quam Sophistica est ars : sed omnis ars est virtus, ergo vtraq; est Virtus. Maior probabitur, vbi probabimus Logicam esse artem. Minor constat ex *Philos.* 6. Ethic. cap. 3. vbi virtutem intellectus in suas species distribuens, primo loco ponit artem.

Confirmatur eadem conclusio euertendo præcipuas rationes, propter quas posset aliquis opinari, tam Topicam, quam Sophisticã deficere à vera, & propria ratione Virtutis. Nam si qua est ratio, cur Topica & Sophistica non sit Virtus, maxime est, quia neque per actus directos à Topica, neque per directos à Sophist. Anima semper dicit verũ: sed hæc ratio nulla est, ergo neq; Topica neq. Sophist. remouenda est à ratione Virtutis. Maior cõtinet potissimã rationem Aduersariorum. Minor probatur, quia si hæc ratio valeret, neque Prudentia esset Virtus,

cum sæpe contingat, Animam per actum directum à Prudentia dicere falsum.

Ratio à priori cur nō omnis actus elicitus ex dictamine cuiuscunq; Virtutis sit bonus; adeoq; non dicatur simpliciter, & absolute actus Virtutis, est, quia non omne principiū, operās ex dictamine Virtutis, est vel alia virtus, vel potentia infallibilis, incapaxue peccandi: hinc contingere potest, vt huiusmodi principium, etiam sequendo dictamē Virtutis circa suum obiectum, decipiatur vel peccet. Imo contingere potest vt Virtus ipsa ad ita imperandum moueatur ab aliqua potentia, non solum fallibili, sed de facto in sua operatione decepta. Explicatur hoc. Prudentia dictat, Petrum esse iudicandum bonum in his circumstantijs; quia intellectus repræsentat probabilius esse Petrum esse bonum, quam malum: hęc autem repræsentatio intellectus fortasse est falsa, dum dicit: *Potiora sunt motiua dicendi Petrum esse bonum, quam dicendi eumdem esse malum*: Contingere enim potest, vt potiora sint motiua in oppositum.

Præterea explicatur quod dictum est supra; videlicet non omnem actum, elicitum ex dictamine cuiusq; virtutis, continuo esse bonum &c. Intellectus humanus non est potentia incapax erroris, adeoque iudicium elicitum ab intellectu humano aliquando est falsum; & consequenter Prudentia dirigens intellectum humanum in iudicando, dirigit potentiam simpliciter fallibilem, adeoque contingit ut intellectus, iudicans secundum dictamen Prudentiæ; circa suum obiectum decipiatur. Insuper non quælibet

Virtus

Virtus habet pro fine quālibet bonitatem in opere à se imperato,sed hæc Virtus illā,illa illā aliā bonitatem intendit : quamnis igitur in opere deficiat genus aliquod bonitatis, cæteroquin requisitæ in opere;adeoq nequeat illud opus dici simpliciter bonum; non propterea non erit ex dictamine huius, vel illius Virtutis,cum in eodem opere inueniatur coniuncta bonitas, intenta à tali virtute, cum malitia opposita bonitati intentæ per alias Virtutes. Bonitas autem intenta in opere directo à Topica est bonitas syllogismi probabilis; hæc autem bonitas reperitur in syllogismo Topico, etiam quando est falsus.

Ex hac eadem Doctrina inferes, quod Analytica non solum docens, sed etiam vtens, ideo communiter pro Virtute admittitur, quia etiam vtens dicit verum: vel etiam quia Analytica docens in actibus à se directis non intendit solum apparentiam veritatis sicut aiunt de Sophistica, aut probabilitatem, & non repugnantiam inter ea quæ dicuntur; sed certitudinem, & euidentiam; cum de Topica & Sophistica aliter dicendum sit.

Topicam enim institutam esse ad disserendum probabiliter de rebus; sine vlla inter ea, quæ dicuntur, repugnantia, testatur Philos. Topicæ vel Institutor vel Instaurator; adeoq; finis Topicæ non est syllogismus simpliciter, & absolute verus. De Sophistica autem, siue dicas finem ipsius esse dissolutionem syllogismi fallacis, siue cōstructionem eiusdem; semper in Sophistica docente saluas rationem Virtutis. Si primum

mum dicas falsas etiam in vtente; detegere enim, & soluere fallacias est virtus, & quidem magno in pretio habenda.

De Topica vtente dicendum est, quod si nomen Virtutis accipiatur minus rigorose pro quolibet habitu, perficiente intellectum etiam ipsa est Virtus. Est enim euidens, habitum, quo intellectus de rebus omnibus probabiliter disputat, esse perfectionem intellectus; imo secundum Philos. & D. Thomam melius est, probabiliter saltem, disputare de rebus altissimis, puta de Deo & Intelligentijs; quam demonstratiue hæc infima cognoscere; puta elementa; & alia corpora eiusdem ordinis: & consequenter Habitus tentatiue disputatiuus de rebus altissimis est expetibilior habitu demonstrante passiones rerum infimarum.

Quod si nomine Virtutis intelligas solum habitum per quem Anima semper, & infallibiliter dicat verum; certum est Topicam vtentem non esse Virtutem.

ARTICVLVS V.

Respondetur obiectionibus.

OBijc. primo. Ex D. Aug. secundo de lib. arb. cap. 18. & 19.: Virtute nemo male vtitur: sed multi male vtuntur Logica: ergo Logica non est Virtus. Minor probatur præcipue quoad Sophisticam: multi enim vtuntur Sophistica ad alios decipiendos.

Resp. primo quod alijs etiam bonis artib. multi male vtuntur, & contra finem talium artium. puta Rhetorica vtuntur multi ad

suaden-

suadendos errores, & ad mouendos affectus ad malum: cum tamen finis Rhetoricæ sit suadere verum, & mouere ad bonum.

Resp. secũdo quod vti Sophistica ad decipiendos alios non est malum intellectus, sed voluntatis, ad quam non pertinet Logica: quamuis enim bona, & pia voluntas magis amet decipi, quam dicipere in multis: tamen intellectus habet pro vitio facile decipi, pro virtute facile decipere.

Resp. tertio distin. mai. virtute morali nemo male vtitur omitto mai., virtute intellectuali nego mai., & transmissa min. disting. conf.: Logica non est Virtus moralis conc. conf., non est virtus intellectualis nego conseq; Omisi mai., quia non est nostri fori. Cæterũ textus Augistini non facit ad rem, quia ibi Virtus accipitur non pro habitu; sed pro ipsomet vsu bono. Dicit enim: *Ideo virtute nemo male vtitur, quia opus virtutis est bonus vsus istorum quibus etiam non bene vti possumus.* puta bonus vsus diuitiarum est opus virtutis, cum etiam diuitijs male vti possimus, & de facto multi male vtantur.

Obijc. secundo Virtus est, quæ facit bonum habenté &c. sed Logica nõ facit bonum habentem, ergo Logica non est Virtus. Minor probatur, quia sæpe bonus logicus est pessimus Homo; ergo Logica non facit bonum.

Resp. Distin. mai. facit bonum simpliciter, & in omni genere boni: nego maiorem, facit bonum secundum, quid & in aliquo genere boni: conc. mai., & eodem modo distincta minori; nego conseq; Ad probationem

nem minoris patet ex dictis, Logica facit bonum habentem, non accipiendo nomine habentis totum Hominem, sed intellectum, in quo recipitur Logica: imo nec intellectum facit simpliciter bonum: potest enim cum Logica esse multiplex ignorantia in intellectu, sed secundum quid & in aliquo genere boni.

Obijc. tertio. Opus Virtutis debet esse bonum, sed neque opus Topicæ neque Sophisticæ est bonũ, ergo neq; opus Topicæ, neque Sophisticæ est opus Virtutis. Minor probatur, quia opus Topicæ est syllogismus probabilis; Sophisticæ vero syllogismus fallax neuter est bonus ergo nec opus Topicæ, nec opus Sophisticæ est bonum. Minor secundi syllogismi probatur, quia syllogismus Topicus aliquando; Sophisticus semper est falsus.

Ref. primo neg. min.; ad cuius probationem nego mai. Dictum est supra, opus virtutis esse ipsummet actum elicitum à Virtute; sed nec syllogismus Sophisticus à Sophistica, nec probabilis à Topica docente elicitur; ergo neuter est opus Virtutis. Est autem opus Topicæ actus ille, quo Topica dictat constructionem syllogismi probabilis; Sophisticæ vero actus, quo dictat constructionem syllogismi fallacis; vterq; autem actus est verus, vt dictum est supra. Syllogismus autem topicus à Topica vtente, Sophisticus à Sophistica vtente elicitur. Neutram diximus esse Virtutem. Quod si opus Sophisticæ vtentis est dissolutio Sophismatis ipsa etiam est Virtus. Si constructio, potest omitti quod non sit Virtus. Dixi *omitti*,

quod

quod est non curantis ; potest enim facile sustineri esse virtutem. Qui enim sciens facit syllogismum Sophisticum non deficit à virtute sicut nec qui sciens facit Sollæcismum .

Atq; hic nota obiter cum Philos. , quod qui ex arte facit contra artem , ex virtute contra virtutem facit ; vnde qui ex arte, & de industria faciunt errores quosdam contra regulas Grammaticæ vel Poeticæ , puta qui de industria componunt carmina vt vocant Maccaronica , virtuosi dicuntur : imo vt notat idem Philos., peccata , quę ad mores pertinent, excusare solemus dicendo: *Nesciebam* , quæ ad intellectum , dicendo: *Sciebam malum esse , sed de industria feci* ; adeoq; quæ est nostra miseria ! magis pudet esse imperfectos quam malos.

Res. secundo etiam accipiendo nomine operis tam syllogismũ Topicum quam Sophisticum dist. mai. , opus Virtutis debet esse bonum omni genere boni:nego mai.,aliquo genere boni: conc. mai. & eodem modo distincta minori,nego conseq; Distinctio patet ex dictis. In syllogismo probabili est bonitas intenta à Topica, in Sophistico bonitas intenta à Sophistica. Prima consistit in tali probabilitate , secunda in tali Virtute Proximi deceptiua .

Obijc. quarto.Habitus inclinans ad assentiendum falso , non est Virtus ; sed Sophistica inclinat ad assentiendum falso ; ergo Sophistica non est Virtus. Maior probatur, quia habitus inclinans potentiam ad malum eiusdem potentiæ non est Virtus ; imo potius dicendus est vitium : sed habitus incli-
nans

nans intellectum ad assentiendum falso, inclinat intellectum ad malum suum: malum enim intellectus est falsum; sicut bonum eiusdem est verum; ergo &c. minor autem probatur, quia Sophistæ non solum alios, sed seipsos non semel dicipiunt.

Res. Sophistam, si bonus Sophista sit, non decipi Sophismate, nec inclinari intellectum à Sophistica ad assentiendum conclusioni syllogismi Sophistici: adeoq; in forma: Omissa mai. nega min. &c. Hoc idem argumentum maiorem apparentiam habet contra Topicam. Ideoq; alij sic obijciunt. Topica inclinat intellectum ad assentiendū falso; ergo Topica non est Virtus intellectus. Antec. probatnr, quia Topica inclinat ad assentiendum conclusioni syllogismi probabilis; sed conclusio syllogismi probabilis sępe continet falsum, ergo inclinat Topica ad assentiendum falso.

Huic argumento Res. primo neg. antec. Ad probationem nega mai. Topica docens, quam diximus esse Virtutem non inclinat ad assensum; sed dictat modum eliciendæ conclusionis probabilis. Res. secundo negato eodem antecedenti distinguendo maiorem probationis eiusdem: inclinat ad assentiendum conclusioni syllogismi probabilis, vt veræ. nego mai. vt probabili: omitto mai. Res. tertio distinguendo primum ant.: inclinat per se: nega ant. per accidens: omitte ant., & nega conseq. Ad probationem eiusdem antecedentis vtere eadem distinctione.

Obijc. Vltimo, Philos. sexto Ethic. cap. tertio dicit, quod existimatio, seu opinio, & suspició non est Virtus, quia fieri

potest, vt per ea Anima dicat falsum: sed etiam fieri potest, & frequenter fit, vt per Topicam Anima dicat falsum; ergo neque Topica est Virtus.

Ref. Conc. mai. neg. min. Sermo enim est de Topica docente. De vtente enim vltro conceditur, quod strictè loquendo, non sit virtus. De Sophistica etiam vtente, si huius opus sit solutio Sophismatis, dic; dicere verum; si constructio, dic Sophisticam dicere falsum, non intellectui Sophistæ, sed illius, quem Sophista vult dicipere.

Collige ex dictis, quod quando duo habitus concurrunt ad aliquem actum, alter per modum elicientis, alter per modum dirigentis; si vterq; est Virtus, actus ex vtroq; capite est actus Virtutis: si tantum alter, puta tantum habitus dirigens sit Virtus, non autem eliciens; cum denominatio sumenda sit potius ab eliciente, quam à dirigente, actus non dicitur virtutis simpliciter, sed cum addito: *directiue.*

QVESTIO IV.

An Logica sit Scientia

ARTICVLVS I.

Virtus intellectus in suas species distribuitur.

LOgicam secundum omnes sui partes esse Virtutem, probatum est superiori quæstione. Quænam Virtus illa sit,

quæ-

quærendum est quæstione præsenti. Diuiditur autem Virtus intellectus a Philos. sexto Ethic. cap. tertio in quinque species. *Sunt autem*; ait ille, *ea quibus Anima affirmando, aut negando verum dicit, numero quinque: hæc vero sunt: Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia, Intellectus.*

Vt ab vltimo incipiamus: nomine Intellectus non intelligit hic Arist. ipsammet potentiam intellectiuam; sed habitum ipsi superadditum, per quem primis principijs assentimur: ideoq; cap. sexto eiusdem libri dicitur intellectus: *esse principiorum.* Nam quia in discursu non debet dari processus in infinitum, ne inanis sit curiositas Philosophantis; necesse est ad aliqua principia deuenire, quibus sine vlteriori probatione assentiamur. Dispositio autem, quā habet potentia intellectiua huiusmodi principijs assentendi, est ille Intellectus, quem in enumeratione Virtutum intellectualium vltimo loco ponit Philosophus. Huiusmodi habitu qui priuatur, non est capax disputationis: nam contra negantes prima principia frustra contenditur.

Sapientia vt habetur in eodem libro est scientiarum exactissima, quæ non solum ea, quæ ex principijs sunt, cognoscit, sed etiam circa principia ipsa verum dicit. Et ibidem Philosophus ait sapientiam, quam absolutissimis quibusq; in artibus, hoc est perfectissimis, cum addito attribuere consueuimus, dicendo: & Phidiam sapientem Marmorarium; & Polictetum Statuarium Sapientem, dici de quibusdam omnino, & non ex parte, hoc est sine vllo addito. Sicut enim

enim quosdam dicimus sapientes Statuarios, quosdam autem sapientes Pictores, sic etiam quosdam dicimus simpliciter Sapientes.

Constat igitur ex ijs, quæ dicta sunt, ait ibidem Philosophus *Sapientiam esse rerum præstantissimarum natura, Scientiam & Intellectum.* Vnde Sapientia est, & præstantissimarum causarum, & per easdem rerum præstantissimarum certa, & euidens cognitio. Per Sapientiam enim, & humana, & diuina certissime contemplamur, & ea, quæ per humana & diuina fiunt; vt dicitur de Anaxagora & Thalete, qui difficilia, & diuina, & inutilia cognoscebant, & propterea erant Sapientes.

Scientia, vt ex cap. tertio eiusdem libri colligitur, est *cognitio certa, & euidens rei per causas, propter quas res est, & non potest aliter & aliter se habere.* Hoc est: *habitus demonstratiuus rei per causas infallibilis, certus, & euidens.* Hoc etiam dicitur primo poste. cap. secundo *Scire arbitramur unumquodq. cum causam existimamus cognoscere, propter quam res est, & quod illius causa est; & non contingi. hoc aliter se habere.*

Ex definitione tum sapientiæ tum scie.. tiæ vides vtramq; conuenire, non solu.. in ratione virtutis, sed etiam in aliqu.. alio magis speciali prædicato: vtraque enim rem cognoscit per causas: differunt tamen in hoc, Quod scientia de principijs suis n.. iudicat; sed illis suppositis, elicit conclusioné ex ipsis: sapientia autem de principijs ipsis iudicat: vnde dicitur à Philosopho sapien-

pientiam esse intellectum, & scientiam. Differunt præterea in hoc, quod scientiæ singulæ de suis obiectis; Sapientia de omnibus, omnia reducendo ad suas causas philosophatur, & quia vna est omnium vniuersalissima, omnia ad eam vniuersalissimam reducendo, scilicet ad causam primam quæ est Deus, tam in ratione efficientis, quam in ratione finalis: Deus enim est primum principium, à quo omnia, & vltimus finis, ad quem omnia ordinātur iuxta illud: *Ego sum Alpha, & Omega; principium, & finis.* Denique differt Sapientia ab alijs scientijs per hoc, quod circa principia iudicet, cognoscendo hoc ad illā, illud aliud ad illā aliam pertinere! & sic singulis scientijs sua propria principia attribuendo.

Prædictæ tres virtutes intellectus ad partem Animæ speculatiuæ, vt vocat Philosophus, spectant: per eas enim sistimus in contemplatione obiecti, nec ad operationē progredimur. Alię vero duæ Prudentia scilicet, & Ars ad partem Animæ practicam pertinebunt.

Prudentiam autem prius quam definiat Arist., quid viri prudentis proprium sit ipse considerat, dicens: *Videtur igitur viri prudentis esse propriū posse recte consultare de ijs, quæ sibi ipsi bona sunt, atq; vtilia, non ex parte, vt quænam ad sanitatem, & robur conferant, sed quæ ad bene viuendum in vniuersum.* Et postquam ibidem statuit, ea solum in consultationem venire posse, quæ in nostra potestate sita sunt, concludit: *Restat igitur vt Prudentia habitus sit vera cum ratione actiuus, circa ea, quæ & bona,*

na, & mala hominis sunt.

Ex hac definitione, & alijs quæ definitionem præcedunt, manifestum est Philosophum nomine actionis, quam Prudentiæ tribuit per li *actiuas* intelligere operationem moralem. hoc est actum voluntatis: nam per actus voluntatis solum est bonus, vel malus Homo, seu bene vel male viuit in vniuersum; quia per solos actus voluntatis, vel promouetur ad felicitatem vel ab eadem remouetur. Hæc omnia satis explicat Philosophus, dum dicit Prudentiam esse habitum vera cum ratione actiuum circa ea, quæ humana bona sunt:

Denique cap. 4. Ars definitur: *habitus quidam, cum ratione vera effectiuus.* Obseruat autem Philosophus, quod quamuis Prudentia, & Ars in hoc conueniant, quod vtraq; versetur circa ea, quæ aliter se possunt; & quorum principium in nobis est: discriminantur tamen in hoc, quod Prudentia sit habitus actiuus; Ars vero habitus effectiuus quod discrimen in eo consistit, quod actio proprie loquendo accipiatur pro operatione humana, seu pro actu humano, pertinente videlicet ad bene viuere Hominis; effectio autem pro operatione, non pertinente ad bene viuere, sed ad aliquem finem, cum quo vel bene, vel male viuis: vt ad aliquod artefactum v. g. Domum vel Syllogismum, per quod neque bonus neque malus euadis.

ARTI-

ARTICVLVS. II.

Obseruantur aliqua circa actionem & effectionem.

OBseruandum est, quod Philosophus qui Prudentiã ab arte discriminat per hoc, quod hæc sit habitus effectiuus, illa vero actiuus: varias deinde artium species inter se discriminans, ait alias esse effectiuas, alias vero actiuas. Vnde apparet quod quando Ars discriminatur ab Arte per hoc, quod vna sit actiua, altera effectiua seu factiua; actio non est eodem modo accipienda, quo accepta est art. superiori, quando Prudentiam discriminabat ab Arte. Sciendum est autẽ, quod nomine actionis, quando Artem ab Arte discriminat, venit operatio non relinquẽs opus post se: *nam factilium*, inquit Phylosophus lib. 1. magnorum moral. cap. vltimo *præter facturam finis superest alius, sicut Domifactiuæ præter ædificationem, cum sit domus effectrix, ipsius finis prèter facturam domus est.*

Paulo post sic ait: *At in eis, quæ sub actionem cadunt, prèter actionem nullus est alius finis, vt præter citharæ modulatum finis non est alius; sed idem est finis, exercitium, & actio.* Ex quibus habes satis euidenter duo: primum est, quod esse actiuam etiam conuenit Arti, & non solum Prudentiæ: nam Citharistica, quam Philosophus in exemplum assumit, sine dubio est Ars, non vero Prudentia: & consequenter recte monuimus actionem in aliquo speciali sensu acci-

piendam esse, quando Prudentiam ab Arte
iscriminat. Secundum est, Artem factiuã,
u effectiuam, dici illam, quæ non habet
ro fine ipsummet exercitium: sed præterea
linquit opus, vt accidit in Domifactiua,
uæ relinquit domum: Artem vero actiuam
ici illam cuius totum opus, & finis est ip-
mmet exercitium, post quod non remanet
ous: ita Citharisticæ finem esse ipsammet
odulationem, ait Phylosophus.

Quemadmodum autem actio aliter acci-
tur, quando discriminat Prudentiam ab
rte, & aliter quando discriminat Artem
Arte; ita etiam factio, siue effectio aliter
cipienda est, quando discriminat Artem à
udentia, aliter quando discriminat vnam
rtem ab alia Arte: in prima acceptione
pponit pro operatione non respiciente fi-
m moralem; in secunda pro operatione
linquente opus post se. In prima accep-
one conuenit citharizationi, in secunda
n cõuenit citharizationi, sed ædificationi,
t cuilibet alteri operationi huiusmodi.
anc diuersam actionis, & effectionis accep-
onem habes passim apud Philosophum tùm
Metaphysicis tum in Ethicis.

Ex his habes rationem huius dicti, quod
pra attigimus ex Philos. sexto Ethic. cap.
into vbi sic habet. *Atq. in arte quidem*
i sponte peccat magis eligendus est, minus
i in prudentia idem facit; sicut etiam cir-
virtutes. Cum enim Ars non respiciat
que finem vltimum simpliciter, qui re-
citur à Prudentia, neque finem aliquem
ctantem ad mores; per hoc quod quis
nte peccet in arte, non fit malus Homo;

imo

imo si sponte, & de industria peccet, nec vitiatur secundum intellectum, cum non peccet ex errore aut ignorantia. At vero cum Prudentia respiciat finem vltimum, & virtutes morales respiciant bonum morale; per quod dicitur homo simpliciter bonus; per hoc quod quis sponte peccet vel in Prudentia recedendo ab vltimo fine, vel in alijs virtutibus, contemnendo honestum; fit malus.

ARTICVLVS III.

Logica est Scientia.

PRius quam probetur conclusio quæ tam à Themistis quam à Scotistis pro vera admittitur habetq; pro se Conimb; Hurtadum. Arriagam, & innumerabiles alios ex recentioribus. Supponendum est non vno modo accipi scientiam ab Arist. Primo accipitur strictissime pro habitu, non solum demonstratiuo sed etiam ita considerante obiectum, vt in eius contemplatione quiescat: secundo ita late, vt pro omni cognitione supponat, idemq. sit scire quod cognoscere. In hoc sensu dixit Aristot. *Omnis homo natura scire desiderat*, vt constat ex toto illo Metaphysicæ procemio, quo nihil aliud intenditur, nisi Hominem esse naturá sua appetitiuum cognoscendi.

Tertio accipitur nec ita stricte, vt solum pro habitu sistente in contemplatione obiecti. nec ita late, vt pro omni genere cognitionis supponat; sed pro habitu cognoscente rem per causam, propter quam res

est,

ſt, & quod illius cauſa eſt, & non poteſt
liter & aliter ſe habere: quæ eſt vera, &
propria definitio ſcientiæ allata ab Ariſtot.
exto Ethic. cap. tertio & primo poſter cap.
ſecnndo. His poſitis,

Dico Logicam eſſe vere & proprie ſcien-
tiam. Probatur conclufio; quia habitus ex
certis, & euidentibus principijs demon-
ſtrans paſſiones, ſeu proprietates ſui obiecti
eſt vera, & propria ſcientia: ſed Logica, eſt
huiuſmodi; ergo Logica eſt vera & pro-
pria ſcienria. Maior continet definitionem
ſcientiæ. Minor probatur, tum ex ijs, quæ
indicata ſunt in ſummulis; tum ex ijs, quæ
afferentur in libris prior. & poſt., in qui-
bus Philoſophus facit innumeras demon-
ſtrationes circa operationes mentis, ſecun-
dum rationem conſideratam à Logica: puta
ſecundum quod hic vel ille modus ſyllogi-
zandi eſt certus, & ſic de cæteris.

Quod autem dicimus de Logica hic, æque
intelligendum eſt de Topica & Sophiſtica,
ac de Analitica. Imo de Topica & Sophi-
ſtica D. Thomas quarto Metaph. lect. quar-
to hæc habet: *Licet autem dicatur quod
Philoſophia eſt ſcientia, non autem Diale-
ctica & Sophiſtica: non tamen per hoc re-
mouetur quin Dialectica, & Sophiſtica
ſint ſcientiæ, Dialectica enim poteſt conſide-
rari ſecundum quod eſt docens, & ſecun-
dum quod eſt vtens: ſecundum quod eſt do-
cens, habet conſiderationem de iſtis inten-
tionibus, inſtituens modum, quo per eas
procedi poſſit ad concluſiones, in ſingulis
ſcientijs probabiliter oſtendens: & hoc de-
monſtratiue facit, & ſecundum hoc eſt ſciē-*

tia &c. Et similiter dicendum est de Sophistica, quia prout est docens, tradit per necessarias & demonstratiuas rationes modum arguendi apparenter. Hæc D. Thomas.

ARTICVLVS IV.

Satisfit Obiectionibus.

OBijcies primo. Logica est ars, ergo non est scientia. Probatur ant. quia omnis habitus, vera cum ratione effectiuus, est ars: sed Logica est huiusmodi, ergo Logica est ars. Minor probatur, quia Logica est habitus tradens veram, & certam rationem efficiendi definitiones, diuisiones, & Syllogismos; ergo est habitus vera cum ratione effectiuus. Probatur iam prima consequentia, quia Philosophus 6. Ethicorum cap. 3. scientiã condiuidrit arti, hoc est diuidendo virtutem intellectus, ponit pro vna parte artem, & pro alia scientiam; ergo idem habitus non est simul scientia, & ars. Probatur hæc conseq; quia male diuideretur Animal in hominem & brutum, si idem indiuiduum Animal esset homo & brutum; ergo male diuiditur virtus in scientiam & artem, si eadem indiuidua virtus est scientia & ars.

Resp. conc. ant. & eius probatione, neg. conseq. ad cuius probationem; dic Philosophum ibi accepisse scientiam, non secundum quod omnem scientiam, etiam proprie talẽ, compræhendit; sed in strictissima acceptione: niminum pro ea, quæ sistit in contemplatione obiecti, hoc est pro scientia purè speculatiua, quàm dicit esse nobilissimam, &

præstan-

ræstantissimam. Itaque in forma ad pro-
ationem consequentiæ resp. cum distinctio-
e: scientiam strictissimæ acceptam condi-
idit arti concede, scientiam non strictissi-
nè, sed tamen stricte acceptam nega ant. &
onseq. Ad probationem vltimæ consequen-
iæ; dic, quod Animal male diuideretur,
uia & homo & brutum debent esse duæ spe-
ies intra idem genus; sicut sunt scientia
trictissime accepta, & ars; si autem scientia
on accipiatur strictissime, potest esse idem
um arte; cum eidem indiuiduo habitui
onueniat definitio, & scientię & artis: nulli
utem bruto aut homini conuenit definitio
ruti & hominis.

Obijcitur secundo. Vnius scientiæ debet
sse vna determinata materia, & vnum de-
erminatum obiectum: sed Logicæ non est
na materia, & vnum obiectum, ergo Logi-
a non est vna scientia. Maior est Aristote-
is 11. Metaphy. sum. 3. cap. 1. Minor pro-
atur, cùm authoritate eiusdem, qui dicit
Dialecticam de rebus omnibus disserere, tùm
atione; quia definitiones, diuisiones, &
yllogismi, quæ sunt finis Logicę, rebus
mnibus applicantur.

Resp. conc. mai. neg. min. Nam obie-
tum & materia Logicæ est operatio intelle-
tus, quæ est aliquod vnum, & aliqua deter-
ninata materia, sufficienter ad rationem ob-
ecti scientiæ; sicut ens sensibile est aliquod
num, sufficienter ad rationem obiecti Phy-
icæ. Ad probationem minoris, iam dictum
st obiectum Logicæ non esse res omnes, nisi
emotum. Adde quod hęc probatio nihil
alet; nam etiam dato quod res omnes sint

obiectum Logicæ, adhuc habent vnitatem sufficientem ad rationem obiecti; cum eædē ab eodem Philosopho dicantur obiectum Philosophiæ seu Metaphysicæ. Quemadmodum enim Metaphysica considerat res omnes sub ratione entis; & hæc ratio est sufficienter vna ad Metaphysicam; ita Logica consideraret res omnes in ratione cogniti, quæ esset sufficienter vna ad Logicam.

Obicies tertio. Philosophus 2. Metaph. cap. 3. text. 15. ait: *Absurdum est simul scientiam, & modum sciendi quærere*; ergo modus sciendi non est scientia. Probatur consequentia, quia si modus sciendi esset scientia, impossibile esset quęrere modum sciendi, quin eo ipso quæreretur scientia, ergo si nequit modus sciendi & scientia simul quæri, modus sciendi non est scientia: sed Logica est modus sciendi, ergo Logica non est scientia.

Resp. Quod ex Aristot. loco citato nihil aliud habes, nisi: absurdum esse, simul aliquod obiectum speculari, & modum addiscere ipsum speculandi, qui prius addisci debuerat: vnde Auerroes explicando hunc Phylosophi locum, comparat eum, qui simul speculatur aliquod obiectum, & simul modum addiscit illud speculandi, homini Medicinæ studioso, *qui infirmum*, ait ipse, *intendit medicinari*, & *addiscit Medicinam, quam debuerat antea didicisse*; ideoque iuxta commentatorem, qui volunt aliquam scientiam adipisci, quæ versetur circa res, debent prius addiscere Logicam, quæ non circa res ipsas, sed circa modum res ipsas speculandi versatur; idem dicit D. Thomas

n hunc eundem Philosophi textum .

Ad argumentum in forma dist. ant. Absurdum est quærere scientiam , & modum sciendi distinctum à tali scientia : conc. ant. ndistinctum à tali scientia : nega antec. & onseq. Absurde studeret quis Physicæ simul & Logicæ; quia simul quæreret modū scien-di, & scientiam modo prohibito .

Obijcies quarto. Instrumentum scientiarū non est scientia : sed Logica est instrumentum scientiarum, ergo Logica non est scientia . Minor concessa est hactenus septuagies epties . Maior probatur , quia instrumentum non conuenit genere cum eo , cuius est nstrumentum; v. g. malleus non conuenit cum fabro, aut arte fabrili; ita vt quod prædicatur de fabro, aut arte fabrili, prædicetur de malleo; ergo de instrumento scientiarum non potest prædicari scientia .

Resp. neg.mai. ad cuius probationem nego antec. Nam ars respectu alterius artis habet rationem instrumenti , vt Nauifactiua respectu Nauticæ , & de vtraque prædicatur ars . Logica igitur poterit esse instrumentū aliarum scientiarum, & simul scientia. Ad rationem seu paritatem peritam ex malleo dic, Logicam non esse instrumentum scientiarum , sicut malleus artis fabrilis . Porro quemadmodum iuxta directionem Logicæ alij habitus puta Metaphysica de ente ; Physica de ente sensibili passiones demostrat; ita Logica ipsa, iuxta suam ipsius directionem, circa propriam materiam, nempe circa operationem intellectus, demonstrat . Est enim supra suos actus reflexiua , nec minus seipsam,quam alias scientias apta dirigere .

ARTICVLVS V.

Respondetur alijs obiectionibus.

OBijcitur insuper: Omnis scientia habet sua propria principia, Logica non habet sua; ergo Logica non est scientia. Minor probatur, quia principia, quibus innititur Logica sunt: *Non potest idem simul esse & non esse. Quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se*: sed hæc principia non sunt propria Logicæ; ergo Logica non habet sua propria principia. Minor probatur quia huiusmodi principia sunt Metaphysica; & à Metaphysica alijs etiam scientijs communicantur.

Resp. Omissa mai. neg. min. ad cuius probationem nego mai. vidimus in summulis principia propria Logicæ esse: *Dictum de omni*: & *dictum de nullo*; quæ nulli alteri scientiæ communia sunt. Addo tamen, quod etiamsi prædictis principijs: *non potest idem, &c.* & *quæ sunt eadem vni tertio, &c.* inniteretur, non esset propterea remouenda à ratione scientiæ. Quamuis enim prædicta principia essent ipsi, alijsque scientijs communia, adhuc tamen ex diuerso modo procedendi ex talibus principijs, ex diuersitate obiecti formalis, & ex alijs, si quæ sunt, scientiarum specificatiuis, sufficienter esset vna specialis scientia.

Objicies vltimo. De ratione scientiæ est, vt sit de ijs, quorum principium est in natura, & non in nobis: sed operationum intellectus principium est in nobis, & non in natura,

ra, ergo operationum intellectus non est
entia. Maior probatur tum authoritate
ilosophi 6. Ethic. tum etiam inductione.
yfica est de corpore sensibili, cuius prin-
pium non est in nobis, sed in natura; Me-
physica de ente. Minor autem probatur,
ia definitionis, diuisionis & argumenta-
onis principium est in nobis: pendet enim
nobis quod sit definitio, &c.

Resp. Negando mai. ad probationem dic
authoritatem Philosophi, & inductionem
latam, & quancunque aliam, esse de scien-
is pure speculatiuis, quæ non requirunt
iectum agibile, vel factibile, sicut requi-
tur à Prudentia, & arte, quibuscum ibi à
hilosopho comparantur: quicquid sit, an
iam circa huiusmodi obiecta scientiæ spe-
latiuæ versari possint. A speculatiuis au-
m differunt practicæ, quæ tamen sunt verè,
proprie scientiæ: cum Philosophus 11.
etaph. diuidat scientiam in speculatiuam,
uam dicit esse optimum genus scientiæ, &
peratiuam, seu practicam. Hoc idem facit
). Thomas Philosophi interpres in eundem
brum lect. 7. Est autem extra dubium non
endere à nobis positionem obiecti, quod à
ientia pure speculatiua consideretur, cum
men positio obiecti, per scientiam opera-
nam considerati, sit in nostra potestate;
uandoquidem ad ipsum ponendum ab ea-
em scientia operatiua dirigimur.

Instabis: obiectum scientiæ debet esse ne-
essarium; sed quod pendet à nobis non est
ecessarium; ergo non est obiectum scientię.
laior constat ex definitione scientiæ, quæ
equirit obiectum immobile, hoc est non po-

tens aliter, & aliter se habere. Minor probatur, quia quod pendet à nobis potest esse, vel non esse, prout volumus, & aliquando non est; ergo non est necessarium sed contingens.

Resp. dist. mai. Debet esse necessarium secundum existentiam: nego mai. necessariũ secundum connexionem prædicatorũ: conc. mai. & eodem modo dist. min. nego consequentiam. Necessarium secundum existentiam est solus Deus; quem nimirum impossibile est non existere: cætera omnia, cum creata sint, & per totam æternitatem non fuerint, secundum existentiam sunt contingentia; ideoque si talis necessitas ad obiectum scientiæ requireretur, nulla de rebus creatis daretur scientia.

Esse autem necessarium secundum connexionem predicatorum est, quod detur necessitas, vt talia prędicata tali subiecto conueniant; ideoque impossibile sit tale subiectum existere, quin talia prædicata existant. v. g. hæc cognitio: *Homo est animal rationale* dicitur esse de obiecto necessario, immurabili, æterno; ideoque dicitur æternæ veritatis, quia datur necessitas, vt hoc prædicatum: *animal rationale* conueniat huic subiecto: *Homo*: & impossibile est vnquam Hominem existere, quin eo ipso existat Animal rationale. Contra vero hæc cognitio: *Homo est albus* dicitur esse de obiecto contingenti, quia contingens est prędicatum conuenire subiecto, vt patet.

Dicitur etiam obiectum scientiæ esse vniuersale, quia prædicata, & passiones, quę de obiecto demonstrantur à scientia, non conueniunt

ueniunt vni singulari subiecto, quatenus hoc singulare subiectum est. v. g. passiones quæ demonstrantur de Homine non conueniunt Petro, quia Petrus est, sed quia Homo est; adeoque omni rationi contentæ, seu potius omni indiuiduo contento sub hac ratione communi *Homo*. Propterea dicit Phylosophus scientiam non curare, nec inuestigare quid conueniat socrati, aut Bucephalo; sed quid Homini & Equo.

Prædictam autem necessitatem, æternitatem, immutabilitatem, & vniuersalitatem obiecto Logicæ conuenire, manifestum est. Est enim impossibile dari definitionem rectã, rectum Syllogismum, quin dentur passiones & prædicata, quæ de ipsis per Logicam demonstrantur, & tam datur necessitas Metaphysica, vt Syllogismus in barbara concludat vniuersaliter affirmatiuè; quam vt Homo sit Animal rationale. Idem dic de æternitate, immutabilitate, & vniuersalitate. Quandocunque enim ponetur Syllogismus in *Barbara* ponetur syllogismus vniuersaliter, & affirmatiue concludens: vnde hæc propositio: *Syllogismus in Barbara habet conclusionem uniuersalem affirmatiuam*: æquè est propositio æternæ veritatis, & de obiecto necessario, ac ista: *Homo est animal rationale.* Item Syllogismus in *Barbara*, non quia est hic, vel ille, in hac, vel illa materia; sed quia est Syllogismus in *Barbara* concludit vniuersaliter; adeoque omnis Syllogismus in *Barbara* est vniuersaliter affirmatiue concludens.

Dices: Operatio intellectus potest aliter, & aliter se habere; ergo non potest esse obie-

ctum scientiæ. Antecedens probatur ex alibi dictis, quia operatio intellectus est indifferens vt sit bona, vel mala, ideoque est dirigibilis, ergo potest aliter, & aliter se habere.

Resp. dist. ant. Operatio intellectus quoad rationem demonstratam à Logica potest aliter, & aliter se habere, nego ant. quoad aliud conc. ant. & nego conseq. Vel sermo est de operatione recta, quæ est obiectũ attributionis Logicæ, puta de Syllogismo, desinitione, &c. & hæc non potest aliter se habere, quam demonstretur à Logica: puta: Syllogismus in *Barbara* non potest aliter, quam vniuersaliter, & affirmatiue concludere. Vel sermo est de operatione vt sic, hoc est de obiecto materiali: & circa id, quod vel demonstratur, vel supponitur à Logica, non potest aliter, & aliter se habere: Supponitur enim indifferens ad apprehensiones iudicium & syllogismum, ad rectitudinem, & prauitatem, & hæc sunt prædicata necessaria, & immobilia operationis vt sic.

QVAESTIO V.

An Logica sit speculatiua an practica.

DIximus iam non semel scientiam aliam esse speculatiuam, aliam practicam. Hoc iterum confirmamus tum authoritate Philosophi qui 2. Metaph. cap. 1. text. 3. Philosophiam vocat scientiã contemplatricem, ad differentiam scientiæ pra-

practicæ, cui illam comparat, & præponit; tum etiam authoritate Auerrois Philosophū commentantis hoc pacto: *Quia ueritas dupliciter inuenitur, in opere, & in speculatione; ideo dixit Philosophus, quod habitus Animæ, qui scientię attribuitur est duplex; unus, cuius finis est scire tantum; & alius cuius finis est operari.*

Cum igitur iam statuerimus Logicam esse scientiam, superest examinandum an inter speculatiuas, an inter practicas censenda sit. Et quia ad resolutionem aliquid facit scire quid sit cognitio practica, quid speculatiua; ideo operæ pretiū erit indagare prius quidditatem cognitionis practicæ, & speculatiuæ.

ARTICVLVS I.

Aliquæ sententiæ circa cognitionem practicam.

QVid intelligatur nomine praxis non omnes conueniunt, cum tamen cognitionem practicam fere omnes definiant: *Cuius obiectum est praxis.* Iuxta Scotum quæst. 4. prologi in primū: *Praxis est actus alterius potentiæ quam Intellectus, naturaliter posterior intellectione, natus elici conformiter rationi rectæ; ad hoc ut sit rectus.* Ex hac sua definitione Scotus infert rationem praxis non conuenire, nisi actibus voluntatis; quia autem cognitio practica habet pro obiecto praxim, dicit illam solam cognitionem esse practicam, quæ respicit actum aliquem voluntatis, illum videlicet dirigendo.

Hanc sententiam fundat doctor subtilis hoc principio. *Intellectus extensione fit practicus*: sed intellectus non extenditur, nisi procedat ad actum alterius potentiæ; ergo non est practicus, nisi dirigat actum alterius potentiæ. Minor probatur, quia, nisi procedat ad actum alterius potentiæ, manet intra se, & consequenter non extenditur. Porro si alterius potentiæ actum dirigit, vt fit conformis rectæ rationi; certè non nisi voluntatis, cum hæc sola sit capax talis directionis; sola enim voluntas libere agit, & conformiter ad rectam rationem: cum sola sit potentia rationalis.

Hæc sententia infinitos habet aduersarios, vt constat ex ijs, quæ refert Gabriel Vasquez in prima parte disput. 8. Inter infinitos nos etiam sumus; quemadmodum enim actus voluntatis ab intellectu dirigi potest; ita vnus actus intellectus potest per alium dirigi, vt experientia constat. Nam quemadmodum intellectus dicit: *danda est eleemosina pauperi*, ita dicit: *definitio fieri debet per genus & differentiam*: & quemadmodum per primum dictamen dirigitur voluntas ad eleemosinam largiendam; ita per secundum, dirigitur intellectus ad faciendam definitionem: adeoque tam primum, quam secundum dictamen, est gratia operis: sed iuxta Philosophum, D. Thomam, & alios cognitio illa, quæ est gratia operis, est practica; ergo tam secunda cognitio, quam prima est practica. Philosophus enim assignans differentiam inter scientiam speculatiuam, & practicam dicit: *speculatiuæ finis est veritas, practicæ vero opus*. Quod, & de toto

habitu

habitu scientifico, & de qualibet cognitione proportionaliter dicendum est.

Ad fundamentum sententiæ Scoticæ respondetur principium illud: *Intellectus extensione fit practicus*, si vsquam reperitur, facere hunc sensum. Intellectus fit practicus per hoc quod per vnum actum aliquem aliũ actum dirigat, non sistendo in primo, per modum finis; idque siue ille alius actus sit voluntatis, siue intellectus. Talis igitur extensio non est necessario extensio potentiæ ad aliam potentiam, sed extensio actus in alium actum.

2 Dicunt alij cognitionem speculatiuam esse illam, quæ est de obiecto non factibili, practicam vero illam, quæ est de obiecto factibili. Pro speculatiua afferri posset id, quod dicitur à D. Thoma opus 7. super Boet. de Trinitate: *Speculatiuarum scientiarum materiam oportet esse res, quæ à nostro opere non fiunt; vnde earum consideratio in operationem ordinari non potest sicut in finem.* Pro practica id, quod ab eodem ibidem dicitur: *Oportet practicarum scientiarum materiam esse res illas, quæ a nostro opere fieri possunt, vt earum cognitio in operationem, quasi in finem ordinari possit.*

Verum: quidquid sit an de obiecto non factibili dari possit cognitio practica, vel potius circa obiectum non factibile; quatenus nimirum, si non proxime, saltem remote dirigat ad operationem; vt est v. g. cognitio, quam habet Medicus quod virtutes sunt tres, & quod genera febrium sunt tot: qua cognitione ait S. Doctor Medicum dirigi, sed non proxime ad operationem: Videtur certum,

quod

quod etiam de obiecto factibili possit haberi cognitio speculatiua; cum etiam in obiecto factibili detur aliquod prædicatum, cuius cognitio secundum se, & propter se sit expetibilis: ideoque ad rationem cognitionis practicæ insufficiens est, quod sit de obiecto factibili præcise.

Multo minus admittenda est eorũ definitio, qui dicunt illum actum intellectus esse practicum, ad quem sequi potest alia operario; nam etiam ad actum speculatiuum v. g. ad speculationẽ Physicæ aut Metaphysicæ circa suum obiectum, sequi potest amor eiusdem obiecti qui est operatio voluntatis. Ex eo enim, quod quis attente consideret vel Angelum, vel Cælum, vel aliquid aliud huiusmodi, sepissime oritur in voluntate piũ desiderium, illa propius intuendi; & tamẽ considerationes huiusmodi sunt actus simpliciter, & pure speculatiui. Necesse est igitur ad hoc, vt cognitio dicatur practica, vt versetur ita circa factibile vt ad ipsum faciendum aliquo modo dirigat. Aduerte autem hic actiuum, & factiuum nomine practici comprræhendi: vt aduertunt Vasquez, Gregorius, & alij. Ratio est, quia vtrumque speculatiuo opponitur, cum quo practicum comparamus. Varias autẽ acceptiones actiui & factiui, actionis, & factionis iam supra retulimus.

ARTICVLVS II.

Definitur cognitio practica.

Dicendum est cognitionem practicam esse illam, perquam cognoscens dirigitur

gitur ad effectionem obiecti cogniti: speculatiuam vero esse illam per quam cognoscēs sistit in contemplatione obiecti: Fundatur hęc nostra definitio tum authoritate Philosoph. D. Thomæ, aliorumq; passim dicentium: *Speculatiuæ finis est veritas, practicæ autem opus*: tum etiam ratione; quia cognitio practica debet differe à speculatiua; nō autem sufficienter differt per hoc, quod sit quomodunque de obiecto factibili; neque per hoc, quod ad ipsam sequi possit operatio, vel eiusdem, vel alterius potentiæ; neque ullo alio modo ex superius relatis, ergo debet differre per hoc, quod sit directiua cognoscentis ad effectionem obiecti cogniti. Confirmatur ex cōmuni sensu Philosophorum dicentium: *Cognitionem practicam esse ordinatam ad opus.*

Difficultas est à quo, & vnde haberi debeat hæc ordinatio. An videlicet sufficiat ordinatio ab extrinseco, ita vt cognitio sit practica per hoc, quod cognoscens ordinet illam ad effectionem rei repræsentatæ per ipsam; an huiusmodi ordinatio non sufficiat, sed requiratur vt ex se ipsa tendat ad effectionem rei, quam repræsentat; vel an sufficiat, quod habitus ille, cuius est talis cognitio, sit ordinatus ad opus.

Et primo quidem, cognitiones illas, quæ ex se, & ratione modi tendendi in obiectum, dirigunt ad illud faciendum, practicas esse, extra controuersiam est v. g. Certū est hanc cognitionem: *Definitio facienda est per genus & differentiam*: esse practicam; cum non solum ex obiecto, quod est facibile, sed ex modo, quo circa ipsum versatur, appareat

reat ordinata ad effectionem ipsius. Verum; an hæc etiam : *Omnis definitio constat ex genere & differentia*, practica sit, dubitari potest. Quamuis enim sit de obiecto facibili scilicet de definitione : potest tamen aliquis hanc veritatem contemplari, quod scilicet constare ex genere, & differentia, sit essentia definitionis ; & in tali contemplatione sistere atque quiescere. Probatur hoc : nam intellectus humanus potest sistere in cognitione repræsentante quod albedo sit qualitas disgregatiua visus ; dulcedo sit qualitas delectatiua palati ; & in alijs huiusmodi, tanquam in fine : hoc est non ordinando cognitiones huiusmodi ad aliud; ergo etiam poterit sistere in hac: *Definitio constat ex genere & differentia.*

Rursus quemadmodum prædicta cognitio potest habere rationem finis, in eo videlicet, qui naturam definitionis consideret, purè vt illam cognoscat ; ita etiam ordinari potest ad opus ab eo, qui talem cognitioné acquirat, vt iuxta illam conficiat definitionem. Quicunque enim hanc definitionis cognitionem habet, quocunque tandem fine illam habeat ; habet cognitionem, aptam dirigere intellectum ad effectionem rectæ definitionis.

Ad difficultatis propositæ resolutionem. Sciendum est in hac cognitione : *Difinito constat ex genere & differentia* : duplicem rationem considerari posse. Primo enim hæc cognitio est definitiua obiecti, quod per ipsam attingitur, nimirum definitionis secundo est de obiecto, factibili per ipsum met cognoscentem, & ad eiusdem effectionem

con-

conducens. Cum autem considerare obiecta definiendo, & diuidendo sit, vt ait D. Thomas, modus proprius scientiarum speculatiuarum, habet huiusmodi cognitio aliquid de speculatiuo.

Dicendum est cognitionem prædictam esse simpliciter practicam; secundum quid speculatiuam. Et simpliciter practica; quia est directiua ad effectionem rei repræsentatæ per ipsam: est secundum quid speculatiua; quia habet modum tendendi proprium speculatiuarum. Quod autem attinet ad intentionem habentis prædictam cognitionem, & sistentis in ipsa, cum tamen eadem vti possit ad opus; hoc non facit quin sit idonea dirigere intellectum ad effectionem obiecti quod repræsentat; adeoque, & ex obiecto, quod est factibile, & ex se ipsa, quæ continet modum eiusdem faciundi, habet esse practicam.

Consonat hæc doctrina doctrinæ Doctoris Angelici, qui in prima parte questione 14. art. 19. dicit, quod si Aedificator consideret Domum definiendo, & diuidendo; & considerando vniuersalia prędicata ipsius; imo si consideret qualiter fieri posset aliqua domus non ordinans ad finem operationis, sed ad cognoscendum: tantum erit quoad finem, & quoad modum speculatiua consideratio: *Quæ vero*, ait ipse, *speculatiua est secundum modum, vel finem: est tantum secundum quid speculatiua.*

ARTI-

ARTICVLVS III.

Alia dubitatio circa cognitionem practicam.

DVbitatur praeterea an intentio, seu finis facultatis, cognitionem continentis, possit illam reddere vel speculatiuam, vel practicam; etiam si in cognitione, secundum se considerata, non appareat vlla sufficiens ratio, cur practica potius, quam speculatiua dicatur, aut e conuerso.

Ad hanc dubitationem dico primo, quod intentio, seu finis habitus, aut facultatis constituit habitum ipsum in ratione practici, vel specullatiui. Ita ex Philosopho D. Thomas. *Intellectus practicus, & speculatiuus,* ait ille, *differunt fine: speculatiuus enim habet pro fine veritatem, quam considerat; practicus autem veritatem consideratam ordinat in operationem tanquam in finem.* Item lib. secundo Metaph. cap. primo Philosophus haec habet. *Speculatiuae etenim scientiae finis veritas, practicae autem opus.* Illa igitur scientia erit speculatiua, quae pro fine habebit ipsam cognitionem veritatis, practica vero, quae pro fine habebit aliquod opus, quod considerabit, & cuius gratia caetera considerabit.

Dico secundo cognitionem hanc & illam, nisi aliunde sit practica, non esse talem per hoc, quod habitus practicus illa vtatur. Probatur hoc ex dictis, quia cognitio practica sortitur denominationem practicae, tum à factibilitate obiecti, quod considerat, tum à

ratione directiuæ, quæ in ipsa est ad effectionem obiecti; quod autem aliquis habitus, intendens opus vsurpet hanc vel illam cognitionem; non continuo facit, vt sit de obiecto factibili, aut doceat modum obiecti faciendi; ergo per hoc, quod habitus practicus aliquam cognitionem adhibeat, non continuo constituet illam practicam.

Verum quidem est, quod si cognitio aliqua sit de obiecto factibili, & ad illius effectionem dirigat; quamuis modus tendendi in obiectum, non præseferat rationem directiui, non propterea talis cognitio non erit practica. v. g. hæc cognitio : *Syllogismus in barbara constat tribus vniuersalibus affirmatiuis, & medio termino sic distributo* non præsefert modum tendendi directiuũ: non enim dicit: *Syllogismus in barbara construendus est per talem distributionem medij termini, & per tres propositiones, vniuersaliter affirmatiuas.* Quia tamen est de obiecto factibili, & dirigit ad effectionem eiusdem, est simpliciter practica.

Quod si aliquis dicat cognitionem prædictam non esse præceptiuam, & consequenter non esse practicam; ad hoc autem vt sit præceptiua, & consequenter practica, requiri vt tendat hoc modo in obiectum : *definitio fiat, vel facienda est & per genus & differentiam* : *syllogismus in barbara fiat per tria A &c.* Interroga an magis dirigatur intellectus ad effectionem definitionis, & Syllogismi per huiusmodi cognitiones, quam per adductas a nobis ? quod si æque dirigeris per hanc :

Defi-

Definitio constat: ac per istam: *Definitio constet ex genere & differentia*; dic æque vnam, ac aliam esse practicam; vtramque esse præceptiuam: quamuis in vtraque nó sit idem modus præcipiendi.

Dices: nequit explicari in quo consistat ratio directiui, ergo cognitio practica male definitur per rationem directiui.

Resp. negando antecedens: & dico rationem directiui consistere in hoc, quod talis cognitio, vel doceat modum, quo fieri debet tale obiectum, vel iudicet bonum esse facere rem repræsentatam, cuius faciendæ modus scitur à cognoscente. Vtrumque vt vides est dictamen rei faciendæ. Primum specialiter pertinens ad artem; secundum ad Prudentiam: qui sunt duo habitus pertinentes, vt ait Philosophus, ad partem Animæ practicam, seu ad intellectum practicum.

Quod autem ad rationem cognitionis practicæ non requiratur, vt per illam doceamur modum faciendi rem repræsentatá, probatur, quia ex communi sensu Theologorum dictamen conscientiæ, quo iudico hic & nunc mihi licitnm esse irasci, est dictamen practicum; & tamen per tale iudicium non doceor modum irascendi, vt patet.

ARTICVLVS IV.

Logica est simpliciter practica.

PRobatur conclusio ex dictis. Secundnm Philosophum, Auerroem D. Thomam & alios, scientia illa est practica, quæ habet

bet pro fine opus: Sed Logica habet pro fine opus; ergo Logica est scientia practica. Maior probatur, quia scientię speculatiua & practica differunt fine, eo quod vnius finis sit veritas, alterius vero opus. Minor autem probatur, quia, vt dictum est, Logicæ finis est operatio recta.

Dices: Logica procedit circa suum obiectum demonstratiue; ergo Logica non est practica, sed speculatiua. Antecedens probatum est, vbi diximus Logicam esse scientiā. Consequentia probatur: quia procedere demonstratiue est procedere modo resolutorio, hoc est resoluendo obiectum, quod consideratur, in suas causas, & sua principia: sed talis modus est proprius scientiæ speculatiuæ; ergo procedere demonstratiue est proprium scientiæ speculatiuæ. Hinc est, quod communiter dicitur, modum procedendi habitus practici esse compositorium, vt pote tendentem ad coniunctionem formæ cum materia; vt habeatur opus intentum. Ita præcepta Statuariæ eo tendunt, vt figura Cęsaris componatur cum marmore; & præcepta Logicæ eo conspirant, vt rectitudo inducatur in operationem, vt forma in materiam. Cum igitur modus procedendi resolutorius, & modus procedendi compositorius sint habiuum oppositiorum; nequeunt vni eidemque Logicæ conuenire; nisi eadem Logica habitibus constet inter se oppositis.

Resp. Concesso antecedenti, negando consf. Ad cuius probationem transmissa mai. dist. minorem: talis modus est proprius scientiæ speculatiuæ, si sit gratia operis, nego minorem, si sit gratia sui, concedo minorem,

&

& nego consequentiam. Hæc distinctio est Aristotelis secundo Metaph. cap. primo tex. tertio: vbi dicit quod, si scientiæ practicæ obiectum suum, quo modo se habeat considerent; non causam per se, sed ad aliquid, eo in tempore practici speculantur. Hoc est, vt ait D. Thomas: non considerant veritaté propter se, sed ordinando ad finem operationis. Clarius Auerroes in eundem Philosophi textum: *Scientia operatiua quamuis vtatur ratiocinatione, & speculetur causas eius, quod considerat, tamen non est digna vocari scientia speculatiua; quia non perscrutatur de causis rerum, & de definitionibus earum, nisi ut scientes agant, & non vt sciant, sicut in scientijs speculatiuis; quarum finis est tantum scire. Quare actiuæ scientiæ, & ueritatem, & causas considerant, non ut sciant, sed ut recte agant.* Hæc in terminis est nostra sententia.

Ad illud de oppositione inter modos resolutorium, & compositorium: dic resolutorium gratia veritatis, & compositorium, opponi; non autem resolutorium gratia operis. Quidquid sit an vnus idemque habitus possit, secundum diuersas sui partes, esse & speculatiuus & practicus.

Instabis: hæc cognitio: *Syllogismus in Barbara ideo concludit uniuersaliter affirmatiuè, quia habet medium terminum sic distributum &c.* Digna est haberi propter se, ergo habitus cuius est talis cognitio est speculatiuus: sed talis habitus est Logica; ergo Logica est speculatiua. Probatur primum antecedens, quia cognitio ista; *Albedo est accidens, quia potest adesse, & abesse præter*

ter subiecti corruptionem, est expetibilis propter se; sed cognitio de syllogismo in *Barbara* est & nobilior, & iucundior; ergo etiam cognitio de syllogismo in *Barbara* erit expetibilis propter se.

Resp. Totum hunc discursum fundari in praua intelligentia nobilitatis, qua & cognitio, & scientia speculatiua præeminent cognitioni, & scientiæ practicæ. Patebit hoc ex sequentibus. Interim ad argumentum in forma respondeo concesso antecedente negando consequentiam. Ad probationem antecedentis omitto totum; & nihil do cõtra conclusionem: quia totum hoc argumentum nihil concludit ad rem præsentem. Aliud est, quod cognitio *A* digna sit expeti propter se, & tantam nobilitatem, & iucunditatem contineat, vt sit amabilis gratia sui: aliud est, quod non sit gratia alterius. Eo ipso, quod hęc cognitio nobilis, & iucunda, ordinatur ad opus, & est habitus ordinantis illam ad effectionẽ obiecti, quod repręsentat; cognitio, gratia sui cæteroquin expetibilis, expetitur gratia operis; & tantum abest, vt mutet naturam habitus, ad quem pertinet, faciendo illum e practico speculatiuum; vt contra ipsa, quamuis ex modo tendendi sit speculatiua, dicenda sit simpliciter practica: propter rationes alibi dictas, quia videlicet & est de obiecto factibili, & modum continet obiecti faciendi.

ARTI-

ARTICVLVS V.

Respondetur Obiectionibus.

OBijcies primò. Dantur in Logica multæ cognitiones speculatiuæ; ergo Logica est saltem partialiter speculatiua. Consequentia probatur, quia scientiæ specificantur à cognitionibus, quæ spectant ad ipsas; ergo si in Logica sunt multę cognitiones speculatiuæ, Logica dicenda est saltem partialiter speculatiua. Probatur iam antecedens; quia cognitiones, quæ demonstrant bonitatem pręceptorum Logicæ sunt speculatiuę; sed huiusmodi cognitiones spectant ad Logicam; ergo aliquæ cognitiones speculatiuæ spectant ad Logicam. Præterea Logica speculatur vniuersalia, & alia obiecta huiusmodi.

Respon. Omisso anteced. neg. conseq. ad probationem consequentiæ neg. ant. scientiæ specificantur à fine, vel potius à fine contrahuntur ad rationem practici, & speculatiui; si finis sit ipsamet veritas, sunt speculatiuæ; si opus; sunt practicæ. Ad probationē antecedētis, quod omisimus; scire oportet cōsiderationē multarū rerū, quæ à nobis dictabuntur in Logica non pertinere ad Logicam adeoq; ex ijs, quæ tractantur, neq; quidditas, neque finis Logicæ innotescere potest, puta tractatus de Vniuersalibus, de ente, & alijs huiusmodi; non spectant ad Logicam.

Dices: Consideratio syllogismi iam facti spectat ad Logicam: huiusmodi consideratio nequit esse practica; ergo aliqua consi-

dera-

deratio, quæ nequit esse practica, spectat ad Logicam. Maior probatur, quia consideratio syllogismi iam facti spectat ad aliquam scientiam, ergo Logicam. Ad quam enim aliam? Minor etiam probatur, quia consideratio syllogismi iam facti est consideratio obiecti non factibilis, factum enim non fit.

Respond. transf. mai. eiusdemq; probatione neg. min. Ad probationem dic syllogismum factum esse infectibilem secundum indiuiduũ, non autẽ secundũ speciẽ: Logica cõsiderat hũc syllogismũ: *Omne animal est viuens: omnis homo est animal; ergo omnis homo est viuens*: vt faciat hunc aliũ. *Omnis planta est vegetabilis; omnis cucurbita est planta, ergo omnis cucurbita est vegetabilis*. Hic syllogismus est idem, ac primus, non numero, sed specie quantum ad Logicam. Vterq; enim est eiusdem figuræ, & modi: Primus inspicitur per modum ideæ, vt fiat secundus: inspectio autem ideæ est consideratio practica.

Obijc. secundo. Idem est finis instrumenti, & habitus cuius est instrumentum: sed Logica est instrumentum scientiarum; ergo idem est finis Logicæ, & scientiarum: sed finis scientiarum est veritas; ergo finis Logicæ est veritas. Maior probatur tum à priori, ex natura instrumenti, quod non agit in gratiam sui, sed in gratiam causæ principalis, cuius est instrumentum, putà penicillus agit in gratiam Pictoris, a quo mouetur, & sic de cæteris: tum etiam à posteriori, quia inductione facta per omnia instrumenta, apparet eumdem esse finem eorum, & ha-

bituum, quibus deseruiunt, putà idem est finis mallei, serræ, & limæ, qui habitus fabrilis.

Resp. Aequiuocationẽ cõmitti circa rationẽ veritatis, intẽtæ per modũ finis, tum à Logica, tũ ab alijs sciẽtijs. Scientię habẽt pro fine veritatẽ, quam dicunt, Logica habet pro fine non veritatem quam dicit, sed quam dicere alias scientias docet. Tam igitur Logica, quàm Physica intendunt veritatẽ, sed non eodẽ modo. Physica intendit veritatem actus eliciti, & in ea sistit tanquã in fine. Logica habet veritatem actus eliciti, sed non sistit in ea, sed per illam quærit veritatem in actu directo, quem non ipsa, sed aliæ scientiæ circa sua obiecta eliciunt. V.G. hæc definitio: *Homo est animal rationale*, est finis, & Logicæ, & Animasticæ: sed hic actus est elicitus ab Animastica, nec est finis alterius actus, per quem Animastica seipsam dirigat ad hunc actum. Est etiam finis Logicæ, non quia sit actus elicitus à Logica, sed quia factus ex directione Logicæ, per suum actum elicitum, Animasticæ intimantis: *Debes definire per genus, & differentiam, quodcunq; tandem obiectum definias.* Ex his patet ad argumentum in forma. Est idem finis, & eodem modo intentus: nego maiorem, sed diuerso modo intentus: omitto mai. & concessa min. dist eodẽ modo cons.

Dices: scientia, cuius finis est veritas, est speculatiua; sed ex concessis, finis Logicæ est veritas: ergo Logica est speculatiua, maior patet ex dictis.

Resp. Dist. maior, cuius finis est veritas actus eliciti; conc. mai. est veritas actus directi

recti: nego mai. & eodem modo distin. min. nego, &c. Imò eo ipso, quod scientia dirigit aliam scientiam, vt rectè operetur, hoc est vt assequatur verum, conuincitur esse practica, & non sistere. tanquam in fine, in ijs actibus quos elicit.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Satis sit nonnullis Dubitationibus.

DVbitabis 1. an Logica, quam dicimus simpliciter practicam, habeat aliquas cognitiones verè, & propriè speculatiuas. Ratio dubitandi est, quia scientia practica omnes suas cognitiones ordinat ad opus: sed cognitiones speculatiuæ nequeunt ordinari ad opus: ergo nequeunt pertinere ad scientiam practicam. Minor probatur, quia cognitio, eo ipso quod ordinatur ad opus, est practica; ergo implicat in terminis cognitionem speculatiuam ordinari ad opus.

Rispon. Scientiam practicam habere posse aliquas cognitiones speculatiuas. Ad rationem in contrarium conc. mai. nego min. Diximus iam supra, quamcunq; ordinationem non sufficere ad rationem cognitionis practicæ: puta cognitio, quam habet Medicus, quod virtutes sunt tres, & quod genera febrium sint tot; propriè loquendo nequit dici practica, quamuis hanc ipsam cognitionem habeat Medicus gratia operis. Ordinatio autem ad opus, per quam cognitio constituitur practica, consistit in hoc, quod ipsa sit de obiecto factibili, & vel modum doceat ipsum faciendi, vel dictet ipsum fa-

ciendum. Possunt autem dari in Logica, & in qualibet scientia practica, quædam cognitiones, quæ nec doceant modum faciendi, nec dictent faciendum esse obiectum, quod per ipsas attingitur. Ad probationem minoris dist. ant. Cognitio, eo ipso quod ordinatur ad opus quocunq; genere ordinationis est practica, nego antec. speciali aliquo genere ordinationis conc. antec. & nego conseq. Quo genere ordinationis ordinari debeat ad opus, vt sit practica, iam dictum est.

Dubitabis secundo. An denominatio practicæ sit intrinseca, an extrinseca, an partim intrinseca, & partim extrinseca cognitioni. Ratio dubitandi est, quia modus tendendi in obiectum constituit cognitionem practicam; sed modus tendendi est intrinsecus cognitioni, ergo denominatio practicæ est intrinseca cognitioni. Prçterea continere modum, quo res fiat, est intrinsecum cognitioni, continere modũ quo res fiat constituit cognitionẽ practicã; ergo per aliquid sibi intrinsecum cognitio constituitur practica. Ex alio capite, quod cognitio sit practica habetur per hoc, quod obiectum sit factibile: sed quod obiectũ sit factibile est extrinsecũ cognitioni; ergo denominatio practicæ est extrinseca cognitioni. Maior patet ex dictis. Min. prob. quia cognitio circa obiectũ A eadẽ erit, siue obiectũ A sit factibile, siue non.

Respon. Denominationem practicæ esse cognitioni partim intrinsecam, & partim extrinsecam. Est partim extrinseca, quia est partim á factibilitate obiecti, quæ est extra cognitionem ipsam. Est partim intrinseca;
quia

quia illi inest ex eo, quod vel dictet obiectum esse faciendum, vel doceat modum eiusdem faciendi; dictare autem, & docere est intrinsecum cognitioni: & consequenter denominatio practicæ est partim intrinseca, & partium extrinseca cognitioni.

Ad argumenta patet ex dictis. Esse de obiecto factibili non sufficit ad rationem practicæ: & consequenter denominatio practicæ non est adæquatè extrinseca. Item dictare rem faciendam; vel docere modum rei faciendæ non sufficeret, nisi res ipsa esset factibilis: & consequenter non sufficeret ad rationem practicæ, ideoq; denominatio practicæ non est adæquatè intrinseca. Quod autem & sit de re factibili, & vel dictet faciendam; vel modum doceat faciendi, complectitur aliquid, quod est intra, & aliquid quod est extra cognitionem.; videlicet obiectum factibile, quod est extra, dictamen, vel modum faciendi, quæ sunt intra: & consequenter esse practicā cognitioni conuenit partim ab intrinseco, & partim ab extrinseco.

Ex hac resolutione; dubitare non licet. an dari possit cognitio practica de obiecto impossibili. Nam: nulla cognitio rei impossibilis est directiua ad affectionem obiecti cogniti: Omnis cognitio practica est directiua ad effectionem obiecti cogniti; ergo nulla cognitio practica est obiecti impossibilis.

Quæres, an si tale obiectum putetur possibile, cognitio sit practica?

Resp. negatiuè. Quia, quod tale obiectum putetur possibile, non facit quod co-

gnitio sit de obiecto factibili; adeoq; non facit quod sit directiua ad effectionem obiecti repræsentati: sicut autem obiectum in tali casu est solum putatiue possibile, sic etiam cognitio ad summum erit putatiuè practica. Et sicut obiectum est simpliciter non factibile, sic cognitio est simpliciter non practica.

Dices: putet aliquis capi posse Hircoceruum, hoc posito ibit venatum; feret secum retia, ducet canes, & adhibebit media ad capiendum Hircoceruum; ergo habebit cognitionem dirigétem ad capturam Hircocerui: captura Hircocerui est aliquid impossibile: ergo habebit cognitionem dirigentem ad impossibile.

Resp. admissa hypothesi, negando, quod hic homo habeat cognitionem dirigentem ad capturam Hircocerui. Cognitio, quam habet, dirigit ad dispositionem retium, circumductionem canum, & ad alia huiusmodi, quæ sunt possibilia. Quemadmodum autem hæc non sunt media ad capiendum Hircoceruum, quia non datur medium ad impossibile, ità etiam cognitio; quæ est in venatore, nec ipsa est medium ad capiẽdum Hircoceruum.

Dices: est directiua quantum est ex se ad capturam Hircocerui; ergo est practica.

Respond. Omisso antec. neg. conseq. quæ ad summum deberet esse hæc: ergo est practica quantum est ex se: & tunc posset omitti: sed non facit ad rem, nec enim quærimus, an ad rationem practici, quantum est ex se: actus requirat, vel contentus sit hoc, aut illo obiecto; sed vtrum ad rationem

practici simpliciter. Etiam hæc propositio: *Hic paries est niger*, quæ est simpliciter falsa, est vera quantum est ex se. Ea enim eadem manens, si parietem denigraueris, est vera: non tamen dixeris simpliciter hanc propositionem esse veram.

Instabis: si obiectum esset possibile, cognitio, tali modo tendens in ipsum, esset practica; ergo est practica, etiam si obiectum sit impossibile. Conseq. probatur, quia possibilitas, aut impossibilitas sunt aliquid adæquatè extra cognitionem, ergo quod obiectum sit possibi.., aut impossibile non immutat naturam cognitionis; Ergo quod sit possibile, vel impossibile non facit ad rationem practicæ, vel non practicæ.

Resp. conc. ant. neg. conf. ad cuius probationem concedo totum, præter vltimam conf. Diximus supra rationem practicę conuenire cognitioni per denominationem, partim extrinsecam, & consequenter quamuis possibilitas, aut impossibilitas obiecti sint aliquid extra cognitionem; possunt tamen aliquid facere, & faciunt ad rationem practicæ, vel non practicæ. Ratio igitur practici neque est adæquate in natura cognitionis, neque adæquate in natura obiecti, sed partim in hoc, & partim in illa: adæquate in vtroque.

Replicabis: quod hoc obiectum fieri nequeat non habetur ex defectu cognitionis dirigentis, sed vel ex defectu potentiæ, vel ex repugnantia inter prædicata eiusdem obiecti; ergo adhuc talis cognitio dici poterit directiua.

Resp. trans. ant. negando conseq. Ex quo

cunq; capite deficiat possibilitas obiecti: verum est obiectum esse impossibile: cognitio autem directiua ad effectionem impossibilis, est cognitio repugnans. Aduerte me non dicere cognitionem de obiecto impossibili, esse cognitionem repugnantem; sunt qui hoc dicant; & simul cognitionem de impossibili esse practicam: quam cohærenter viderint ipsi: sed dicimus cognitionem de obiecto impossibili, quæ sit practica, esse cognitionem repugnantem: quia repugnat dirigere ad faciendum; seu continere modum faciendi id, quod nullo modo fieri potest.

Dubitabis vltimo, an præter Logicam, quam diximus esse simpliciter practicam ponenda sit alia, quæ sit speculatiua? Ratio dubitandi est, quia obiectum Logicæ habet multas proprietates, dignas cognosci propter se, & consequenter quarum cognitio debeat ad aliquam scientiam pertinere; non nisi ad Logicam; ergo dabitur aliqua Logica speculatiua, putà operatio intellectus, quæ dicitur obiectum materiale Logicæ est essentialiter dirigibilis, capax bonitatis, & prauitatis. Vna propositio est in aliam conuertibilis; Vna est alterius illatiua per modum antecedentis: quæ omnia insunt obiecto considerato à Logica, non autem fiunt in ipso à Logica. Logica enim non dat propositioni esse conuertibilem, sed illam conuertit; non dat operationi vt sic, esse dirigibilem, sed illam dirigit, & sic de cęteris.

Resp. secundum hunc discursum etiam præter Coquinariam practicam, & Sutoriam practicam dari debere, tam Coquinariam, quàm

quàm Sutoriam speculatiuam. Coquus enim non dat carni esse coctilem, sed illam coquit. Sutor non dat corio esse sutile, sed illud suit, & sic de omnibus alijs artibus. Quod tamen caro, puta Phasianus, sic coctilis est dignum sciri: Et quod corium sit sutile, & formabile in ocream est dignum sciri. Huiusmodi autem cognitiones, cuius scientiæ erunt, nisi Coquinariæ, & Sutoriæ speculatiuarum? Igitur ad dubitationem Resp. negatiuè. Ratio est, quia vel prædictæ cognitiones non pertinent ad Logicam, sed ad Animasticam, cuius est speculari naturam actuum intellectus, cæterorumq; actuũ vitalium, quæ natura non examinatur, sed supponitur à Logica, vel si pertinent ad Logicam, iam dictum est posse scientiam simpliciter practicam continere aliquas cognitiones speculatiuas; quibus si non proximè saltem remote dirigitur ad opus, à se intentum. Hoc eodem modo dicet Aduersarius duritiem in marmore, sutilitatem in corio, coctilitatem in Phasiano supponi, non examinari ab artibus, quæ suunt, coquunt, & ædificant; considerari autem tales proprietates à Physica.

Denique dandum est hic, quod supra promissum est, explicando cur cognitiones, & scientiæ speculatiuæ dicantur nobiliores, quam practicæ. Non dicuntur nobiliores, eo quod cæteris paribus melius sit habere cognitionem pure speculatiuam, quam practicam. Patet hoc, quia circa infinita obiecta non datur in intellectu creato, nec dari potest alia cognitio, quam pure speculatiua cum in intellectu diuino, vtpotè rerum om-

nium sapientissimo artifice circa illa eadem detur cognitio & scientia practica. Dicitur autem ex genere suo cognitio, & scientia speculatiua nobilior, quam practica, qaia scientiæ speculatiuæ, eo quod sint circa obiecta, quorum principia non sunt in nobis; hoc est non operabilia à nobis; practicæ autem cum versetur circa res à nobis operabiles: illæ nobilius obiectum considerant, quam istę. Vnde si supponeres duas cognitiones ambas circa quidditatem, & proprietates calcei: illa pręstaret alteri, quę non esset otiosa consideratio calcei; sed insuper ad eiusdem constructionem dirigeret.



DISPVTATIO II.

De Vniuersalibus in communi.

SCientias esse de Vniuersalibus dictum est alibi: nec tacitum est Logicam esse instrumentum scientiarum. Non immittit igitur falcem in messem omnino alienam dum de Vniuersalibus tractare aggreditur. In hac tractatione refellendæ erunt tum veterum, tum etiam quorundam neotericorum sententiæ, prius quam nostra & vera stabiliatur. Quia vero præcipua in tractatu de Vniuersalibus difficultas pendet à notitia vnitatis, identatis, & distinctionis; ideo de his primo loco agendum erit, quibus

bus

us aliqualiter explanatis, facilior erit ad erfectam Vniuersalium intelligentiam via. a enim quæ scientijs obijciuntur plura esse, & inter se distincta, facile omnes intelligunt; quomodo autem in vnitatem, & in quod genus vnitatis coalescant haud ita facile percipitur. Percipietur tamen Deo dante, si debitus labor accedat.

QVESTIO I.

De Vnitate, identitate & distinctione.

ARTICVLVS I.

De Vnitate.

PHILOSOPHVS 5. Metaphysicæ capite 6. sic habet: *Quotcunque diuisionem non hcbent; quatenus non habent; eatenus vnum dicuntur: vt puta si prout homo non habet diuisionem, vnus est homo, quod si prout animal; vnum animal: si prout magnitudo; vna magnitudo.* Requirit igitur Phylosophus ad rationem vnius carentiam diuisionis, seu, quod idem est, indiuisionem; indiuisionem autem non quamlibet sed talem vt in ea ratione, in qua res dicitur vna, non diuidatur in plures. Exemplum habes in exercitu qui quamuis decies mille militibus constet, adeoque diuisus sit in milites decies mille; est tamen

indiuisus in plura, quorum singula sint exercitus, in qua ratione est vnus.

Vnum igitur secundum Phylosophum recte definietur; *indiuisum in plura quorum singula adæquate sint ipsum.* Hoc modo Petrus est vnus homo, quia quamuis sit diuisibilis in plures partes siue essentiales; puta in Corpus & Animal; siue integrantes; puta in caput, brachia & pedes, &c. tamen de sinngulis illis, in quæ diuiditur dici nequit: *est homo*, nec per huiusmodi diuisionem diuiditur in plures homines. Item hæc ciuitas est vna: quia quamuis diuisibilis sit in plures domos, non est tamen diuisibilis in plures Romas. Magnitudo bipalmaris est vna magnitudo, quia est indiuisibilis in plures magnitudines quarum quælibet sit magnitudo bipalmaris.

Qui huic definitioni non acquiescunt, dicent ad rationem vnius non sufficere indiuisionem in plura modo iam explicato; sed requiri præterea diuisionem à quocunque alio, cum quo res faciat vnum in illa eadem ratione, inqua ipsa est vna. Puta: vt magnitudo bipalmaris, sit vna magnitudo; non sufficit quod diuisionem in se non habeat; per quam palmus diuidatur à palmo; sed requiritur præterea, vt illa eadem magnitudo bipalmaris diuisa sit ab omni alia magnitudine. Si enim cum alia magnitudine bipalmari vniretur, eo ipso non remaneret vna magnitudo, sed vnius magnitudinis pars. Propterea, inquiunt, vnum definitur: *Indiuisum in se & diuisum à quocunque alio.*

Aduerte autem hic non requiri ab aduersarijs in eo quod dicitur vnum diuisionem

ab

ab omni alio, simpliciter & absolute. Nam Petrus vnitus albedini, calori, frigori, &c. remanet vnus homo. Anima vnita corpori remanet vere & proprie vna; materia vnita formæ est vna. Nec diuisionem ab omni alio cum quo faciat vnum; nam & anima vnita corpori cum quo facit vnum hominē, est vna & sic de cæteris: sed diuisionem ab omni alio, cum quo faciat vnum in eadem ratione in qua ipsum est vnum. Huiusmodi diuisio conuenit & formæ & materiæ etiā in statu vnionis: nam nec anima cum materia facit vnam animam, nec materia cum anima vnam materiam.

Verùm diuisionis ab omni alio nulla mētio fit à Philosopho in definitione Vnius. Propterea quamuis magnitudo bipalmaris vnita alteri magnitudini euadat pars; non propterea non remanet vna magnitudo. Non enim repugnat vnam magnitudinē esse partem alterius maioris magnitudinis; sicut non repugnat vnam collectionem esse parpartem alterius maioris collectionis. v. g. numerus denarius in centenario, quamuis sit pars vnius numeri maioris, adhuc tamen & ipse est vnus numerus. An autem & quomodo vna magnitudo vnita alteri magnitudini, maneat vna magnitudo; adeoque an, & quomodo retineat suam vnitatem; an actu, an potentia, an completam, an incompletam? est aliquod pertinens ad tractatum de continuo.

Ex dictis apparet quod si tota collectio hominum est vna species, non propterea *Homo* non poterit prędicari de singulis in tali collectione contentis: & quod si tota colle

ctio animalium est vnum genus; non propterea *animal* non poterit prædicari & de singulis speciebus contentis in tali genere, & de singulis indiuiduis contentis in talibus speciebus. Ratio est quia etiamsi tota collectio hominum sit vna species, non tamen est vnus homo: & etiamsi tota collectio animalium sit vnum genus; non tamen est vnum animal. Non autem poterit de singulis indiuiduis prædicari *species* dicendo: *Petrus est species. Paulus est species*: aut de singulis speciebus prędicari *genus*: dicendo: *Homo est genus; Equus est genus*.

ARTICVLVS II.

De Identitate.

IDentitas, vt ait Philos. 5. Metaph. cap. 9. vnitas quædam essentiæ est: & tamen explicari non potest, nisi accipiendo id quod reipsa vnum est per modum plurium. *Cum enim dicimus ipsum sibi ipsi idem esse, vt duobus ipso vtimur*: v. g. cum dicis: Socrates est idem, siue identificatur cum hoc homine: Socrate & hoc homine ceu duobus vteris, cum tamen vnum & idem sint. Hoc firmiter tenendum pro sequentibus.

Identitatem autem aliqui definiunt consensum in omni omnino perfectione. v. g. homo, & animal rationale sunt idem; quia nulla perfectio conuenit animali rationali, quæ non conueniat homini, nec è conuerso; Adeoque duo hæc extrema recte dicuntur in omni omnino perfectione conuenire. Non dicunt identitatem esse consensum in omnibus

s omnino prædicatis: Quia, aiunt, etiam aliter identificata dissentire possunt in alio prædicato. v. g. in Mysterio Sanctissimę Trinitatis Natura diuina & Paternitas identificantur realiter, & tamen in aliquo prædicato dissentiunt; affirmatur enim de natura diuina filiatio, quæ de Paternitate negatur: est enim verum: *Natura diuina est filiatio*: falsum est, *Paternitas est filiatio.* Non tamen propterea natura diuina & Paternitas dissentiunt in perfectione; quia filiatio secundum se, hoc est secundum quod superaddit naturæ diuinæ, non est perfectio; sicut nec paternitas, nec spiratio.

Ratio est quia ipsamet diuina essentia est secundum se omnis perfectio seu plenitudo potius perfectionis; adeoque repugnat illi perfectionis aliquid superaddi per quamlibet personalitatem. Adde quod si paternitas esset aliqua perfectio, cum filius non sit Pater eo ipso filius non esset omnis perfectio. Ex hoc autem quod aiunt personalitates diuinas non esse secundum se perfectiones, vide ne inferas: ergo sunt imperfectiones. Quantum enim repugnat diuinæ essentiæ aliquam perfectionem accedere per personalitatem, tantum repugnat eidem supperaddi ex quocunque capite imperfectionem. Dictæ autem personalitates seu relationes, à perfectione, & imperfectione præscindunt.

Porro in definitione qua dicitur identitas esse consensus in omni perfectione non fuit necesse superaddere: *& imperfectione* tũ quia aliqua identificantur quæ non consentiunt in vlla imperfectione, cum nullius imperfectionis sint capacia; puta natura diuina &

Pater.

Pater. Tum etiam quia quęcunque dissentiunt in aliqua imperfectione, per hoc ipsum dissentiunt in perfectione. Nam dissentire in aliqua imperfectione est quod vnum careat aliqua imperfectione quam habet alterum; sed carere aliqua imperfectione, est perfectio, ergo carens tali imperfectione habet aliquam perfectionem, quam non habet alterum; & consequenter dissentiunt ista duo in aliqua perfectione.

Definitur etiam identitas vera extremorū de se inuicem affirmabilitas in recto. Puta identitas inter hominem & animal rationale est mutua hominis de animali rationali, & animalis rationalis de homine affirmabilitas, per quam videlicet dicitur cum veritate: *Homo est animal rationale*, & *animal rationale est homo*.

Denique definitur identitas: ratio qua res est id quod est: puta identitas hominis cum animali rationali est ratio qua homo est animal rationale, ideo homo ipse sibi est identitas sui cum animali rationali.

Ex tribus hisce definitionibus duæ vltimę magis placent quam prima. Ratio est quia consentire in omni omnino perfectione recte dicitur etiam de distinctis: duo enim perfecte similia consentiunt in omni omnino perfectione; & tamen sunt distincta: nam consentire in omni omnino perfectione est quod nulla perfectio in vno sit, quin alia omnino similis sit in alio: si enim per li consentire in omni omnino perfectione, intelligas illam perfectionem quæ est in vno extremo debere esse eandem numero in alio extremo, vt inter hæc duo extrema detur iden-

titas:

titas: verum dicis: & in hoc sensu vera erit definitio: sed hic ipse sensus supponit iam clariorem conceptum de idẽtitate quam qui in prædicta definitione affertur. Adde quod familiarius est consensum in omni omnino perfectione accipere pro perfectissima similitudine, & conuenientia; quam pro indiuiduali identitate inter ea quæ realiter vnum, veniunt vt plura.

ARTICVLVS III.

Respondetur Obiectionibus.

OBicies primò. Vtraque definitio identitatis destruit conceptum identitatis, ergo neutra est bona. Antecedens probatur quia vtraque exprimit pluralitatem, ergo distinctionem: sed distinctio opponitur identitati; ergo vtraque destruit conceptũ identitatis.

Resp. neg. ant. Ad probationem dictum est supra inexplicabilem esse identitatem nisi vno vtamur vt pluribus. Non vtimur autem vno vt pluribus quasi affirmantes vnũ esse plura: sed potius affirmantes de vno, quod apparet plura ob pluralitatem conceptuum quibus substat, quod vere sit vnum. v. g. idem Petrus substat huic conceptui: *Petrus*, & huic alteri: *hic homo*: hoc est aliqualiter plurificari: affirmamus autẽ quod hoc obiectum ita plurificatum non sit duo obiecta, sed realiter & simpliciter vnũ, dum dicimus: *Petrus & hic homo sunt idem*. Ad probationem in forma distingue: Exprimit pluralitatẽ rationis & quidem solum exercite;

cite; concedo: pluralitatem rerum ; nego antecedens, & eadem distinctione vtor ad reliqua.

Obicies secundo. Definitio debet esse clarior definito; neutra ex prædictis est huiusmodi, ergo neutra ex prædictis est bona. Minor patet experientia. Quia clarius patet se ipsa identitas quam ex definitione. Probatur hoc exemplo facili. Sit Rusticus habens filium, qui vocetur duplici nomine: puta: Fanellus & Franciscus. Si quis dicat illi voca Franciscum: vocabit. Si addas voca etiam Fanellum: ridebit Rusticus & dicet: Omi bone: Fanellus & Franciscus sunt vnus & idem: vide quam bene intelligat quid sit esse idem. Propone iam Rustico tuas definitiones identitatis, & vide an intelligat, an potius rideat te obscurantem definitionibus tuis rē se ipsa manifestam.

Resp. Verum esse nostras definitiones homini rustico placere non posse: non propterea placere non posse sapientibus. In forma conc. mai. nega min. Definitio vtraque continet conceptum explicatiuum identitatis: facitque vt quotiescunque rem sub conceptu *A* venientem affirmare potes de re veniente sub conceptu *B* & è conuerso statim intelligas non esse duas res sed vnam. Hoc autem est rem explicare ita consulendo intellectui humano vt per pluralitatem imaginum, seu conceptuum non putet repræsentari sibi plura obiecta. Ad illud de rustico magis intelligente identitatem inter Fanellum & Franciscum quam eiusdem explicationem; dic etiam Rusticum magis intelligere se esse hominem, quam se esse animal rationale. Imo

non

non deerit Rusticus qui contumeliam putet vocari se animal.

Obicies tertio. Affirmabilitas est potius quid consequens ad identitatem quam ipsamet identitas: ergo definitio nihil valet.

Resp. neg ant. Affirmabilitas est ipsa ratio intrinseca per quam res meretur de se ipsa affirmari: adeoque est ipsamet identitas.

Obicies quarto. Personæ diuinæ habent veram identitatem inter se & tamē non sunt de se mutuo affirmabiles in recto. Non enim recte dixeris Pater est Filius aut è conuerso, ergo identitas male definitur mutua affirmabilitas extremorum in recto.

Resp. dist. ant. Habent veram identitatem personæ ad personam nego ant. rei ad rem: conc. ant. & nego conseq. Quia Pater non habet identitatem personæ cum filio; dici nequit Pater est Filius. Quia Pater habet identitatem rei cum filio dici potest Pater est res quæ est filius: & è conuerso. Hoc in creatis non inuenies quia in creatis non inuenies mysterium Trinitatis.

Ad complementum doctrinæ sciendum est quod quemadmodum ex ijs quæ sunt realiter plura fit quoddam vnum; puta ex omnibus hominibus fit vna species, & ex omnibus animalibus, vnum genus: sic etiam ex ijs quæ sunt realiter distincta, fit quoddā idem: puta ex distinctis hominibus eadem species, ex distinctis animalibus idem genus. Et quemadmodum ex his pluribus ex quibus fit vna species, quodlibet dicitur vnum specie cum altero; & ex ijs ex quibus fit vnum genus, quodlibet dicitur vnum genere cum altero: puta Petrus vnus specie cum Paulo.

Homo vnus genere cum equo. Ita etiam ex ijs distinctis ex quibus fit eadem species, quodlibet dicitur idem specie; & ex ijs distinctis, exquibus fit idem genus; quodlibet dicitur idem genere cum altero. Sic homo est idem genere cum equo; Petrus idem specie cum Paulo.

ARTICVLVS IV.

De Distinctione.

SIcut vnitati pluralitas, ita identitati distinctio directè opponitur. Quemadmodum igitur identitas definitur vera extremorum de se inuicem affirmabilitas in recto: sic etiam recte definietur distinctio: vera extremorum de se inuicem negabilitas in recto. Nam quotcunque sunt de se inuicem negabilia, sunt distincta, & quotcunque distincta, sunt de se inuicem negabilia. Rursus quemadmodum ex ijs extremis quæ sunt realiter distincta, contingit, vt dictum est, fieri quodammodo idem; ita ax ijs extremis quæ sunt realiter idem, contingit fieri quodammodo distincta. Doctrina hæc in exemplo clarissima erit. Sint duo homines puta Petrus & Paulus inter se omnino similes: hoc posito quicunque faciet picturam similem Petro, eo ipso faciet picturam similem Paulo: & consequenter licet Petrus & Paulus sint reipsa duo, sunt tamen quodammodo, videlicet imagine, & repræsentatione vnum. Rursus sicut plurium potest esse eadem repræsentatio, ita etiam vnius potest esse repræsentatio multiplex. Quis enim probibet

bet eiusdem Cæsaris fieri mille imagines; & consequenter Cæsarem reipsa & in se vnum, esse quodammodo, hoc est repræsentatione multiplicem.

Distinctio autem alia est realis, alia rationis. Per distinctionem realem habes quod de duobus extremis dicas simpliciter & absolute: *hoc non est illud*: Hac distinctione distinguitur Petrus à Paulo; homo ab equo. Distinctio rationis est eiusdem rei diuersa in intellectu apparentia; seu, eiusdem rei diuersa ratio siue cognitio. Exemplum huius distinctionis nusquam melius apparet, quam in re rerum omnium simplicissima: videlicet in Deo. Debes enim supponere hic diuinam essentiam esse vnicam & simplicissimam perfectionem, quæ est simpliciter & absolute omnis omnino perfectio. Diuina enim essentia est diuina bonitas, est diuina sapientia, est diuina potentia, &c. & hæc omnia sunt vna & indiuisiblis perfectio in Deo; seu potius sunt vnica illa & simplicissima perfectio, quæ Deus est.

Hæc tamen vna & indiuisa perfectio plures sui repræsentationes siue imagines sortitur in anima, diuersas inter se, non solum secundum quod vna est magis vel minus clara, quam alia; sed etiam secundum quod vna repræsentat perfectionem diuinam per ordinem ad hos, alia per ordinem ad illos effectus. v. g. vna cognitio repræsentat diuinam perfectionem per ordinem ad vindictã quam exercet erga superbos; alia repræsentat eandem per ordinem ad veniam qua vtitur erga humiles & pœnitentes. Est autem vna & eadem indiuisibilis perfectio in Deo per-

per quam alios punit, & aliorum miseretur; sed tamen propter diuersam istam repræsentationem, seu rationem, diuina Iustitia, & diuina misericordia dicuntur distingui ratione: non quod in se ipsis sortiantur vllam distinctionem; sed quod diuersa sit in nostro intellectu eiusdem indiuisibilis perfectionis imago seu ratio.

Quia vero cognitio est forma extrinseca obiecti; hinc est quod illud idem obiectum quod per plures cognitiones attingitur, quamuis in se maneat indistinctum; recipit tamen distinctionem quamdam extrinsecam: vnde extrema formaliter plura, siue distincta, dicuntur realiter vnum & idem. Siue, manet vnum & idem in se, quod per formas huiusmodi extrinsecas dicitur formaliter distinctum in plura. Diuina Iustitia & diuina Misericordia dicuntur perfectiones formaliter plures, sed realiter vna: vna reliter: quia non est in se alia, & alia perfecto: plures formaliter: quia illa vna perfectio substat pluribus formis, seu pluribus cognitionibus; quæ cognitiones quia sunt formæ extrinsecæ rei cognitæ, multiplicant solum formaliter extrinsice obiectum: adeoque dum dicis realiter idem esse formaliter plura, dicis formaliter extrinsece.

Denique distinctio rationis alia dicitur rationis ratiocinatæ, alia rationis ratiocinantis. Est rasionis ratiocinatæ quando diuersitas cognitionis consistit in expressione eiusdem obiecti per ordinem ad diuersa connotata. Puta diuina Iustitia & diuina Misericordia distinguntur ratione ratiocinata quia per hunc conceptum *Iustitia* diuina perfe-

rfectio exprimitur per ordinem ad pœnam
iam infligit obstinatis: & per hunc alium:
Misericordia exprimitur per ordinem ad
eniam qua donantur pœnitentes.

Distinctio rationis ratiocinantis est quan-
do diuersitas cognitionis tota est in diuerso
modo tendendi circa idem, & per ordinem
ad eadem conotata. Huiusmodi distinctio
intercedit inter definitum & definitionem:
puta inter hæc duo extrema: *Homo* & *ani-
mal rationale*, quorum alterum subijcitur,
& alterum prædicatur, dicendo: *Homo est
animal rationale*. Nam homo concipitur
per ordinem ad sensationem & discursum;
& per ordinem ad eadem conpitur animal
rationale: sed hoc clarius & conceptu expli-
catiuo subiecti, illud obscurius & conceptu
expiicabili per prædicatum propositionis.

QVESTIO II.

De Distinctione inter gradus Metaphysicos.

ARTICVLVS I.

An in eodem indiuiduo gradus Metaphysici distinguantur formaliter ex natura rei.

PEr gradus metaphysicos intellige præ-
dicata quædam essentialia eidem in-
diuiduo conuenientia, & interse or-
dinem quendam superiorum & inferiorum
habentia. Exemplum sit in Alexandro; de
quo

quo recte dixeris quod sit substantia, quod sit materialis, quod sit viuens, quod sit animal, quod sit rationalis, quod sit hic. Prædicata huiusmodi dicuntur gradus, quia per ipsa gradatim itur in consideratione obiecti; dicuntur gradus metaphysici quia constituunt compositionem quamdam reperibilem etiam in ijs, in quibus nulla datur compositio physica, puta in substantijs pure intelligibilibus. In Angelo enim considerari possunt plures rationes, v. g. quod sit substantia, quod sit intellectiuus, quod sit Michael. Status autem quæstionis est an inter prædicata huiusmodi constituentia vnum indiuiduum: puta inter animal & rationale quibus constituitur Alexander, detur distinctio formalis ex natura rei, quam etiam mediam vocant Scotistæ; eo quod sit minor distinctione reali simpliciter, & maior distinctione pure extrinseca rationis, adeoque mediet inter vtramque.

Duplicem igitur distinctionem ex parte obiecti hoc est præcedentem omnem actum intellectus agnouit Scotus in primum distinctione secunda questione 7. & alibi. Cũ autem omnis distinctio opponatur identitati, suam distinctionem explicat doctor subtilis per identitatem cui opponitur, & qua formaliter priuat. Est autem ex parte obiecti, ait ille, duplex identitas. Prima est per quam verificatur: hoc extremum est illud. Secunda est per quam verificatur: hoc extremum in sua ratione formali quidditatiua & definitiua constituitur per illud. Tam prima quam secunda identitas reperitur inter hominem, & animal rationale. Nam &

verum

rum est: *Homo est animal rationale*: & pretere a: *Homo in sua ratione formali & quidditatiua constituitur per animal rationale*. Recte enim definis hominem: animal rationale.

Prima, non autem secunda identitas reperitur, ait Scotista, inter animal, & rationale eiusdem indiuidui. : Reperitur prima: quia verum est de hoc animali, quod sit rationale, & è conuerso. Non reperitur secunda, quia animal quod est in hoc indiuiduo non constituitur in sua ratione formali & quidditatiua per rationale; nec e conuerso. Animal enim definis principium sentiendi; rationale vero: principium discurrendi: adeoque neutrum in alterius quidditate seu definitione includitur.

Hanc eamdem sententiam alijs terminis alibi sic explicat Scotus: Possunt duo extrema ita identificari inter se vt præcise verum sit hoc est illud: & hæc est identitas realis: vel ita vt verum sit: hoc quia est hoc, est illud: & hæc est insuper identitas formalis ex natura rei. v. g. *Animal est rationale*: en identitatem realem: *Homo quia est homo, est animal rationale*, en identitatem formalem ex natura rei: Distinctio opposita primæ identitati est distinctio realis. distinctio opposita secundæ est distinctio formalis ex natura rei. Prima distinctio non conuenit animali & rationali eiusdem indiuidui: non enim recte dixeris animal non est rationale, nec è conuerso. Secunda conuenit, ait Scotus, quia non recte dixeris: animal quia est animal, est rationale. Igitur, inferunt Scotistæ, dari debet aliqua distinctio obie-

 ctiuas

ctiua, hoc est non pure formalis extrinseca inter animal & rationale; quæ non datur inter hominem & animal rationale. Primam distinctionem vocant distinctionem rerum, seu realitum; secundam vocant formalitatum. Inuenies tamen vtramque aliquando vocari realem, ampliando li *realem* ad omnem distinctionem, quæ sit ex parte obiecti, & independenter ab omni actu rationis.

ARTICVLVS II.

Resoluitur dubium propositum.

POsita explicatione distinctionis Scotisticæ dicendum est inter gradus metaphysicos eiusdem indiuidui non dari distinctionem formalem ex natura rei. Probatur conclusio primò: quia huiusmodi distinctio nó debet admitti nisi sufficienter probetur; non probatur sufficienter; ergo non debet admitti. Maior probatur quia quemadmodum ad multiplicãdas entitates requiritur positiua & sufficiens ratio; iuxta illud: *non sunt multipticanda entia sine necessitate*: ita etiã ad multiplicandas formalitates: iuxta hoc aliud: *non sunt multiplicandæ formalitates sine necessitate.* Minor autem probabitur solutione argumentorum quæ à Scotistis afferentur. Vbi aduerte concedi à Scoto animal & rationale in Socrate esse vnam realitatem, vnam rem, vnam entitatem. Contendit autem esse duas formalitates obiectiuas. Primum admittitur à nobis; secundum debet efficaciter probari; non probari autem efficaciter patebit ex nostris responsionibus.

Pro-

Probatur secundo conclusio: quia si præ-
ti gradus distinguerentur formaliter ex
ura rei, distinguerentur realiter, non
lingunrur realiter, ergo nec formaliter
natura rei. Sequela maioris probatur:
ia illa extrema distinguntur realiter, quo-
n vnum potest simpliciter, & absolute
gari de altero: sed per distinctionē Scotisti-
n vnum potest absolute negari de altero,
mal de rationali, & è conuersò; ergo
distinctionem scotisticam duo illa extre-
, animal & rationale distinguntur rea-
er. Maior constat ex dictis. Minor proba-
quia de quo est negabilis definitio, est
am negabile definitum: sed de animali
negabils definitio rationalis & è conuer-
de rationali est negabilis definitio anima-
, ergo & de animali est negabile rationa-
& de rationali animal. Maior est euidēs
regulis sumulisticis. Minor probatur
ia de animali dici nequit, iuxta Scotum,
od sit principium ratiocinandi: nec de
ionali quod sit principium sentiendi: cō-
matur hoc quia si de animali dicere potes
initionem rationalis, & è conuerso, eo
o & animal constituitur in sua ratione
idditatiua per rationale, & rationale per
imal.

Probatur tertio nostrà conclusio: quia eo
o quod hoc est adæquate extra essentiam
ius, hoc est simpliciter distinctum ab illo:
o si rationale est adæquate extrà essentiam
imalis, & è conuerso; animal & ratio-
le simpliciter & absolute distinguntur
er se. Esse autem vnum adequate extra
ntiam alterius dicit Scotista; quia nec

L 2 ratio-

rationale ingreditur quidditatem animalis, nec animal quidditatem rationalis.

Dices etiamsi & animal sit extra essentiam rationalis, & rationale extra essentiam animalis: tamen nec animal, nec rationale sunt extra essentiam hominis; qui est vna res, & vna essentia: ideoque animal & rationale sunt quidem duę essentiæ partiales, sed vna simpliciter & absolute essentia.

Sed contra est primò quia de duabus essentijs partialibus dici nequit: hæc est illa: sed animal & rationale in eodem indiuiduo sũt duę essentiæ partiales, hoc est duæ partes eiusdem essentiæ, ergo de animali dici nequit: est rationale, nec è conuerso. Secundò etiam anima & corpus Petri sunt duæ essentiæ partiales, & vnus Petrus: quamuis autem de vtraque simul accepta dici possit est Petrus: tamen neutra seorsim accepta est de altera prędicabilis dicendo: corpus est anima, vel è conuerso: anima est corpus.

Dices disparitatem esse manifestam. Alia enim est compositio ex anima & corpore ex qua resultat Petrus; alia compositio ex animali & rationali, per quam idem Petrus habetur. Prima dicitur compositio physica, estque ex duobus extremis physice separabilibus. Secunda dicitur compositio metaphysica, estque ex duobus extremis omnino inseparabilibus, hoc est ex duabus formalitatibus.

Resp. Disparitatem allatam esse manifestissimam, sed non facere ad rem. Mutua essentialis inseparabilitas est insufficiens ad probandam identitatem realem eorum quæ inseparabilia dicuntur. Quamuis enim recte

arguas.

uas: hæc extrema sunt separabilia ergo t distincta, non tamen recte argues: hæ rema sunt inseparabilia, ergo sunt idem. es personæ Sanctissimæ Trinitatis sunt ntialiter inseparabiles; & tamen non sunt ı. Impossibile est separari Patrem à Filio Spiritu Sancto, & tamen Pater nec est ius, nec Spiritus Sanctus. Item in senten- satis communi Intellectus & Voluntas eadem anima ita distinguuntur vt dici queat Intellectus est Voluntas, aut ē con- so, & tamē habēt mutuā inseparabilitatē. Præterea hęc ipsa essentialis inseparabili- animalis, quod est in homine, à rationali, ıonstrat animal quod est in homine non icienter definiri; principium sentiendi; o etiam ipsi aduersatij fateri debent defi- onem animalis à se allatam esse inadę- tam. Ex hoc autem quod in definitione dęquatà vnius extremi non contineatur rum, male inferunt hoc non pertinere ad dditatem illius: sicut ex eo quod manus pertinet ad integritatē capitis, male infer- non pertinere ad integritatem corporis nani. Quod autem insufficienter definia- prædictum animal: probatur; quia ani- quod est in equo æque bene definitur ıcipium sentiendi; & tamen animal od est in equo ab animali quod est in nine, est essentialiter intrinsece dissi- e: implicat autem duo essentialiter intrinsece dissimilia habere vnam ean- ıque definitionem adæquatam. Probatur em hęc essentialis & intrinseca dissimili- o: quia cum animali, quod est in homine ntificatur essentialis inseparabilitas à ra-

 tionali;

tionali; siue essentialis exigentia iunctionis, seu vnionis, cum rationali; cum animali autem quod est in equo identificatur essentialis repugnantia, & inconiungibilitas cum rationali. Hæc autem prædicata quam dissimilent, est per se notum. In hoc igitur sententia aduersariorum patitur æquiuocationem, quod definitionem inadæquatam vsurpet pro adæquata. Nam cum definitio adęquata debeat explicare totam essentiam rei & essentia animalis quod est in homine sit indispensabilis exigentia vnionis cum rationalitate; saltem dicere deberent definiendũ sic Animal, quod est in homine: Principium sentiendi essentialiter exigens vnionem, seu identitatem realem cum principio discurrendi.

Dices recte definitur homo animal rationale sine vllo addito; & tamen rationale est exigentia risibilitatis, ita vt risibile dicatur profluere à rationali vt prima passio eiusdẽ essentialiter inseparabilis ab ipso; ergo etiam si ab animali quod est in homine sit essentialiter inseparabile rationale; tamen recte definitur principium sentiendi nulla facta mentione talis inseparabilitatis.

Resp. Concesso antecedenti negando cõsequentiam. Disparitas manifesta, & ad rem; est quia non datur multiplex rationale quorum vnum sit essentialiter inseparabile à risibili; alterum essentialiter repugnans cum risibili. Si enim res ita esset neutrum adæquate definiretur per conceptum communẽ vtrique. At datur duplex animal alterum essentialiter inseparabile, alterum essentialiter separatum à rationali; & tamen vtriq;

con-

nuenit esse principium sentiendi: ergo utrum adæquate definitur per principium ntiendi. Aliæ probationes nostræ conclunis in responsione ad arguméta magis maſque patebunt.

ARRICVLVS III.

Respondetur obiectionibus.

OBijcies primò. Datur aliqua identitas intrinseca & obiectiua inter hominem animal rationale, quæ non datur inter imal, & rationale eiusdem hominis; ergo er animal & rationale datur aliqua diıctio intrinseca & obiectiua, quæ non da- inter hominem & animal rationale. Cōuentia est euidens, nam carere hac idenıte', & habere distinctionem oppositam c identitati sunt vnum & idem. Probaiam antecedens:quia homo in sua ratioformali quidditatiua includit animal raıale,vel potius constituitur per animal onale: animal in ratione formali quidıtiua non includit rationale. Item homo, a est homo,est animal rationale; animal, quia est auimal, est rationale vel potiıomo quia est animal rationale,est homo autem animal quia est rationale est ani- : ergo datur aliqua identitas intrinseca ectiua inter hominem & animal rationa- quæ non datur inter animal & rationale odem homine.

.esp. primò quod eo ipso quod conuenit uod prædicatum animali quod idem nō ıenit rationali; animal & rationale su-

ſtinēt prædicata contradictoria: eſt autem lōge validius fundamentum diſtinguendi realiter illa extrema quibus conueniunt prædicata contradictoria ; quam identificandi illa quæ meram habent inſeparabilitatem: & cōſequenter ſi valet argumentum propoſitum; probabilius eſt diſtingui realiter in eodem homine animal & rationale ; quam realiter identificari.

Reſp. ſecundo neg. ant. Ad probationem diſt. ante. animal præciſiue acceptum in ſua ratione formali quidditatiua non includit rationale conc. ant. animal quod eſt in homine in ſua ratione quidditatiua non includit rationale : neg. ant. vel ſubdiſt. in ſua ratione formali quidditatiua inadæquata: conc. ant. adæquata: nego ante. Item animal non quia eſt rationale eſt animal : diſt. ant. non quia eſt rationale, eſt animal præciſiue; conc. ant. eſt animal quod eſt in homine neg. ant. eſt conſequentiam.

Vt diſtinctionem intelligas ; ſcire oportet per rationem formalem quidditatiuam intelligi aliquando ipſam met eſſentiam , ſeu quidditatem rei, aliquando definitionem ipſam; ſeu conceptum formalem quo explicatur quidditas ſiue eſſentia rei. Suppone præterea non dari à parte rei animal vt ſic hoc eſt animal quod ſit pure & præciſe animal, & conſequenter quærere eſſentiam animalis quod pure ſit animal, cum excluſione cuiuslibet differentiæ, eſt quærere chimeram.

Supereſt igitur vt res ſignificata per hunc conceptum *Animal* ſit tota allectio animalium. Cum autem collectio animalium nihil aliud ſit quam & hac & illud aliud animal;

l; quęrere essentiam animalis quod signi-
tur per li *Animal* est quærere essentiam
us & illius & illius alterius animalis.
m vero & hoc & illud & illud aliud ani-
l non habeant vnam essentiam, hinc est
od essentia animalis nequeat vno concep-
explicari. Voco: *vnum*: conceptum qui
iscriminatim omnium animalium essen-
u repræsentet.
Explicatur hoc accipiendo duo animalia;
a hominem & equum. Si quis petat vnica
initione definiri hominem & equum, ab-
de petit: quia homo & equus sunt dissi-
les in quidditate: dissimilia autem in
dditate vna definitione non definiuntur:
no definitur animal rationale, equus ani-
l hinnibile.
Quamuis autem homo & equus sint dissi-
les in quidditate, non habent tamen om-
modam dissimilitudinem, ideoque dicun-
partim similes, & partim dissimiles. Hoc
le intelliges si attendas ad operationes
e procedunt ab homine. Homo mouetur,
no videt, homo audit; huiusmodi ope-
ones etiam equo conueniunt, nam equus
m mouetur, equus videt, & audit; ergo
in equo, quam in homine datur princi-
m motus, visionis, auditionis. At illud
n principium quod in homine est prędi-
um operationum, est etiam aliarũ; ratio-
tionis videlicet intellectionis & aliarũ.
ncipium autem quod in equo est, non est
al intellectionis, ratiocinationis & ræte-
um. Duo igitur illa principia motus &
sationum quorum alterum est in homine,
rum in equo, aliqualiter conueniunt in-

ter se, & aliqualiter inter se discrepant, Cōueniunt aliqualiter; quia vtrunque est principium sentiendi: discrepant aliqualiter quia alterum est principium discurrendi, alterum hinniendi.

Quod si ob discrimen, seu diuersitatem istarum operationum sentiendi, scilicet, & discurrendi, aduersarius exigat duo principia in homine: alterum sentiendi, & alterum discurrendi: sine fundamento id exigit. Si enim multiplicanda sunt principia, seu causę pro multiplicitate operationum, seu effectuum, oportebit, non duo; sed innumera principia ponere in homine, cum ab eodem innumeræ operationes procedant inter se diuersæ, puta aliud est assentiri, aliud dissentiri; aliud velle, aliud nolle; aliud desideraret, aliud frui; & consequenter oportebit pro istis multiplicare potentias, assignando vnam, quæ sit volitiua, aliam quæ sit nolitiua, vnam quæ sit affirmatiua, aliam quæ sit negatiua, & sic de cæteris.

Porrò hoc idem principium diuersarum operationum, quarum aliæ sunt communes homini, & equo; aliæ propriæ hominis, considerari potest, vel per ordinem ad omnes, vel per ordinem ad aliquas. Si consideretur per ordinem ad omnes; & per ordinem ad omnes definiatur; definitur definitione adæquata, si per ordinem solum ad aliquas; definitione inadęquata: non quod aliquid in ipso definiatur, & aliquid non definiatur. sed quod illud idem indiuisibile principiū definiatur per ordinem ad aliqua, non autem per ordinem ad omnia connotata adeoq; inadæquatio non est ex parte obie-

i, sed ex parte cognitionis non attingen-
s obiectum quantum meretur attingi.

Rursus & principium illud, quod re ipsa
mo est, inadæquate definiatur per ordinem
sentationes; talis definitio dicitur con-
ndere hominem cum equo, & quolibet
io animali; quia sensatio est genus opera-
nis ab omni animali procedens. Si per
dinem ad ratiocinationem; talis cognitio
citur discernere hominem ab equo, & à
ocunq; alio animali quia inter omnia
imalia soli homini conuenit ratiocinari.
r primam definitionem, in qua dicitur:
incipium sentiendi, dicitur definiri for-
liter animali; per secundam, quæ est:
inipium discurrendi: dicitur definiri for-
liter rationale. Quod nihil aliud signi-
t, nisi vnum illud, & idem principium
od est & animal, & rationale, substare
do formæ extrinsecæ, seu cognitioni
nparanti ipsum cum his; modo alteri for-
extrinsecæ, seu cognitioni comparanti
im cum illis alijs connotatis.

x his omnibus habes quid intelligendum
quando dicitur in definitione animalis
cisiuè non attingi rationale, nec per de-
ionem rationalis præcisiuè, attingi ani-
. Neque enim sensus est, id, quod defi-
r esse solum animal, aut solum ratio-
: sed sensus est, id, quod definitur, quam-
ssentialiter sit & animal, & rationale,
q; principium, & sensationis, & di-
sus, attingi solum, vel per ordinem ad
tionem, vel per ordinem solum ad di-
sum: cum per definitionem adæquatam
gendum foret per ordinem ad vtrumq;

L 6 ge-

genus operationum. Hæc qui rectè intelliget, habet vnde soluat omnia argumenta, quæ excogitari possunt contra sententiam, quam sustinemus.

Obicies secundo. Homo per animalitatem est à parte rei, & intrinsecè similis equo; per rationalitatem à parte rei, & intrinsece non est similis equo: ergo animalitas, & rationalitas in eodem homine distinguntur intrinsecè. Item homo per rationalitatem est dissimilis equo: per animalitatem non est dissimilis equo; ergo animalitas; & rationalitas non sunt realiter idem. Probatur vtrumq; antecedens, quia homo per animalitatem est viuens, sentiens; & hoc conuenit equo: per rationalitatem est discurrens, & hoc non conuenit equo.

Resp. negando vtrumq; antecedens. Eamdem omninò similitudinem quam habet homo cum equo per animalitatem, habet realiter, & intrinsece per rationalitatem; & eamdem dissimilitudinem quam habet cum equo per rationalitatem, habet etiam realiter, & intrinsece per animalitatem. Ad probationem antecedentis: dic hominem per rationalitatem realiter, & intrinsece esse principium sentiendi, & per animalitatem esse realiter, & intrinsece principium discurrendi; quandoquidem, vt dictum est supra, idem indiuisibile principium in homine est, & sentiendi, & discurrẽdi; & consequẽter quicquid de hoc verificatur, verificatur & de illo: cum vni eidemq; indiuisibili principio contradictoria conuenire non possint,

Dicitur tamen communiter homo discurrere per rationalitatem, non verò per anima-

malitatem ; esse dissimilis equo per rationale, non verò per animal : quæ propositiones veræ sunt, si intelligantur, vt debent. Faciunt enim apud rectè intelligentes sensum formalem ; significantq; hominem cognitum sub conceptu rationalis, concipi per ordinem ad discùrsum, non autem per ordinem ad sensationem ; & sub conceptu animalis concipi non per ordinem ad discursum, sed per ordinem ad sensationem. Item : hominem sub conceptu animalis non discerni ab equo, aut quolibet alio animali ; discerni autem sub conceptu rationalis : quæ omnia vera sunt.

Obicies tertio. Animal in homine perficitur pet rationale ; ergo non est idem cum rationali. Item rationale in homine determinat animal ad hanc potius, quam ad illam speciem animalis ; ergo rationale in homine distinguitur ab animali. Denique rationale in homine superuenit animali, ergo rationale distinguitur ab animali, &c.

Ad hæc & alia eiusdem farinæ argumenta respondet breuiter D. Thomas prima parte quæst. 15. art. 2. ad 1. quòd in rebus immaterialibus id quod determinatur, & determinatiuum non est aliud, & aliud, sed vnum & idem; aliud tamen, & aliud ratione nostra : *In rebus*, inquit, *materialibus aliud est, quod determinat ad specialem gradum, scilicet forma, & aliud quod determinatur, scilicet materia. Vnde ab alio sumitur genus, & ab alio differentia, sed in immaterialibus non est aliud determinans, & determinatum, sed vnaquæq; earum secundum seipsam tenet determinatum gradum*

dum in entibus; & ideò genus, & differentia in ijs non accipitur secundum aliud, & aliud, sed secundnm vnum & idem, quæ tamen differunt secundum considerationem nostram. In quantum enim intellectus noster considerat illam rem, vt indeterminatè, accipitur in eis ratio generis; in quantum considerat, vt determinatè; accipitur ratio differentiæ. Hæc D. Thomas. Ad argumentum in forma. Animal perficitur per rationale: ratione nostra concedo; reipsa: nego. Idem dic ad cætera. Siue: perficitur logice, concedo: physice: nego.

Obicies quarto. Si animal in homine non distingueretur intrinsece à rationali; sequeretur, quod tunc imperfectius cognosceremus hominem quando perfectius illum cognoscimus: consequens repugnat in terminis; ergo & accedens. Sequela maioris probatur, quia perfectius cognoscimus hominẽ, quãdo cognoscimus illũ cõceptu definitiuo, quã quando cognoscimus illũ conceptu definito: hoc est perfectius cognoscitur homo hoc conceptu: *Animal rationale*, quam hoc alio: *Homo*: sed sequeretur conceptu definitiuo cognosci perfectius, ergo sequeretur cognosci imperfectiùs, quando perfectiùs cognoscitur. Probatur hæc vltima minor: quia per conceptum definitum cognoscitur non distinguendo in eo plures perfectiones; per definitiuum autem cognoscitur distinguendo in ipso plures perfectiones; scilicet animal & rationale; sed melius cognoscitur non distinguendo, quàm distinguendo plures perfectiones in eo; ergo melius cognoscitur non definiendo, quàm definiendo. Explica-

tur

tur hoc idem: quia homo (nisi detur distinctio inter gradus) non est duæ perfectiones, sed vnica; ergo melius cognoscitur non duplicando, quàm duplicando in ipso perfectionem: vnumquodq; enim melius cognoscitur, si cognoscatur vt est, quam si cognoscatur vt non est.

Resp. neg. sequelam mai. Ad cuius probationem conc. maio, nego min. Ad probationem minoris nego maior. in qua dicitur per conceptum definitiuum hominis cognosci hominem, distinguendo in illo plures perfectiones, quarum altera sit animal, & altera rationale. Quamuis enim dicatur homo animal rationale, adeoq; duplicetur quodammodo essentiale constitutiuum hominis, saltem voce tenus; quia duplici voce exprimitur; non propterea hæc eadem essentia exprimitur, vt duplex perfectio; sed vt perfectio à qua & sensationes, & ratiocinationes profluere possint; præscindendo, an huiusmodi perfectio sit vna, an duplex: esse duplicem debet probare aduersarius. esse vnam hoc ipso argumento probamus, quod non sit vlla necessitas illam duplicandi; cum manifestum sit operationes inter se diuersas posse ab vno eodemq. principio profluere.

Obicies quinto. Ad veritatem huius propositionis: *Homo est animal*, non requiritur rationalitas, requiritur animalitas: ergo animalitas, & rationalitas sustinēt prædicata contradictoria. Antecedens probatur, quia etiam si homo esset equus adhuc hæc propositio: *Homo est animal* esset vera, ergo ad veritatem huius propositionis non

requiritur rationalitas. Item etiam si homo non esset rationalis, dummodo esset animal, adhuc vera esset hæc propositio: *Homo est animal*, ergo ad veritatem huius propositionis non requiritur rationalitas.

Resp. distinguendo ant. requiritur animalitas, quæ est in homine nego antec. requiritur hæc, vel illa animalitas conc. ant. & distinguo consequens: animalitas quæ est in homine, & rationalitas sustinent prædicata contradictoria, nego consequentiam: animalitas vt sic, seu præcisiue accepta, & rationalitas sustinent prædicata contradictoria, concedo consequentiam. Animalitas præcisiue accepta supponit pro omni omnino animalitate; animalitas quæ est in homine non est omnis omnino animalitas; certum est autem verificari de tota collectione animalium aliquod, quod non verificatur de parte talis collectionis.

QVAESTIO III.

An inter gradus genericos, & differentiales eiusdem indiuidui detur distinctio virtualis intrinseca.

ARTICVLVS I.

Respondetur negatiuè.

Dissentiunt à Scotistis more suo Thomistæ, & distinctionem illam formalem

leni ex natura rei a nobis impugnatam ipsi etiam impugnant. Aliam autem inter gradum genericum, & differentialem admittunt in eodem indiuiduo; puta inter animal, & rationale in eodem Socrate, quam virtualem intrinsecam vocant. Rursus in hac ipsa distinctione virtuali intrinseca explicanda non est vnus omnium sensus. Alij enim ex vi talis distinctionis existimant conuenire eidem indiuisibili entitati prædicata intrinsece contradictoria; qualia conueniunt, si verū est, Naturæ diuinæ, & Paternitati. Nā de natura diuina prædicatur, quod sit cōmunis filio, de Paternitate negatur: natura diuina, & Paternitas sunt vna indiuisibilis entitas: ergo in diuinis vna indiuisibilis entitas sustinet prædicata intrinsecè contradictoria. Sic Philosophātur in diuinis, & à diuinis ad humana descēdunt, hanc eandem potestatē, seu virtutem verificandi contradictoriā admittentes in animalitate, & rationalitate, quæ sunt vna indiuisibilis entitas Petri, puta de animali quod est in Petro verificatur, quod sit radix omnis sensationis; quod non verificatur de rationali, quod est in eodem.

Alij distinctionem hanc virtualem intrinsecam aiunt consistere in hoc; quod prædicata contradictoria verificentur, sed extrinseca de duabus illis rationibus constituentibus vnam simplicem, & indiuisibilem entitatem, puta verificatur de animali, quod sit cognitum, & hoc idem negatur de rationali: esse autem cognitum, & non esse cognitum, sunt prædicata quidem contradictoria, sed extrinseca. Virtute huiusmodi

di prædicata verificandi vocant distinctionem virtualem intrinsecam inter gradus genericum; & differentialem eiusdem Socratis. Hanc distinctionem virtualem vtrique definiunt: *Dissensum in aliquo prædicato cum identitate reali.* Puta animal & rationale, quæ sunt idem realiter, dissentiunt, vel in hoc prædicato: *Radix sensationum:* quod est intrinsecum: vel in hoc alio: *Cognitum:* quod est extrinsecum.

Dico primò distinctionem virtualem secundo modo acceptam inferre distinctionem virtualem primo modo. Hoc est ex hoc ipso quod gradus genericus & differentialis verificent contradictoria extrinseca, recte inferes verificare contradictoria intrinseca. Probatur hęc conclusio. Quia ex hoc ipso quod cognoscatur animal non cognito rationali; aut è conuerso: potest cognosci animal non cognito rationali, & è conuerso, seu posse cognosci est prædicatum intrinsecum, ergo à prædicatis extrinsecis recte infers predicata intrinseca. Explicatur hoc idem. In animali datur capacitas terminandi cognitionem qua dico: *Animal,* in rationali non datur capacitas terminandi cognitionem hanc qua dico: *Animal:* ergo animal & rationale verificant contradictoria intrinseca. Consequentia patet quia huiusmodi capacitas est quid intrinsecum, quamuis sit ad aliquod extrinsecum.

Dico secundo. Non datur inter gradus prædictos distinctio virtualis intrinseca, etiamsi per talem distinctionem nihil aliud intelligas quam capacitatem dissentiendi in prædicato extrinseco. Probatur conclusio

quia

quiá idem de eodem nequit affirmàri & negari, ergo si cognosci affirmetur & negetur de animali & rationali: hoc est affirmetur de animali & negetur de rationali, aut è conuerso; animal & rationale non sunt idem. Antecedens est primum principium quod inaniter limitatur ab aduersarijs. Quod autem tam de prædicatis extrinsecis intelligi debeat quam de intrinsecis probatur: quia intantum contradictoria intrinseca nequeunt vni eidemque rei conuenire quia quod intrinsece ponitur per vnum, intrinsece tollitur per alterum contradictorium: tam autem implicat ex duobus prædicatis extrinsecis vnum per aliud tolli, quam hoc præstari in prędicatis intrinsecis: sed manifestum est quod etiam ex contradictorijs extrinsecis vnum per alterum tollitur: ergo tam repugnant eidem entitati contradictoria extrinseca quam intrinseca. Explicatur hoc. Esse principium sentiendi cōuenit animali quod est in homine: hoc idem predicatum negari nequit de rationali; quia nequit tolli simul & poni idem prædicatum intrinsecum in eadem indiuisibili entitate. Considera iam prædicatum *cogniti*: ait aduersarius hoc prędicatum conuenire posse animali, quin conueniat rationali: tu autem dicis à rationali non tolli prędicatum *cogniti* quod conuenit animali, ne vni eidemque entitati conueniat & non conueniat idem prædicatum extrinsecum; cum æque absurdum sit idem prædicatum extrinsecum esse & non esse, ac esse & non esse idem predicatum intrinsecum. Implicat enim quodlibet esse simul & non esse.

Præterea sicut cognosci & non cognosci sunt

sunt quid extrinsecum obiecto: ita cognoscere & non cognoscere est quid intrinsecum potentiæ cognoscenti: ergo sicut eadem indiuisibilis entitas denominatur cognita, & non cognita vna eademque cognitione; ita idem indiuisibilis intellectus, erit vna eadēque cognitione cognoscens & non cognoscens respectu eiusdem indiuisibilis entitatis. Valet enim: intellectus cognoscit animal, non cognoscit rationale: animal & rationale sunt idem, ergo intellectus cognoscit & non cognoscit idem.

Dico tertio. Non datur vlla distinctio virtualis intrinseca. Probatur Conclusio eodem argumento, quod probata est conclusio posita contra Scotistas. Animal & rationale sunt vna entitas secundum aduersarios: in illa vna entitate non requiritur vlla distinctio ad sustinenda quæcunque de illa cum veritate dicuntur; ergo in tali entitate non datur vlla distinctio. Minor probatur in responsionibus ad argumenta. Vbi per puram distinctionem extrinsecam rationis ratiocinatæ omnia clare diluuntur.

ARTICVLVS II.

Respondetur Obiectionibus.

OBijcies primò. Non repugnat ex genere distinctio virtualis intrinseca; ergo debet admitti inter gradus metaphysicos. Consequentia probatur quia per illam recte omnia explicantur, & melius quàm sine illa; & consequenter nisi probetur repugnantia eiusdem, debet admitti. Antecedens probatur

tur ex mysterio Sanctissimę Trinitatis: nam inter Paternitatem & Naturam diuinam admittenda est distinctio virtualis intrinseca; ergo talis distinctio ex genere suo non repugnat. Probatur hoc secundum antecedens quia natura diuina, & paternitas sustinent prædicata contradictoria: natura diuina cōmunicatur filio, Paternitas non communicatur filio; idque independenter ab omni operatione intellectus; ergo inter naturam diuinam, & Paternitatem datur aliqua distinctio obiectiua siue intrinseca.

Resp. aliqui concesso antecedenti, eiusque probatione, negando consequentiam. Rationem distinctionis intrinsecæ inter naturam diuinam & Paternitatem petunt ex incompræhensibili mysterio Trinitatis, quod sine tali distinctione saluari non posse existimāt: male autem à diuinis argui ad humana. Nam pro creatis non militat eadem ratio: cum omnia per puram distinctionem rationis extrinsecam recte explicentur: quod si fieri posset etiam in diuinis; neque in diuinis prędicta distinctio admittenda foret. Placet hic indicare rationē cur in diuinis aiunt admitti posse distinctionem prædictam Natura diuina est omnis omnino perfectio: hinc etiamsi aliquod prædicatum illi superaddas, non addis perfectionem: & consequenter dissensus in tali prędicato nō erit dissensus in perfectione: ex alio capite dissēsus naturę diuinę & Paternitatis in tali prædicato erit aliqua distinctio: distinctio aut fundata in dissensu circa prædicatum non dicens perfectionem non est distinctio realis; ergo talis distinctio non erit realis: erit autem intrinseca & ob-

iectiua

iectiua; igitur inter naturam diuinam & Paternitatem dabitur distinctio non realis quamuis intrinseca: hæc autem est virtualis. Quod distinctio fundata in prædicto dissensu non sit realis, patet, quia cum tali dissensu stat consensus in omni omnino perfectione: hæc enim duo non pugnant: consentire in omni omnino perfectione, & dissentire in prædicato quod neque sit perfectio, neque imperfectio.

Hæc ratio inquiunt non militat in rebus creatis: nam nulla ratio creata est omnis perfectio; nec vllum prædicatum creatum præscindit à perfectione & imperfectione: hinc est quod quotiescunque duæ rationes creatæ dissentiunt in aliquo prędicato, eo ipso dissentiunt in aliqua perfectione: quęcunque autem dissentiunt in perfectione distinguntur realiter; ergo quæcunque rationes creatæ dissentiunt in aliquo prædicato distinguntur realiter, hæc ratio valeat quantum valere potest. Alij non aliam rationem reddunt; nisi quod distinctio intrinseca inter prædicata quę sint realiter idem non debet admitti nisi probetur: probatur in diuinis, non autem in creatis, ergo ex hoc quod admittenda sit in diuinis male infertur admittendam etiam in creatis. Ad probationem consequentiæ nega melius explicari constitutionem metaphysicam rerum creatarum per distinctionem virtualem quam sine illa.

Respondent alij negando antecedens. Ad probationem negant etiam in diuinis distinctionem virtualem intrinsecam. Ad argumẽtum, quod affertur pro ipsa sic respondent: Communicatur natura & non communicatur

tur Paternitas; eadem communicatione: negant: communicatur natura & non communicatur Paternitas, diuersa communicatione: concedunt: communicari autem naturam vna communicatione & Paternitatem non communicari alia cõmunicatione; etiãsi natura diuina & Paternitas sint vna entitas; non est naturam diuinam & Parernitatem sustinere prædicata contradictoria. Nam communicatio *A* & negatio communicationis *B* non opponuntur. Communicatur, aiũt natura diuina filio communicatione essentiali; hac eadem cõmunicatione communicatur Paternitas: Paternitas non cõmunicatur cõmunicatione personali; neque natura diuina tali cõmunicatione cõmunicatur. Quando igitur Patres dicunt communicari naturam Diuinam, absque eo quod cõmunicetur Paternitas: hoc ita intelligendum est vt communicatio qua natura diuina est vna trium Personarum, non sit communicatio, qua vna persona sit alia Persona; aut tres Personæ vna Persona.

Dices communicatur natura communicatione reali, non communicatur Paternitas communicatione reali; ergo ea communicatione qua communicarur Natura, non communicatur Paternitas; ergo Natura diuina & Paternitas sustinent prædicata contradictoria. Consequentia probatur quia communicari & non communicari eadem communicatione sunt contradictoria.

Resp. distinguendo antecedens: communicatur natura communicatione reali essentiali: concedo; communicatione reali personali: nego, Paternitas non communicatur

com-

communicatione reali personali: concedo: communicatione reali essentiali: nego. Ex his patet ad reliqua. Vel igitur neganda est etiam in diuinis distinctio virtualis intrinseca: vel etiamsi admittatur, datur sufficiens ratio cur in creatis negetur. An autem in diuinis admittenda sit an neganda, non est præsentis indaginis.

Obijcies secundo. Inter rationes realiter identificatas debet admitti aliqua distinctio obiectiua; ergo non repugnat inter gradus metaphysicos cum identitate reali aliqua distinctio intrinseca. Antecedens probatur; quia omnis creatura identificat in se perfectionem cum imperfectione: in terperfectionem, & imperfectionem eiusdem creaturæ, datur aliqua distinctio obiectiua; ergo inter identificata realiter datur aliqua distinctio obiectiua. Minor probatur; quia perfectio est ex Deo, imperfectio non est ex Deo. esse ex Deo & non esse ex Deo sunt contradictoria; ergo perfectioni & imperfectioni conueniunt prædicata contradictoria.

Resp. negando antecedens ad probationē concessa mai: nego min: ad probationem minoris nego magorem, Illa eadem imperfectio quæ est perfectio, est à Deo. Illud idē quod perfectio & imperfectio est, dicitur perfectio inquantum est aliqua perticipatio diuini esse; dicitur imperfectio propter hoc ipsum, quia est participatio, & consequenter aliquod esse limitatum; hoc est tanta & non maior communicatio illius esse, quod est plenitudo totius esse. Esse autem participationem diuini esse tantam, & non maiorem, est identificatum cum ipsa re creata: quę tota quanta

quanta est, ex Deo est. Vbi aduerte obiter, quod aliud est esse malum, aliud esse imperfectum. Quælibet creatura est bona: & quelibet creatura est essentialiter imperfecta: Esse malum est carere bono sibi debito: esse imperfectum est non esse omne bonum: carere bono sibi debito non necessario conuenit creaturæ: non esse omne bonum necessariò conuenit.

Dicuntur tamen duæ istæ rationes: *perfectio*, scilicet, & *imperfectio* in eadem entitate distingui formaliter ratione nostra, quia illa entitas per hunc conceptum: *perfectio*: exprimitur per ordinem ad Deum, seu ad esse simpliciter, quod est omnis perfectio: per hunc alium conceptum: *imperfectio* exprimitur per ordinem ad nihilum, quod est negatio omnis perfectionis: diximus autem diuersas expressiones eiusdem obiecti esse eiusdem diuersas formas extrinsecas: vnde sequitur idem à se ipso distingui formaliter extrinsece; cum distingui hoc modo nihil aliud sit quam habere diuersas sui cognitiones, siue imagines.

Obijcis tertio. Quando video Petrum à longe cognosco animal, & non cognosco rationale: ergo vel animal distinguitur realiter à rationali, vel cum identitate reali datur capacitas verificandi duo contradictoria: videlicet cognosci, & non cognosci. Antec. probatur, quia per prædictam cognitionem illud solum cognosco, quod possum affirmare ex vi talis cognitionis: sed ex vi talis cognitionis solum affirmare possum animal: ergo per prædictam cognitionem cognosco solum animal: confirmatur, quia illud non

cognosco, de quo nihil possum affirmare: sed in casu posito nihil possum affirmare de rationali; ergo in casu posito non cognosco rationale.

Resp. Istas duas propositiones: *non affirmo rationale*, & : *nihil affirmo de rationali.* Esse inter se valde diuersas. In casu posito non affirmas rationale; quia de obiecto, quod aspicis, non dicis: *est rationale.* Affirmas tamen aliquid de rationali; quia de obiecto, quod aspicis, dicis: *est animal*: sed obiectum, quod aspicis, est rationale: ergo de rationali affirmas quod sit animal: falsum est igitur, quod in casu posito nihil affirmes de rationali. In forma ad argumentum nega antecedens; ad cuius probationem nega mai. Male metitur Aduersarius obiectum, quod cognoscit, à cognitione affirmante hoc, vel illud de obiecto. Nam determinatio ad hanc, vel illam affirmationem non habetur ab obiecto terminante cognitionem, sed ab obiecto mouente; aut ex modo, quo cognitio ipsa circa obiectum versatur. Cognitio perfectior circa idem obiectum determinat ad affirmandum aliquid, ad quod non determinat cognitio imperfectior: quia cognitio perfectior est vel potest esse comparatiua obiecti cum pluribus obliquis, quam imperfectior.

Dices: affirmo de animali quod sit cognitum: nego de rationali quod sit cognitum: animal & rationale sunt idem: ergo idem de eodem affirmo & nego.

Resp. concedendo totum: quod videlicet Aduersarius de eodem idem affirmet & neget: sed quid ad nos? Nos dicimus tam. ratio-

nale

nale cognitum esse, quam animal; adeoque quidquid de animali concedimus, illud idẽ concedimus de rationali.

In casu posito hominis, quem vides à longe, formari solent hæ propositiones. *Cognoscitur clare animal non cognoscitur clare rationale. Cognoscitur distincte animal, non cognoscitur distincte rationale. Cognoscitur formaliter animal, non cognoscitur formaliter rationale.* Non quod eadem claritate, distinctione formalitate, qua cognoscitur animal, non cognoscatur & rationale: sed quia hæc aduerbia: *clare, distincte, formaliter,* & similia prout coniunguntur cum his terminis: *animal* & *rationale* determinantur ad importandam diuersam claritatem, distinctionem, & formalitatem. Cognoscere clare animal in casu posito, est ita cognoscere id, quod est realiter & animal, & rationale; vt illud discernas ab omni non animali. Cognoscere clare rationale est ita cognoscere illud idem obiectum, vt illud discernas ab omni non rationali: quia autem cognitio, qua discernis hominem ab omni non homine, perfectior est cognitione, qua discernis solum ab omni non animali; ideo cognitio excercite significata per hanc vocẽ: *rationale* dicitur perfectior cognitione importata per hanc aliam: *animal.*

Dices: cognosci clare, & non cognosci clare sunt contradictoria: cognoscitur clare animal, & non cognoscitur clare rationale: ergo de animali & rationali verificantur contradictoria.

Resp. dist. mai. cognosci, & non cognosci clare eadem claritate sunt prędicata contra-

dictoria: conc. mai. diuersa claritate nego mai. & eodem modo dist. min. nego conf. Eadem claritate, qua cognoscis animal, cognoscis rationale: eo enim ipso, quod animal discernis ab omni non animali: etiam rationale discernis ab omni non animali: sicut autem rationale non discernis ab omni non rationali; ita nec animal quod nihil aliud significat, nisi te illam entitatem, quæ est & animal, & rationale, alia claritate cognoscere, dum cognoscis cognitione expressa per hanc vocem: *rationale* quam expressa per hanc aliam: *animal.*

Obijcies quarto. Oculus videt albedinem & non videt relationem transcendentalem ad Deum cum albedine realiter identificatã: ergo ex duabus rationibus realiter identificatis idem oculus alteram videt, & alteram non videt.

Resp. Negando antec. Relatio transcendentalis ad Deum nihil est aliud, quam respectus, siue ordo cuiuslibet creaturæ ad Deum, tanquam ad causam primam, à qua dependet: cum huiusmodi ordo non sit huius aut illius dumtaxat, sed omnis omnino creaturæ; dicitur transcendentalis: supponitur autem hic identificatus creaturæ: quia quælibet creatura per se ipsam, non autem per aliud sibi superadditum, est essentialiter pẽdens à Deo: cum igitur quælibet creatura sit realiter ordo sui ad Deum; consequens est vt quilibet actus, attingens quamlibet creaturam, attingat etiam realiter ordinem ad Deum. Oculus igitur videns albedinem videt realiter relationem transcendentalem ad Deum; non autem formaliter videt, nec

videre

videre potest: quia oculus nequit exprimere suum obiectum comparatiuè ad Deum.

Porro ex hoc, quod oculus nequeat attingere formaliter relationem ad Deum; possit tamen attingere formaliter albedinem: nō sequitur inter albedinem & relationem ad Deum vlla obiectiua distinctio; sed solum sequitur, quod circa suum obiectum potest exercere actum huius, non autem illius alterius rationis. Intellectus autem tam relationem transcedentalem, quam albedinem ipsam potest attingere formaliter, quia est capax vtriusque actus.

Obijcies quinto. Eadem medicina identificat in se principium sanitatis, & principiū amaritiei: amatur principium sanitatis, non amatur principium amaritiei: ergo ex duabus rationibus identificatis altera amatur, & altera non amatur. Minor probatur, quia medicina quatenus sana amatur ab infirmo, non amatur quatenus amara: ergo principium sanitatis amatur; non amatur, imo ideo habetur principium amaritiei.

Resp. concessa maiori, negando minorem vel si mauis vtere distinctione: amatur formaliter principium sanitatis, & non amatur formaliter principium amaritiei: concedo; & non amatur realiter principiū amaritiei: nego. Voluntati, seu appetitui præsentatur ab intellectu medicina, quæ simul est causatiua sanitatis, & gustationis iniucundæ, imo & displicentis. Ab illa sanitate quam promittit, mouetur Infirmus ad amandam medicinam; ab illa amaritie, quam minatur, non mouetur Infirmus ad amandam, imo mouetur ad odio habendam medicinam. Sed

quia amor sanitatis prævalet odio amaritici dicitur talis amor efficax: vt pote determinans ad haustum medicinæ; odium illud dicitur inefficax: vt pote non remouens efficaciter à predicto haustu.

Atque hic aduerte, quod quando dicimus non amari formaliter principium amaritici non est sensus medicinam non apparere nobis sub hoc conceptu: *res amara*: sed sensus est appetitum non allici ab amaritie ad prosequendum principium, quod est indiuisibiliter idem amaritiei, & sanitatis. Medicina enim duos effectus causat in Infirmo, sanitatem videlicet, & sensationem molestam. A primo effectu monetur appetitus: & hoc est amare medicinam vt sanam, seu amare formaliter principium sanitatis: à secundo non mouetur, & hoc est non amare medicinam vt amaram, seu non amare formaliter ptincipium amaritici. Moueri autem à sanitate, non moueri ab amaritie ad amorem principij, quod indiuisibiliter est ad vtrunque, non inuoluit contradictoria.

ARTICVLVS III.

Satisfit alijs obiectionibus.

DIctum est animal à rationali, sanum ab amaro distingui ratione nostra. Hinc sic arguit Aduersarius. Sanum ab amaro in eadem medicina, animal à rationali in eodem homine, humanitas à Petreitate in Petro distinguntur ratione nostra: ergo distinguntur ante rationem nostram. Consequentia probatur, quia ante rationem nostrā

datur

datur in ſano capacitas vt ratione diſtinguatur ab amaro: in animali capacitas, vt ratione diſtinguatur à rationali: in humanitate capacitas, vt diſtinguatur ratione à Petreitate: ſed neque in amaro datur capacitas, vt ratione diſtinguatur ab amaro: nec in rationali capacitas, vt ratione diſtinguatur à rationali: nec in Petreitate capacitas, vt ratione diſtinguatur à Petreitate: ergo ſano & amaro &c. conueniunt contradictoria, & quidem intrinſeca.

Reſp. conc. ant. negando conſ. ad cuius probationem conc. mai. nego min. Illa eadem capacitas, quæ in eſt ſano, vt ratione diſtinguatur ab amaro, ineſt amaro, vt ratione diſtinguatur ab amaro. Quod nihil aliud eſt niſi illud idem, quod & ſanum eſt, & amarum ſortiri diuerſos ſui conceptus. Sanum diſtinguitur ratione ab amaro: quia entitas illa ſub hoc conceptu: *ſanum* concipitur per ordinem ad ſanitatem; & illa eadem ſub hoc conceptu: *amarum* concipitur per ordinem ad ſenſationem moleſtam: rurſus illa eadem entitas ræpræſentata ſub vno conceptu, attingente vtrumque obliquũ, mouet per vnum, non autem per alterum: adeoque eandem entitatem, etiam ſub eodem conceptu, mouere formaliter vt ſanam, non vt amaram; nihil aliud eſt, quam illam amari vno amore, non autem alio: amore qui ſit ſanitatis; non autem ſenſationis moleſtę: eãdem auté entitaté & mouere ad amorẽm *A*, & terminare amorem *A*: neque mouere ad amorem *B*; neque terminare amorẽ *B* non ſunt contradictoria.

Hoc idem quod dixi de ſano, & amaro

in eadem medicina; proportionaliter dices de animali, & rationali de humanitate, & Petreitate.

Dices: diuersæ cognitionis debet esse diuersum obiectum: animalis & rationalis est diuersa cognitio: ergo animal & rationale sunt diuersa obiecta.

Resp. negando maiorem: cum eiusdem obiecti dari possit diuersa repræsentatio. Roga Aduersarium an hęc cognitio: *Homo* differat ex obiecto ab hac alia: *Animal rationale*. Negabit opinor: & tamen duę istæ cognitiones sunt inter se diuersæ: nam illa propositio: *Homo est animal rationale*, non est identica: hoc est quamuis reprę sentet idē, tam ex parte subiecti, quam ex parte prędicati: non tamen repræsentat eodem modo sicut repræsentaret hæc alia: *Homo est homo*.

Facile est æquiuocari inter obiectum terminatiuum, & obiectum motiuum. In casu supraposito tam de Petro viso à longe, quam de medicina amata vt sana est, non amata vt amara est: habes idem obiectum terminatiuum, non tamen idem obiectum motiuū. De medicina iam dictum est te moueri à sanitate, non autem à sensatione iniucunda, quam efficit. De Petro viso à longe aliud est, quod te mouet ad dicendum: *est animal* aliud quod te mouet ad dicendum: *est homo*, seu: est *rationale*. Motus progressiuus, quem procul depręhendis, determinat te ad affirmandum: *est animal*: Moueri enim progressiue est proprium animalium, seu potius est quid commune homini cæterisque animantibus. Figura, quam in eodem tibi propius admoto depręhendis determinat te

ad

ad dicendum: *est homo*: talis enim figura soli homini conuenit: deinde dum tibi propior est, à lineamentis, & iis quæ sunt singulariter in Petro determinatis ad dicendum: *est Petrus*: Petro deinde dicis: *vidi te à longe*: & verum dicis: ergo a longe nō solum videbas animal, aut solum hominē, sed Petrum; quamuis non posses dicere: *est Petrus*.

QVAESTIO IV.

De Vnitate naturæ Vniuersalis.

ARTICVLVS I.

Reijcitur vnitas Scotistica.

DIctum est supra, quod quemadmodum vnum & idem fit quodammodo plura; ita etiam plura sunt quodammodo vnum: ita diximus Petrum, Paulum, & Franciscum, cæteraque indiuidua naturæ humanæ; quamuis sint plures homines esse tamen vnam speciem, seu vnum quid specie: hominem, leonem, & equum cæteraque huiusmodi: quamuis sint plura animalia, esse tamen vnum genus, seu esse quid vnum genere: rursus vniuersale, seu natura vniuersalis, vt talis, multiplicitatem quandam dicit, & vnitatem: puta natura humana, vt vniuersalis, dicit multiplicitatem hominum; & eorundem hominum vnitatem quandam. Controuersia inter Phylosophos est non de multiplicitate: hanc enim

omnes admittunt intrinſecam, & ex parte obiecti in illa natura, quæ eſt vniuerſalis; ſed de vnitate, an videlicet illa ſit intrinſeca, an extrinſeca eidem naturæ vniuerſali. Definitur vero vniuerſale : *vnum aptum eſſe in pluribus*; vel : *vnum aptum prædicari de pluribus* : inqua definitione per ly *vnum* ſignificatur vnitas, per ly *aptum eſſe in pluribus* ſignificatur pluralitas, ſeu multiplicitas : vnde recte dicitur vniuerſale eſſe vnum & multiplex; ſeu naturam illam, quæ vniuerſalis eſt, eſſe ſimul vnã & ſimul multiplicem.

Preterea:quæ diximus hactenus circa gradus genericos, & differentiales eiuſdem indiuidui negaures omnem diſtinctionem intrinſecam; proportionaliter intelligenda sũt tùm de gradibus ſpecificis, & indiuiduantibus; tum de quibuſcunque rationibus inter ſe realiter identificatis. Dicitur gradus ſpecificus ratio illa, quæ ex genere & differentia conſtat: indiuidualis autem, qua ratio ſpecifica ad hoc numero indiuiduum contrahitur: puta in Petro ratio ſpecifica eſt ratio hominis; ratio indiuiduans, ſeu indiuidualis eſt ratio Petri, ſeu Petreitas : vnde rationes indiuiduales paſſim vocantur hæcceitates, quia per illas natura ſpecifica contrahitur ad hoc, & illud indiuiduum intra eandem ſpeciem : ſicut v. g. natura generica per rationem differentialem contrahitur ad hanc, & illam ſpeciem; puta ratio animalis per rationale ad hominem, per irrationale ad brutum.

Eſt autem quorundam Scotiſtarum ſententia naturam, quæ vniuerſalis eſt, ſeu quæ

eſt vna ſpecies: puta naturam humanam: multiplicari quidem numerice in Petro, Paulo, & alijs indiuiduis per ſuas hæcceitates in ſingulis; hoc eſt per rationes, per quas in ſingulis dicitur hæc, & non illa; at vero cum tota hac multiplicitate indiuiduorum habere vnitatem in ratione naturæ humanæ, perquam independenter ab omni actu intellectus ſit vna natura in infinitis indiuiduis. Hanc ſententiam tueri conantur beneficio diſtinctionis formalis ex natura rei, quam inter gradus metaphyſicos excogitarunt: putant enim non ſolum differentialem à generico; ſed indiuidualem à ſpecifico in vno eodemque indiuiduo diſtingui intrinſece modo ſuperius explicato; ita vt aliud ſit formaliter ex natura rei in Petro id, per quod Petrus eſt; aliud id, per quod homo eſt. In illa ratione per quam homo eſt habet, aiunt, vnitatem cum Paulo, cæteriſque indiuiduis: per illam rationem, qua Petrus eſt, diſtinguitur à Paulo, & alijs eiuſdem ſpeciei indiuiduis. Quod dicunt de vnitate ſpecifica indiuiduorum eiuſdem ſpeciei; dicunt de vnitate generica ſpecierum, quæ ſunt intra idem genus: puta ſicut Petrus, & Paulus, quamuis diuerſi numero, ſunt vnum ſpecie; ita homo & equus, quamuis diuerſi ſpecie, ſunt tamen vnum genere.

Impugnatur hæc ſententia primo ex dictis. Oſtenſum eſt enim diſtinctionem huiuſmodi non dari inter gradus metaphyſicos: ergo fundamentum prædictæ vnitatis eſt nullum. Quod autem ibi diximus de ratione generica comparatiue ad differentialem; dic pro portionaliter de ratione ſpeci-

fica comparatiue ad indiuidualem. Eamdem enim saltem identitatem habet Petreitas cū ratione hominis in Petro, quam habet rationale cum animali in homine.

Impugnatur secundò. Quia animal, quod est in homine, nequit habere vnitatem cum animali, quod est in bruto: etiamsi vtrunque accipias secundum quod distinguitur formaliter ex natura rei; hoc ab irrationali, illud à rationali: ergo vnitas illa generica non datur. Antecedens probatur, quia hoc, & illud animal secundum se sunt inter se dissimilia: animal enim, quod est in homine, est essentialiter inseparabile à rationali; & animal, quod est in bruto, est essentialiter separatum à rationali. Vnum essentialiter petit rationale, alterum essentialiter repugnat rationali, ex quibus habes, quod etiā data Scotistis sua distinctione formali ex natura rei; non illico dandum esset illis suum vniuersale. Hoc quod dicimus de ratione generica respectu differentialis, dic de ratione specifica respectu indiuidualis: quemadmodum enim animal, quod est in homine, secundum se consideratum petit essentialiter rationale, cum quo constituat hominem: ita homo, qui est in Petro, petit essentialiter Petreitatem, cum qua constituat Petrum.

Imo doctrina Scotistica, si bene inspiciatur, demit ab animali rationem generis: nam si homo & equus non conueniunt in animali, prout distincto formaliter ex natura rei à suis differentijs; videlicet à rationali, & irrationali; homo & equus non conueniunt in genere animalis: ideoq; animal non est genus respectu vtriusq; sed homo & equus non con-

sen-

sentiunt in animali provt distincto, &c. ergo animal respectu vtriusque non habet rationem generis. Minor probatur ex dictis, quia hoc & illud animal, provt distincta à differentijs contrahentibus sunt inter se dissimilia: cùm vnum essentialiter pugnet cum differentia, quæ ab altero essentialiter, & indispensabiliter exigitur. Hoc idem de ratione hominis, quæ est in Petro, & ratione hominis quæ est in Paulo portionaliter dices: hæc enim pugnat cum Petreitate, illa cum Pauleitate.

Impugnatur tertio: Quia natura humana non plurificatur præcise per hoc, quod identificetur realiter cum pluribus realiter inter se distinctis: sed ad hoc vt sit vniuersalis debet plurificari: ergo si sit intrinsece vna; per hoc præcise, quod identificetur cum pluribus realiter distinctis, non fit vniuersalis. Maior probatur, quia si ad plurificationem seu pluralitatem sufficeret identificari cum pluribus realiter distinctis inter se: natura diuina plurificaretur: identificatur enim cum tribus Personis, realiter inter se distinctis. Vbi obiter nota, quod aliud est naturam esse communem, aliud esse vniuersalem. Natura diuina est communis quia & Pater est Deus, & Filius est Deus, & Spiritus Sanctus est Deus: non est vniuersalis, quia Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus non sunt vnus, & alius, & alius Deus, sed vnus Deus. Natura humana est communis, & vniuersalis; quia: & Petrus est homo, & Paulus est homo: & sic de cæteris. & præterea Petrus, & Paulus non sunt vnus, sed alius, & alius homo. Recte dixeris: *Pater est ille idem Deus, qui est Filius*;

Filius; non recte: *Petrus est ille idem homo qui est Paulus*.

Iam vero minor primi syllogismi probatur ad hominem contra Scotistas: Nam ideo natura diuina non est vniuersalis, quamuis communis sit pluribus, quia in illis pluribus non plurificatur, sed hæc eadem ratio militat pro natura humana in sententia Scotistica: ergo neque natura humana erit vniuersalis. Minor probata est, quia identificari cum pluribus realiter distinctis non sufficit ad pluralitatem.

Denique impugnatur prædicta sententia, quia talis vnitas, siue generica, siue specifica, non datur ex parte obiecti, & independenter ab operatione intellectus. Nam Petrus & Paulus distinguuntur realiter, & sunt realiter duo: ergo natura humana, quæ est in Petro, & natura humana quæ est in Paulo, distinguuntur realiter & sunt realiter duæ: consequentia probatur, quia natura humana, quæ est in Petro, est realiter & omnimode intrinsece Petrus: & natura humana, quæ est in Paulo, est realiter & omnimode intrinsece Paulus: sed Petrus & Paulus distinguuntur realiter, & sunt realiter duo: ergo natura humana quæ est in Petro, & natura humana, quæ est in Paulo, distinguuntur realiter, & sunt realiter duæ. Minor probata est, vbi ostensum est inter gradus metaphysicos, genericum & differentialem, specificum & indiuidualem non dari vllam distinctionem intrinsecam.

ARTICVLVS II.

Proponitur sententia Fonsecæ & reijcitur.

Reiectum est superiori articulo vniuersale Scotisticum, non tamen vniuersaliter admissum à Scotistis: sunt enim non pauci Scotistæ in sententia, quam satis fuse, vtinam æque clare, exponit Fonseca 5. metaph. cap. 23. quæst. 3. Habet autem hoc ex suo modo dicendi Fonseca, vt non sit vna omnium circa ipsius sententiam sententia. Hanc sic intelligunt nonnulli; quasi ille naturis, quæ denominantur vniuersales, in statu possibilitatis veram vnitatem attribuerit, cum aptitudine essendi in pluribus; quam vnitatem cum multiplicitate coniunctam admittant in statu existentiæ. Iuxta hanc interpretationem natura humana in statu possibilitatis, hoc est priusquam existat in indiuiduis, est vniuersalis: quando autem existit, eo ipso singularizatur, amittitque prædictam aptitudinem; cum ille homo, qui per identitatem est in Petro, nequeat esse in Paulo, aut in quolibet alio indiuiduo.

Sicut autem natura humana, quæ est ratio specifica, apta est esse in pluribus solo numero differentibus, puta Socrate, Alexandro, Philippo, &c. ita etiam ratio generica, v.g. animal, priusquam existat, aptum est esse in pluribus specie differentibus; puta in homine, equo, leone, &c. quam aptitudinem amittit eo ipso quod à statu possibilitatis transeat ad statum existentiæ.

Hæc sententia sic proposita sic impugnatur.

tur. Vel illa natura est extra singularia, vel in singularibus: si extra singularia, coincidit magna ex parte cum ideis Platonicis, quas reiiciemus inferius: si in singularibus; iam est contracta per singularitates: ergo nullo modo sustineri potest talis natura vniuersalis.

Dices talem naturam vtpote pure possibilem, non esse neque in singularibus neque extra.

sed contra est, quia natura eo modo est possibilis, quo poni potest actu; sed nequit poni actu nisi in indiuiduis: ergo non est possibilis nisi in indiuiduis: sed in indiuiduis non habet prædictam vniuersalitatem: ergo nec possibilis. Maior videtur euidens, nam illud solum vocatur possibile, quod poni potest actu; & eo modo possibile est, quo poni potest actu. Minor autem probatur, quia impossibile est poni naturam humanam, quin ponatur aliquod indiuiduum; imo ponere naturam humanam est formaliter ponere à parte rei aliquod indiuiduum humanum.

Porro illa eadem dicebatur possibilis, quæ postea dicitur existens: si enim numquam fieri potuit vt existeret; numquam fuit possibilis; & si numquam fuit possibile vt hoc modo existeret, numquam fuit hoc modo possibilis. Breuiter: sicut natura existens contrahitur & multiplicatur per singularitates existentes; ita natura possibilis contrahitur, & multiplicatur per singularitates possibiles.

Dices: pro priori ad existentiam animal est indifferens, vt contrahatur ad hominem, vel ad brutum: ergo est aptum esse & in homine,

mine, & in bruto. Antecedens probatur, quia Deus creaturus animal est indifferens ad creandum illud vel rationale, vel irrationale: sicut & creaturus hominem est indifferens ad creandum vel Petrum, vel Paulum. Siue enim creet hominem, siue brutum; creat animal: siue Petrũ siue Paulũ creat hominem.

Antequam huic obiectioni satisfacias proponenda est Fonsecæ sententia vt ab alijs explicatur. Existimauit, aiunt, Fonseca naturam in statu præcisionis habere indifferentiã ad hoc, & ad illud extremum; indifferentiam vero non positiuam, quæ consistit in positiua expetentia huius, vel illius extremi; sed negatiuam, quæ consistit in negatione determinationis ad hoc, aut ad illud extremum.

Hæc sententia hoc modo explicata impugnatur: quia vel sermo est de natura præcisa à parte rei, hoc est existente à parte rei cũ negatione determinationis adhoc, vel ad illud extremum: & huiusmodi natura non datur: omnis enim natura existens est determinate hoc, vel illud. Omne animal realiter existens est determinate homo, vel determinate brutum. Vel sermo est de natura per intellectum præcisa; & huiusmodi præcisio mentalis seu rationis, hoc est talis cognitio obiecti, vt non sit adæquata repræsentatio ipsius, non est sufficiens ad hoc, vt talis natura dicatur secundum se, & intrinsece vniuersalis: cum talis cognitio sit forma pure extrinseca rei denominatæ. Hoc posito.

Resp. ad obiectionem: distinguo ant. Animal est indifferens indifferentia cadente supra idem realiter animal: nego ant. indifferentia

alterius rationis: omitto ant. & distinguo conf. aptum est esse in homine & in bruto; aptitudine cadente supra idem animal; nego; aptitudine alterius rationis: omitto consequentiam. Idem dic de homine, seu de ratione hominis comparatiue ad Petrum, & ad Paulum. Pro priori ad existentiam animal, quod est homo, non fuit aptum esse non homo: sed illud idem, quod in statu existentię est homo, & determinate homo existens; in statu possibilitatis fuit homo, & determinate homo possibilis. Ad reliqua patet ex dictis. Deus est indifferens contrahere animal ad hominem, vel ad brutum; non indifferentia cadente supra animal, quod idem sit æque contrahibile ad vnam rationem, ac ad aliam: sed indifferentia quadam Logica in animali ad hanc, vel ad illam speciem, quatenus ab hac, & illa specie abstrahitur ratio animalis: cum animal tam de hac, quã de illa specie sit prędicabile.

ARTICVLVS III.

Reiicitur sententia Nominalium.

NOminales, si nude intelligendi sunt vt sonant, aiunt naturas vniuersales non dari, reperiri autem vniuersale solum in vocibus, & conceptibus, quæ sunt vniuersalia quædam in significando, seu repræsentando. v. g. res significata per hanc vocem, & hunc conceptum: *homo*, non est vniuersalis; sed & hæc vox, & hic ipse conceptus vniuersalis est: nam & hæc vox significat, & hic conceptus repræsentat omnes omnino homines.

Hæc

Hæc ſententia facile reijcitur, non circa id, quod dicit aſſerens voces, & conceptus habere vniuerſatitatem in repręſentando, quod verum eſt, ſed circa id, quo negat præterea res ipſas denominari, & eſſe vniuerſales. Reijcitur autem ſic. Scientiæ verſantur circa vniuérſalia; non verſantur circa voces & cõceptus: ergo denominatio vniuerſalium cadit ſupra res, non verò ſupra voces, atque conceptus. Animaſtica vbi dicit: *Homo eſt animal rationale*, non definit hanc vocem: *Homo*, ſed rem ſignificatam per ipſam: non definit hunc conceptum: *Homo*; ſed rem repræſentatam per ipſum. Item cum demonſtrat à rationali neceſſario profluere, vt primam paſſionem *Riſibile*; non demonſtrat riſibile, aut hanc vocem: *Riſibile*; eſſe paſſionem neceſſariò neceſſitate metaphyſica profluentem ab hac voce: *Rationale*. Idem dic de conceptibus, quòd dicimus de vocibus. Eſt enim vanum dicere, quòd ſcientiæ conceptuum dumtaxàt paſſiones, & proprietates conſiderent, puta quod quando Animaſtica demonſtrat primam paſſionis rationalis eſſe riſibile, demonſtrare intendat hunc conceptum: *Riſibile*, eſſe primam paſſionem huius alterius, *Rationale*.

Dicendum eſt igitur præter vniuerſalitatem illam, quam in vocibus, & conceptibus reperimus, aliam inquirendam eſſe vniuerſalitatem, per quam res ipſæ vniuerſales dicantur. *Rerum enim* (ait Philoſophus 1: Periher. cap. 5. *aliæ ſunt vniuerſales, aliæ ſingulares*. Et 7. metaph. tex. 45. ſic habet: *Dico autem vniuerſale, quod*

plu-

pluribus natura aptum est inesse. Et eodem libro Periher. eodem cap. *Dico autem vniuersale, quod in pluribus prædicari natum est, singulare verò quod non: vt homo quidem vniuersalium est; Callias verò eorum, quæ sunt singularia.* Vbi Phylosophus non solùm definit, sed etiam exemplificat vniuersale per *ly homo.* Natura enim humana, quæ per *ly homo* significatur, apta est esse in multis, & prædicari de multis. Homo enim per identitatem prædicatur de Callia, de Socrate. & infinitis alijs.

Hoc vniuersale ante Aristotelem inquisiuit Plato: huius sententiam in alienum sensum detortam esse ab eodem Aristotele dicunt nonnulli, vt eam plausibilius impugnaret, appareretq; discipulus supra magistrum. Illam, vt à Philosopho refertur, hic etiam referimus, & impugnamus.

ARTICVLVS IV.

Sententia Platonis refertur, & refellitur.

DIuinus Plato circa vniuersale, si Aristoteli credimus, non rectè diuinauit. Nam vt Philosophus refert passim in metaphysicis, sed præcipuè libro primo cap. vltimo, & lib. 1. cap. 8. ponit formas quasdam, siue ideas separatas à singularibus, quas videmus, & tangimus; quibus ideis, seu formis tota speciei denominatio conueniat, v. g. præter Calliam, Socratem, Alexandrum, & alia naturæ humanæ indiuidua posuit ideam quandam; siue formam, cui ratio, & denominatio hominis conueniret, effet-

esletq; homo vt sic: non autem Callias, aut Socrates. Idem dic de leone, de equo, alijsq; quibuslibet huiusmodi. Formas, siue ideas huiusmodi putauit immobiles, & sempiternas.

Hanc opinionem fundauit Plato principio satis communi inter antiquos: dicebant enim: *Res eo modo sunt in cognoscente, quo sunt in seipsis.* Huic principio subnectebat Plato: sed in cognoscente sunt immobiliter, & concludebat: ergo in seipsis sunt immobiliter: Minorem probabat, quia scientiæ de rebus sunt certæ, & infallibiles; ideoq; quod per scientiam cognoscimus, immobiliter cognoscimus: rursus omne immobile est sempiternum, si enim aliquando non fuit, & nunc est; transiit à non esse ad esse, adeoq; motum est: quod autem motum est, mobile est.

At singularia hæc, quæ videmus, & tangimus, puta Callias, Socrates, Alexander, & alia naturę humanę indiuidua, sunt in seipsis mobilia, & aliquando sunt, aliquando non sunt: necesse est igitur vt non ipsa, sed aliqua alia obiecta à scientijs attingantur. Ea autem obiecta æterna, & immobilia sunt, ait Plato, eorum singularium, quæ videmus, quæque aliquando sunt, & aliquando non sunt, vniuersales ideæ, & formæ.

Prædictæ formæ vocantur ideæ, quia sunt exemplaria quædam, ad quæ hæc singularia conformantur. Quęadmodū enim Architectus ante quam palatium extruat, eiusdem palatij formam, siue ideam sibi proponit. Ita etiam in operibus Naturæ, debet ad generationem istorum singularium præsupponi

idea quædam, à qua hæc aliquo modo deriuentur. Puta Bucephalo, equus vt sic, qui sit forma omnium equorum. Alexandro homo vt sic, qui sit forma omnium hominum. Dari omnium creandorum ideam in mente diuina indubitatum est, & in hoc sensu posuisse ideas Platonem existimant, qui fauent Platoni. Si autem ideæ Platonicæ accipiantur, vt referuntur à Philosopho, totam Platonis machinam, quantum ad Logicos pertinet, vnico argumento diruit D. Thomas opusc. 55. de Vniuers. tract. 1. Vniuersale; quod intendimus, prædicatur de omnibus inferioribus, quorum vnumquodq; est ipsum: tale autem vniuersale, quod Plato ponebat separatum, non prædicatur de suis indiuiduis, nec aliquod istorum est ipsum, ergo, aut non est ponere vniuersale, aut non est sic ponere separatum, sicut Plato ponebat. Maior est certa, & continet ipsamnet definitionem vniuersalis. Minor autem probatur, quia vniuersale Platonicum prædicari nequit per identitatem de vllo ex his inferioribus: nullus enim ex his hominibus, quos videmus, est homo, quem dixit Plato esse ideam omnium hominum: imò cuilibet homini conuenit esse mortalem, corruptibilem, & temporalem; cum homini, quem pro idea ponit Plato, conueniat immortalitas, incorruptibilitas, æternitas. Hoc inquam D. Thomæ argumentum sufficeret. Quia tamen iuuat intelligere, an rectè vterentur tam Plato, quàm alij veteres principio suprà posito, ideò placet examinare hic fundamentum prædictarum idearum.

Scien-

Sciendum eſt igitur, quod illud idem principium, quod aſſumptum vidimus à Platone, ab alijs etiam ex antiquioribus aſſumebatur vt verum: *Res ſunt in cognoſcente, ſicut ſunt in ſeipſis*: ſubſumebant alij: res in ſeipſis ſunt mobiliter, & fluxè, ergo in cognoſcente ſunt mobiliter, & fluxè, Minorem probabant oſtendendo, quod ſingularia aliquando ſunt, aliquando non ſunt: Callias enim, & Socrates oriuntur, & occidunt, & ſic de alijs: cum igitur ad rationem ſcientiæ requiratur, quod ſit cognitio certa, infallibilis, immobilis, non potens aliter, & aliter ſe habere: aiebant de rebus non dari ſcientiam; ſed circa ipſas haberi cognitiones dumtaxat fluxas, & fallibiles.

Obſerua autem hic duo peccata tam Platonis, quàm veterum. Primum eſt hoc ipſum principium: *Res ſunt in cognoſcente ſicut ſunt in ſeipſis*: cum potius ea, quæ cognoſcuntur; in cognoſcente ſint per modum ipſius cognoſcentis: iuxta illud: *Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur.* Frigidum, & calidum, infirmum, & ſanum non ſunt ſimul in eadem re, ſunt tamen ſimul in eodem intellectu, cum nihil prohibeat te de calido ſimul, & frigido, de ſano, & infirmo cogitare.

Repræſentationem obiectorum eſſe non ſecundum naturam ipſorum, ſed ſecundum modum potentiæ, cui repræſentantur, manifeſtum eſt inductione per omnes potentias. Immaterialia, vt repreſentes materiali potentiæ neceſſe eſt, vt ea per ænigmata materializes. Puta vt potentiæ viſiuæ repreſentes

tes Angelum, debes vti ænigmate pueri alati, nec aliam speciem Angeli potest habere oculus, quam per ænigmata huiusmodi corporum coloratorum: si ab oculo transeas ad imaginationem, ipsa etiam imaginatio alatum puerum sibi finget; alis, & tota corporea mole cariturum, statim, ac ab imaginatione transitum fecerit ad potentiam intellectiuam: quæ cum spiritualis sit, non indiget huiusmodi coloribus, vt sibi Angelum repræsentet: imò corporea ipsa, dum intelligit, immaterializat, non negando in ipsis materiam, quod esset errare, sed abstrahendo à circumstantijs materializātibus, in quo non est vllus error: iuxtà illud: *Abstrahentium non est mendacium.*

Secundum peccatum Platonis, & veterum est. quòd respicientes ad mobilitatem, qua hæc singularia aliquando sunt, aliquando non sunt; non respexerunt ad immobilitatem, qua hæc etiam singularia semper, & immobiliter sunt id, quod sunt. Quamuis enim Socrates aliquando sit, & aliquando non sit; non tamen Socrates aliquando est homo, & aliquando non homo: sicut v. g. aliquando sanus, & aliquando non sanus, sed semper, & immobiliter Socrates est homo.

ARTICVLVS V.

Impugnatur Plato.

IDeas suas (ait Plato) esse principia essendi illorum sensibilium. Hoc ità intelligi potest, vt verum sit: certum est enim om-

omnium non ſolùm ſenſibilium, ſed etiam inſenſibilium, quæ fiunt, præexiſtere ideam in mente diuina: iuxtà illud: *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*: nihil enim fit, niſi mente diuina, à qua omnia fiunt, præconceptum. In hoc igitur ſenſu non impugnamus Platonem, ſed in eo, in quo accipi ſolet. Impugnamus autem ſic. Ignis vt ſic non eſt, neque principium formale, neque cauſa efficiens, neque exemplaris ignium, qui fiunt, & accenduntur apud nos, ergo prędictæ ideę non ſunt principia eſſendi iſtorum ſenſibilium. Quod enim dico de igne, vt ſic, reſpectu ignis *A*, ignis *B*, & aliorum; hoc idem dicendum de quolibet vniuerſali Platonico reſpectu aliorum ſenſibilium, ſeu ſingularium. Antec. probatur per partes.

Et primo, quod idea illa, quam vocat ignem vt.ſic, non ſit principium formale ignis noſtratis probatur, quia illa idea eſt quid ſeparitam ab igne noſtrate, ſed implicat principium formale eſſe quid ſeparatum à re, cuius eſt principium formale; ergo implicat ignem illum idealem eſſe principium formale ignis noſtratis. Maior eſt Platonica: minor probatur, quia iuxtà eundem Platonem principium formale ignis noſtratis, eſt quidditas ignis noſtratis: implicat autem quidditatem ſeparari à re, cuius eſt quidditas.

Dices eſſe principium formale, non intrinſecum, ſed extrinſecum: hoc autem eſſe ſeparabile à re, cuius eſt principium.

Reſp. formam extrinſecam, ſeu exemplarem rei, quæ fit, eſſe extrinſecam rei, quæ fit: ideam autem Platonis non eſſe cau

sam exemplarem istorum sensibilium probabitur inferiùs: vbi insuper ostendetur, quod etiam si admittatur huiusmodi causa exemplaris, non facit ad rem; cæterum non esse quidditatem rei, quæ sit satis probatum est.

Probatur iam, quod neque sit causa efficiens, quia lucerna Platonis non accenditur, nisi admoto aliquo igne singulari, qui alium singularem ignem producat: & per totam æternitatem versaretur Plato in obscuro, si nullo alio igne, quam illo ideali lucernam accenderet: ergo absurdum est recurrere ad ignem vt sic, vt ad causam efficientem ignis, qui apud nos accenditur: quis enim non videt in igne *A*, virtutem producendi ignem *B*; & quis vnquam vidit candelam nullo admoto singulari igne accendi? Verum quidem est, quod etiam præter causas, quas hic videmus, alia altior causa concurrit ad effectus, qui fiunt: concursus enim causæ primæ, & vniuersalis, requiritur ad productioné cuiuscumq; effectus: sed huiusmodi causa non conuenit cum ideis Platonicis, vt intelliguntur hic à nobis.

Denique probatur, quod prædicta idea neque sit causa exemplaris: quia, etiam ex confessione Platonis, multa fiunt sine præcedenti idea, ad cuius imitationem fiant, putà domus, & angulus ab artifice fiunt, absq; eo quod prius ideam domus, vel anguli ipse contruxerit: ergo ad hoc, vt fiant hæc sensibilia, non prærequiruntur tales ideæ: ergo falsum est, quod asserit Plato, dari necessitatem metaphysicam prædictarum idearum, vt hæc sensibilia fiant. Probatur prima

mà conſeq. quia Natura non ſe habet imperfectius ad opera Naturæ, quam artifex ad opera artis: ſed artifex facit opera artis ſine præexiſtente idea, ergo Natura faciet opera Naturæ ſine præexiſtente idea. Antecedens primi entimematis, & minor vltimi ſyllogiſmi ſimul explicantur, & ſui explicatione probantur. Quamuis Artifex domum facturus, vel angulum, aliquando ideam domus; vel anguli faciendi ſibi conſtruat ex creta, vel carta; tamen aliquando etiam ſine tali idea domum ipſam ædificat, & angulum facit, & conſequenter artefacta non prærequirunt neceſſario ideam ſui, diſtinctam ab ea, quæ eſt in mente Artificis.

Confirmatur hoc, quia illa ipſa idea cretacea, vel cartacea eſt aliquod artefactum; hæc autem non prærequirit ante ſe aliam ideam extra Artificem: ergo artefacta non neceſſariò præhabent ideam ſui extra Artificem. Dixi: *Extra Artificem*, quia certum eſt Artificem præconcipere mente, adeoq; ideare in ſeipſo rem, quam eſt facturus. Ex hoc autem quod Artifex ſine præexiſtente idea extrà ſe facere poſſit hoc, & illud opus, legitimè inferes Authorem Naturæ, ex quo omnia, & per quem omnia, nulla præexiſtente extrà ſe, idea, poſſe quodlibet operari.

Imò etiam ſi dares Artificem creatum nullum opus edere poſſe, niſi præexiſtente aliqua idea extra ſe; non propterea idem de opifice increato dicendum foret: nam in opifice creato per ideam extrinſecam ſubuenitur infirmitati opificis, vt experientia

constat; cum implicet subueniri infirmitati omnipotentis opificis, qualis est opifex increatus.

Iam verò, quod nec agentia naturalia respiciant ad ideam, vt producant hæc singularia, manifestum est. Quis enim dixerit ignem *B*, vt producat ignem *B*, respicere ad ideam omnium ignium, & ad imitationem talis ideæ producere ignem *A*? cum certum sit, quod respicere ad ideam est proprium eorum agentium, qui secundùm intellectum agunt: vnde (vt ait Philos.) agentia naturalia secundum formam naturalem agunt, hoc est imitantur se ipsa in effectu: agentia autem intellectualia secundum formam intelligibilem, imitanturq; non se ipsa, sed formam, quam animo præconceperunt. Architectus domum ædificans non facit in opere quid simile sibi, putà alium Architectum: ignis ignem producens facit quid simile sibi, alium ignem.

Dicit præterea Plato prædictas ideas esse principia cognoscendi; quod intelligi multipliciter potest: primò, itaut terminentur ad ipsas cognitiones nostræ: secundò, vt sint motiua cognitionum nostrarum; tertiò, vt por impressionem talium idearum fiat intellectus noster rerum omnium intelligens. In nullo ex istis sensibus admittendæ sunt ideæ Platonicæ; ergo falsum est ideas Platonicas esse principia cognoscendi. Minor probatur per partes, incipiendo ab vltima. Si scientia nobis inest per impressionem idearum, vt indicat Plato, sicut v. g. per impressionem huius, vel illius sigilli inest ceræ repræsentatio huius, vel illius figuræ,

seque-

ſequeretur, quod etiam qui carent aliquo ſenſu poſſent habere ſcientiam circa obiectum talis ſenſus: puta, qui cæcus eſt à natiuitate, & ſi vis, etiam ſurdus, poſſet habere ſcientiam tum de coloribus, tum de ſono, hoc autem eſſe falſum experientia conſtat; igitur & falſum eſt id, vnde hoc ſequitur. Quod ſi reſpondeat Plato de coloribus alijſue ſenſuum obiectis non poſſe dari ſcientiam, quia de huiuſmodi rebus non dantur ideę, contra eſt, quia ſtultum eſt negare nos habere ſcientiam de ijs rebus, circa quas experimur nos habere cognitiones verè, & propriè demonſtratiuas: experimur autem nos habere cognitiones huiuſmodi circa colores, ſonos, aliaq; obiecta ſenſuum; ergo ſtultum eſt negare, nos habere ſcientiam circa obiecta huiuſmodi. Ex alio capite fatetur Plato circa obiecta huiuſmodi non dari ideas; ergo ſcientiæ dantur independenter ab ideis.

Iam verò quod non ſint obiecta motiua in cognitione iſtorum ſenſibilium, manifeſtum eſt; nam potius inuiſibilia per viſibilia cognoſcimus, quam viſibilia per inuiſibilia. Vnde dicit Apoſtolus, quòd *Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*: abſurdum eſt igitur dicere, quod per conſpectionē idearum, quas non conſpicimus, deueniamus in cognitionem ſingularium, quæ conſpicimus.

Probatur denique, quod neque ſint obiectum terminatiuum, quia cognitio terminata ad prædictas ideas repræſentat aliquid diſtinctum, & ſeparatum realiter ab iſtis ſingularibus: implicat autem cognitionem,

quæ terminatur ad aliquid, separatum à singularibus, esse per hoc formaliter repræsentationem istorum singularium: ergo non sunt principia cognoscendi istorum singularium per hoc, quod cognitiones terminentur ad ipsas.

Replicabit Plato, suas ideas esse principia cognoscendi hæc sensibilia per hoc, quod sint substantia horum sensibilium, sed contra est: nam hæc sensibilia sunt, etiam iuxta Platonem, mobilia, caduca, & fluxa; igitur substantia istorum sensibilium est aliquid mobile, caducum, & fluxum: hæc enim sensibilia nihil aliud sunt, quam sua substantia, repugnat igitur prædictas ideas, quæ sunt quid immobile, æternum, & fixum, esse substantiam istorum sensibilium.

Hinc etiam aliud argumentum duces contra Platonem, quia de ijs obiectis, quæ Deus tradidit disputationi nostræ, vt occuparemur in eis, demonstramus, quod quamuis sint secundum connexionem prædicatorum immobilia, & æterna, sunt tamen secundum existentiam contingentia, hoc est indifferentia ad esse, & non esse: sed hoc demonstrari nequit de ideis Platonicis; ergo scientiæ non versantur circa ideas huiusmodi. Essent alia quæ contra Platonem congeri possent: sed quis tamdiu contra mortuum pugnet?

ARTICVLVS VI.

Satisfit obiectionibus.

OBbijcies primò. Quilibet homo singularis, puta Socrates, aut Alexander

der, eſt homo per participationem, ergo debet dari homo, qui non ſit hic, vel ille homo, ſed ſimpliciter, & ſine addito *Homo*, cuius participatione hic, & ille homo ſit homo. Conſeq. probatur ex doctrina Auguſtini. Nam quia quodlibet bonum creatum, & temporale eſt hoc, & illud bonum, dari debet aliquod bonum, quod non ſit hoc, neque illud, ſed ſimpliciter, & ſummè bonum, per cuius participationem hoc, & illud bonum ſit bonum, ergo debet dari aliquid, quod ſit ſimpliciter, & ſmmè homo, per cuius participationem hic, & ille homo ſit homo. Quemadmodum autem bonum ſimpliciter, & ſummè eſt idea omnis boni; ità homo ſimpliciter, & ſummè eſt idea omnis hominis participati.

Reſp. primò, quod hic, & ille homo eſt homo ſimpliciter, & ſine addito: & vera eſt hæc propoſitio: *Plato eſt homo*, nec illam negabit, niſi qui non ſit homo. Reſp. ſecundò neg. antec. Quælibet creatura eſt id, quod eſt per participationem, ſed non per participationem cuiuslibet, ſuſtinentis eandem denominationem, ac ipſa. Et homo eſt id quod eſt, & equus eſt id quod eſt, & Angelus eſt id buod eſt per participationem illius entis, quod eminenter eſt, & homo, & equus, & Angelus, hoc eſt quod tantæ perfectionis eſt, vt in ſua creatrice rerum omnium omnipotentia, & hominis, & equi, & Angeli, & cuiuſcumq; alterius rei creabilis perfectionem contineat.

Igitur ex doctrina Auguſtini rectè inferes, nullum hominem ſingularem eſſe participationem hominis vt ſic: quandoquidem

illud summè, & simpliciter bonum, per cuius participationem quidlibet, est id quod est, est sufficientissima causa rerum omnium, de cuius plenitudine sumus, quod sumus. Imò ille ipse Homo Platonicus, si quid esset, esset ab illo summo bono, ex quo omnia, & per quod omnia. Aduerte autem ineptam comparationem inter hoc, & illud bonum, respectiue ad summum bonum; & hunc, & illum hominem, respectiuè ad summum hominem: quasi verò ratio hominis susciperet magis, & minus, sicut ratio boni: & sicut argue contra Platonicos, Hoc & illud bonum sunt maius, vel minus bonum, prout magis, vel minus participant de bono, quod est summe bonum; ergo hic, & ille homo erit magis. vel minus homo, prout magis, vel minus participat de eo homine, qui est summè homo. Hoc autem ex terminis est ridiculum, vt patet.

Obijc. secundò. Si non dantur vniuersalia Platonica, sequitur scientias esse de singularibus, consequens est contra Philosoph. ergo & antecedens. Probatur sequela maioris, quia si scientiæ non terminantur ad ideas Platonicas, terminantur ad hæc sensibilia: sed hæc sensibilia sunt singularia, ergo terminantur ad singularia, ergo scientiæ sunt de singularibus.

Resp. neg. sequelam mai. & dico scientias terminari onn ad vniuersale Platonicum, sed ad vniuersale Aristotelicum, quod quale sit explicabitur infrà. Ad probationem dic terminari ad singularia, sed non singulariter, cum ipsæ scientiæ vniuersalizent: dicuntur autem vniuersalizare, quia de-
mon-

monstrant non passiones vnius, aut alterius ex singularibus, sed omnium contentorum sub ratione communi, vt alibi indicatum est.

Obijc. tertiò. Potentia materialis nequit percipere immaterialia, ergo nec immaterialis materialia. Anteced. est certum: nec enim vel manu Angelum tanges, vel oculo aspicies. Conseq. probatur, quia sicut se habet potentia materialis ad immaterialia, ità immaterialis ad materialia, ergo, &c.

Resp. conc. antec. neg. conseq. ad probationem, vel neg. ant. quoad punctũ præsens, vel distingue: sicut se habet potentia materialis ad immaterialia, ità &c. proportione entitatiua omitto; proportione potentiæ ad obiectum nego antec. & conseq. Sicut potentia materialis, & obiectum immateriale sunt duæ entitates, quarum altera est materialis, & altera immaterialis; ità potentia immaterialis, & obiectum materiale sunt duæ entitates, altera immaterialis, & altera materialis: non tamen ex eo, quod mtterialis non se extendit ad immaterialia, legitimè Inferes, quod nec immaterialis ad máterialia; ex eo enim, quod potentia infimi ordinis non attingat obiectum ordinis supremi, malè inferes, quod neque potentia supremi ordinis attingat obiectum infimi. Nam summum in sua perfectione continet eminenter perfectionem infimi, secus infimum summi.

ARTICVLVS VII.

Reijcitur uniuersale Thomisticum.

VNitatem intrinsecam naturis, quę vniuersales dicuntur, non inuenientes Thomistæ, aliam quandam excogitauerunt, per quam suum vniuersale constituerent. Aiunt autem intellectum humanum facere vniuersale formaliter per hoc, quod in naturis realiter multis fingat vnitatem, puta intellectus fingendo, quod omnia animalia sint vnum animal, facit animal vniuersale, & genus respectu hominis, & bruti: fingendo omnes homines esse vnum hominem facit hominem vniuersalem, & speciem respectu Petri, Pauli, Francisci, aliorumq; indiuiduorum.

Fundatur hæc sententia in hoc, quod reipsa non datur à parte rei aliquid, præter singularia, & tamen præter singularia requiritur aliquid aliud ad vniuersale: singularia enim sunt ipsamet multiplicitas: præter quam requiritur vnitas; hæc autem nequit esse intrinseca, quia per intrinsecam multiplicitatem excluditur: ergo necesse est, vt vnitas multiplicitati superueniat ab intellectu. Præterea vnitas cognitionis est insufficiens ad hoc, vt dicatur vnum obiectum reipsa multiplex: nam vna, & indiuisibilis cognitio multa, quandoq; vt multa repræsentat; huiusmodi est ista: *Mille homines*, per quam non est dubium plures homines, formaliter vt plures attingi. Hinc inferunt vnitatem illam, per quam obiectum

in

in se multiplex euadit formaliter vnum, fingi ab intellectu sibi illam, repræsentante in rebus, quæ quamuis plures, sunt tamen adeò similes, vt præbeant intellectui fundamentum fingendi vnitatem.

Hæc sententia in quantum à rebus inter se similibus reijcit vnitatem intrinsecam, vera est; in quantum appingit vnitatem fictam rebus inter se similibus, recedit à vero. Prima pars huius nostræ decisionis prob. ex dictis, tum superiroi art. tum alibi, ex quibus apparet ea, quæ sunt realiter inter se distincta, non habere vllam intrinsecam identitatem; sicut ea, quæ sunt realiter idem nō habent vllam intrinsecam distinctionem.

Probatur autem secunda pars, quia intellectum nostrum fingere vnitatem prædictam, est intellectum repræsentare sibi plura illa obiecta, vt affecta vnitate, quam reipsa non habent: sed ad habendum vniuersale intellectus non debet hoc facere, ergo ad habendum vniuersale absurde recurritur ad huiusmodi fictiones. Maior est certa, nam fingere aliquid in obiecto, est aliquid sibi repræsentare in illo, quod in illo non est. Minor autem probatur, quia vniuersale est obiectum scientiarum, vt aiunt etiam Thomistæ; scientiæ autem non habent pro obiecto ens fictum, quale esset vniuersale Thomisticum, continens veram multiplicitatem, cum vnitate impossibili, per intellectum coniunctam; quod est formalissimè esse chimericum. Scientiæ sine vllo figmento, seu fictione proprietates, & passiones sui obiecti considerant, nec ad eiusdem contemplationem fingunt in ipso aliquid ipsi repugnans.

ARTICVLVS VIII.

Vniuersale sit per intellectum.

REiectis aliorum sententijs, statuendum est, quid ipsi circa vniuersale sentiamus. Sentimus autem naturam realiter multiplicabilem constitui formaliter vnam per conceptum præcisiuum, abstractum à pluribus, apparentibus per modum vnius exercitè, v. g. natura humana, quæ realiter est multiplex pro multiplitate indiuiduorum, constituitur formaliter vna per hunc conceptum: *Homo.* Hic conceptus dicitur præcisiuus respectu singularium, quia non repræsentat obiectum per ordinem ad rationes indiuiduantes; seu quia ipse non indiuidualiter, distinguendo vnum ab altero, attingit obiectum: dicitur abstractus à pluribus, quia hic conceptus est applicabilis, & conueniens innumeris singularibus: Scipioni, Alexandro, Tullio, &c. dicuntur illa plura apparere, vt vnum exercitè, quia ex vi talis conceptus nec Alexandrum discernis à Tullio, nec hoc ipsum scis, an obiectum repræsentatum sit multiplex. Vides hanc vnitatem eo modo esse extrinsecam naturæ multiplici, sicut pluralitas, seu distinctio ostensa est à nobis esse extrinseca ijs extremis, quæ sunt realiter idem.

Vt autem naturam predictæ cognitionis intelligas: da duos homines puta Scipionem & Alexandrum inter se perfecte similes: in tali casû pictura similis Scipioni erit indiuisibiliter similis Alexandro; tamque represen-

tabi-

tabitur per ipſam Alexander, quam Scipio. Præterea ita repræſentantur per ipſam & Alexander, & Scipio, vt ex vi talis picturæ non appareat, an res repræſentata ſit vna, an duplex. Habes igitur in prædicta pictura hæc duo; quod in ipſa tam Alexandrum videas, quam Scipionē; ſed nec Alexandrum diſcernas aut diſcernere poſſis à Scipione; nec hoc ipſum cognæſcere quod Scipio, & Alexander ſint duo.

Ab hac materiali picturà transfer animū ad picturā intentionalem, ſiue ad conceptum quo intellectus dicit: *Homo*. Per hunc conceptum ita repræſentantur omnia humanæ naturæ indiuidua, vt ex vi illius nequeas determinari neque ad affirmandum, neque ad negandum, quod plura ſint, quæ repræſentantur: multominus ad diſcernendum vnum ab alio, ex ijs, quæ reipſa repræſentantur. Atque hæc eſt illa vnitas cognitionis præciſiuæ, perquam dicimus conſtitui formaliter vniuerſale.

Habes ex dictis cognitionem, perquam fit vniuerſale, ſupponere in obiecto, quod vniuerſalizatur pluralitatem vel potentia, vel actu: non enim requiritur actualis pluralitas ad hoc, vt hic cōceptus: *Homo* dicatur eſſe imago plurium, cum æque repræſentet omnes homines poſſibiles, ac homines exiſtentes. Vnde hæc cognitio: *Homo*, tam abſtrahitur ab Antichriſto, qui non eſt, quam à Paulo exiſtente. Habes præterea, quod, quamuis talis cognitio ſit plurium, non eſt tamen plurium vt plurium, quia ex ui illius non apparet obiectum repræſentatum eſſe multiplex: propterea dicitur eſſe vnitas plurium,

rium, & plura realiter dicuntur per ipsam habere vnum esse extrinsecum, & intentionale. Cognitio enim est quoddam esse intentionale rei repræsentatæ, & rei repræsentatæ forma extrinseca, vt dictum est alibi.

Dices: pro priori ad talem cognitionem datur iam vniuersale; ergo per talem cognitionem non constituitur vniuersale. Probatur ant. quia pro priori ad vnitatem cognitionis præcisiuæ, siue ad vnitatem præcisiuam cognitionis, datur vnitas cognoscibilitatis: hæc sufficit ad vniuersale; ergo pro priori ad cognitioné datur vniuersale. Explicatur hoc argumentum. Omnia indiuidua naturæ humanæ habent inter se perfectam conuenientiam, & similitudinem; ratione huius perfectæ similitudinis habent capacitatem, vt attingantur cognitione illa præcisiua, per quam formaliter dicimus constitui vnum quid illa plura: hæc capacitas recte dicitur vnitas cognoscibilitatis, quæ vnitas cognoscibilitatis videtur sufficiens ad hoc, vt cum pluralitate constituat formaliter vniuersale.

Resp. neg. ant. ad cuius probationem nego min. quod videlicet vnitas cognoscibilitatis, seu cognoscibilitas per modum vnius possit esse formaliter vnitas constitutiua ipsius vniuersalis. Dico autem cognoscibilitatem prædictam esse vnitatem pure fundamentalem, cognitionem autem præcisiuam esse vnitatem formalem, per quam vniuersale in esse vniuersalis constituatur. Ratio cur sufficiat vnitas cognitionis præcisiuæ, non autem vnitas cognoscibilitatis, est, quia perfecta similitudo, & conuenientia, in qua

for-

formaliter conſtitit cognoſcibilitas per modum vnius, eſt formaliſſima pluralitas in ea ratione, quæ debet apparere per modum vnius: vnitas autem cognitionis præciſiuæ non eſt huiuſmodi.

Explicatur hoc. In hoc conceptu: *Homo* non apparet quod obiectum repræſentatum ſit multiplex, adeoque ex vi talis conceptus non intelligis te plura concipere, ſed neque intelligis te concipere vnum: ſiue enim plura ſint, quibus conueniat ratio hominis, ſiue vnum; habes hunc conceptum: *Homo*, applicabilem vni, ſi vnus dumtaxat homo eſt poſſibilis, applicabilem infinitis, ſi infiniti ſint poſſibiles: ſicut v. g. homo pictus aptus eſt repræſentare vel vnicum, ſi vnicus naſcatur ipſi ſimilis, vel Sexcentos, ſi ſexcenti homines ipſi ſimiles oriantur. At vero ſimilitudo, & conuenientia eſt formaliſſime pluralitas; ita vt implicet intelligere cõuenientiam, & ſimilitudinem in ratione hominis, quin eo ipſo intelligatur pluralitas in ratione hominis: nequit autem id, quod eſt formaliſſima pluralitas in ratione *A*, eſſe ſimul vnitas in eadem ratione *A*. Potius igitur dicendum eſt prædictam conuenientiam, & ſimilitudinem eſſe ipſammet multiplicitatem, quam vnitatem. Cætera, quæ ad probationem noſtræ concluſionis pertinent, in reſponſione ad obiectiones inſinuabuntur.

ARTI-

ARTICVLVS IX.

Respondetur nonnullis obiectionibus.

OBijcies primò. Si non datur vniuersale à parte rei, sequitur naturam humanam non esse vnam in omnibus hominibus, consequens est falsum, ergo & antecedens. Minor probatur, quia si natura humana non est vna in nmnibus, dici nequit verbum diuinũ assumpsisse nostrã naturã. Prob. autem sequela, quia natura humana, quam assumpsit Verbum diuinum, non est eadem ac natura Petri, natura Pauli &c. Ergo dici nequit quod verbum diuinum assumpserit nostram naturam.

Resp. distinguendo maiorem: sequitur naturam humanam non esse vnam realiter concedo, non esse vnam fundamentaliter nego: & eodem modo distincta minori nego cons. Natura humana Petri, Pauli, & aliorum non est vna formaliter à parte rei, quia à parte rei est formaliter multiplex: est à parte rei vna fundamentaliter, quia summa similitudo inrer indiuidua fundat conceptum præcisiuum, quem diximus abstrahi ab omnibus, & per quem coustituitur formaliter vniuersale. Ad probationem minoris nega sequelam ad cuius probationem dic naturam assumptam à Verbo esse eandem cum natura Petri, Pauli, & aliorum; non idẽtitate, quæ detur formaliter à parte rei, sed quæ detur solum fundamentaliter & hoc modo, & non alio, dicitur esse vna natura, siue essentia omnium hominum: neque enim putan-

putandum eſt naturam humanam Chriſti Domini, & naturam Petri eſſe vnam, ſicut eſt vna natura diuina Patris & Filij. Hæc eſt vna numerice, & huiuſmodi vnitas eſt à parte rei; illa eſt vna ſpecifice, & huiuſmodi vnitas eſt per intellectum.

Obijcies ſecundo ſi non eſt vna eademque realiler natura, ſiue eſſentia Petri, & Pauli, ſequitur Petrum & Paulum realiter differre naturâ, ſiue eſſentia: conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Sequela maioris probatur, quia quæcunque in aliqua ratione non identificantur realiter, in ea ratione realiter differunt: ergo ſi Petrus, & Paulus non idĕtificantur realiter in natura, ſiue eſſentia; Petrus, & Paulus realiter differunt in natura, ſiue eſſentia. Minor autem probatur, quod ſcilicet & Petrus, & Paulus non differant realiter in natura quia differre natura eſt differre ſpecie: Petrus, & Paulus non differunt ſpecie, ergo non differunt natura.

Reſp. Negando ſequelam maioris, quia Petrum, & Paulum differre natura non eſt Petrum, & Paulum præciſe non habere vnã, eandemque realiter naturam, ſed habere naturas inter ſe diſſimiles, & non confundibiles vna, eademque definitione. Hoc modo differunt Homo, & equus: Petrus autem, & Paulus non differunt; ſed diſtinguuntur. Ad probationem maioris, nego antecedens. Quęcunque non identificantur realiter, realiter diſtinguntur; non tamen eo ipſo realiter differunt. Nam cum diſtinctione ſtat perfecta conuenientia: cum perfecta autem conuenientia non ſtat differentia. Diſtinctio opponitur identitati differentia ſimilitudini.

Ad

Ad hoc idem argumentum alij aliter. Concedunt enim plures naturas intra eandē speciem differre aliqua differentia, quam numericam vocant. Hi etiam sufficienter soluūt obiectionem, propositam. Ad probationem minoris distingunt: differre natura pure numericè est differre specie: negāt, differre plusquam numerice, est differre specie: concedunt maiorem, & concessa minori distingunt consequens; non differunt plusquam numerice: concedunt, non differunt pure numerice: negant consequentiam. Hanc etiam solutionē liceat adhibere, donec nostram de differentia numerica mentem aperiamus.

Dices: Petrus & Paulus non sunt duo specie realiter: ergo Petrus, & Paulus sunt vnum specie realiter.

Resp. primò posse concedi totum: non propterea concedis dari speciem, quæ est vnū ex vniuersalibus, à parte rei; sed solum das Petro, & Paulo illam conuenientiam, per quam realiter fundant illum conceptum per quem natura vtriusque, & omnium aliorum hominum constituitur in ratione speciei.

Resp. secundò hoc argumentum æque cōcludere ac istud: Ego & tu non sumus realiter duo Florentini: ergo sumus realiter vnus Florentinus. Petrus, & Paulus non sunt duo neque vnum in specie, quæ detur realiter, hoc est independenter ab intellectu: quia non datur species, nec vllum aliud vniuersale, nisi per intellectum.

Instabis: homo minus distinguitur realiter à bruto, quam à Planta: minus distinguitur realiter Petrus à Paulo, quam à Bucepha-

cephalo: ergo homo habet aliquam identitatem cum bruto, Petrus aliquam identitatem realem cum Paulo. Identitas ſiue vnitas hominis cum bruto, eſt vnitas generica: identitas ſiue vnitas Petri cum Paulo eſt vnitas ſpecifica. Prima conſ. probatur, quia omnis negatio diſtinctionis eſt aliqua identitas: ſed hominem minus diſtingui a bruto, quam à planta, eſt hominem habere cum bruto negationem illius diſtinctionis, quam habet cum planta: ergo eſt habere illam identitatem cum bruto, quam non habet cum planta.

Reſp. negando antecedens: quia diſtingui duo extrema interſe, eſt vnum non eſſe alterum, vt vidimus ſuo loco: tam autem Petrus non eſt Paulus, quam non eſt Bucephalus; tam homo non eſt brutum, quam non eſt planta. Quod ſi ſermo ſit non de identitate reali, ſed intentionali: maiorem identitatem habet homo cum bruto, quam cum planta. Petrus, cum Paulo, quam cum Bucephalo: homo enim eſt ſimilior bruto quā plantæ Petrus Paulo quam Bucephalo; adeoque facilius eſt confundi in vnitatem imaginis Petrum cum Paulo, quam cum Bucephalo: hominem cum bruto, quam cum plāta. Siue facilius diſcernes hominem à planta quam à bruto. Petrum à Bucephalo quam à Paulo.

Aduerte autem quod quamuis homo non magis diſtinguatur realiter à planta quam à bruto, nec Petrus à Bucephalo, magis quam à Paulo; tamen homo magis differt à planta quam à bruto, Petrus magis à Buphalo quā à Paulo. Quia, vt dictum eſt, differre duo eſt

esse dissimilia: certum est autem Petrum esse magis dissimilem Bucephalo quam Paulo: & hominem ege magis dissimilem Pimpinellæ, quam Vrso.

Obijcies tertiò. Vniuersale est obiectum scientiarum: sed obiectum scientiarum datur à parte rei, ergo vniuersale datur à parte rei, Maior est certa. Minor probatur, quia demonstrationes, quæ fiunt à scientijs, conueniunt rebus prout sunt à parte rei; non autẽ prout sunt per intellectum puta demonstratio, qua ostenditur rationale esse admirationum cadit supra ipsum rationale vt est in se, non autem vt se habet per actum intellectus.

Resp. dist. mai. vniuersale fundamentaliter acceptum est obiectum scientiarum: cõcedo maiorem, formaliter acceptum: nego maiorem, & conc. min. distin. conf. vniuersale formaliter datur à parte rei: nega conf. vniuersale fundamentaliter; concedo, &c. Obiectum scientiæ de homine, est homo vt homo est, non autem vt Petrus aut Paulus est: quia quidquid per talem scientiam demonstratur de homine, tibi conuenit, eo ipso quod homo sis, etiamsi neque Petrus sis neque Paulus: & quia conuenit omni homini certo, & infallibiliter, non autem huic & illi, quia hic & ille est; propterea dicitur talis scientia esse de homine vniuersaliter acceptò, hoc est considerato tali genere considerationis, quæ confundat ea omnia per modum vnius, quæ sunt interse similia in ratione, quæ attenditur à tali scientia.

Dices sequitur cognitionem, per quam fit vniuersale, esse cognitionem fingentem, conf.

est

eſt falſum, ergo & ant. Sequela maioris probatur, quia cognitio repræſentans vt vnũ id, quod impoſſibile eſt eſſe vnum, eſt cognitio fingens: ſed cognitio vniuerſalizans naturam humanam repræſentat vt vnum id, quod impoſſibile eſt eſſe vnum; ergo talis cognitio fingit. Minor probatur, quia per cognitionem, qua fit vniuerſalis natura humana, eſt cognitio repręſentans vnitatem Petri Pauli & aliorum indiuiduorum, quam impoſſibile eſt dari; ergo eſt cognitio fingens.

Reſp. Neg. ſequelam mai. ad probat. dic cognitionẽ vniuerſalizantẽ repræſentare vt vnũ non ſignate, ſed exercite obiectum illud, quod eſt realiter multiplex. In hoc differt noſtra ſententia à Thomiſtica, quod hęc appingat vnitatem quandam rebus, quas impoſſibile eſt eſſe vnum, noſtra autem res quæ ſunt realiter multæ, ita conſideret, vt ab ab hoc ipſo præſcindat an ſit multa, an vnũ: puta conſiderat indiuidua naturæ humanæ ſub ratione hominis, præſcindendo ab hoc an ratio hominis ſit quid multiplicabile, an immultiplicabile in plura, quod eſt conſiderare multa vt vnum exercite. Thomiſtica in illis pluribus conſiderat obiectiuã quandam vnitatem, quam fingit in ipſis: adeoque vniuerſale Thomiſticum eſt fictitium, non autẽ noſtrum. Conſiderare autem obiectum, quod realiter eſt homo, & multiplex, conceptu repræſentante ipſum vt homo eſt, non autem vt multiplex eſt; non eſt fingere aut mentiri iuxta illud: *Abſtrahentium non eſt mendacium.*

Conſonat hęc doctrina alteri ſuperius traditæ,

ditæ, vbi de distinctione rationis. Dictum est ibi rem realiter vnam, & indiuisibilem plurificari exercite, non autem signate: dicitur hic res realiter multiplex vnificari non signate, sed exercite: quia quemadmodum ibi multiplicitas formæ non repræsentat in obiecto multiplicitatem obiecti, quod realiter est vnum: ita hic vnitas formæ non repræsentat in obiecto, quod est realiter multiplex, vnitatem.

Dices: intellectus faciens vniuersale vel cognoscit obiectū vt vnum, vel vt multiplex, neutrum dici potest; ergo vniuersale non fit ab intellectu. Maior probatur, quia inter vnum & multiplex non datur medium. Minor etiam probatur, quia si cognoscitur vt vnum; eo ipso vel supponitur, vel fingitur vnitas in obiecto: si vt multiplex, huiusmudi actus non facit vniuersale.

Resp. neg. mai. Ad cuius probationem concedo inter vnum & multiplex non dari medium: nego tamen non posse intellectum ab vnitate & multiplicitate præscindere. Eodem modo posset arguere Aduersarius: Intellectus faciens vniuersale vel cognoscit obiectum vt album, vel vt non album, neutrum dici potest, ergo, &c. Minor probatur quia inter album & non album non datur medium. Etiam inter rationale & irrationale non datur medium, ergo quotiescunque concipis animal, vel concipis vt rationale, vel vt irrationale. Mala consequentia, nam ratio generica præscindit ab oppositis differentijs: nequit igitur argui à non præcisione obiectiua, ad non præcisionem formalem. Hoc est ex eo quod Turca non possit simul

saltare

saltare & non saltare, neque esse sine saltu & non saltu; male arguis me non posse cogitare de Turca, nisi cogitem illum vel saltantem, vel non saltantem.

D. Thomas hunc articulum concludat. *Vniuersale*, ait ille, *est vnum & plura. Plura inquantum in pluribus est, alioquin non posset prædicari de pluribus: vt homo in re est plura, quia de pluribus prædicatur: est autem vnum in cognitione quia licet plura, secundum quod plura, non constituant vnũ intellectum; tamen plura secundum quod similia sunt, constituunt vnum intellectum; ita vt intellectus non possit distinguere inter similia.* Hæc & alia habet D. Thomas opusc. 55. & 56. Vbi ostendit vno eodemque conceptu plura confundi secundum quod similia sunt, puta hominem & equum confundi sub conceptu animalis: Socratem & Calliam sub conceptu hominis: hoc autem est concipi plura vt vnum, non signate vt intendebat Aduersarius, sed exercite vt explicatum est à nobis.

ARTICVLVS X.

Satisfit alijs obiectionibus.

OBijc. ex D. Thoma. Plura vt plura non constituunt vnum intellectum, hoc est non sunt vnum in cognitione: sed plura secundum quod sunt similia sunt plura vt plura, ergo plura secundum quod sunt similia non constituunt vnum intellectum. Maior est D. Thomæ loco citato. Minor ex dictis alibi videtur manifesta; nam vbi di-

ximus

ximus similitudinem & conuenientiam plurium, siue vnitatem similitudinis, & conuenientiæ non esse sufficientem ad constituendum formaliter vniuersale, cum tamen sit sufficiens vnitas cognitionis, attulimus pro ratione prædictæ insufficientiæ, quod similitudo & conuenientia in aliqua ratione, puta in ratione animalis, respectu hominis & bruti, in ratione hominis respectu Petri & Pauli, est formalissime pluralitas intra illam rationem, in qua, vt detur vniuersale, plura debent constitui vnum. Nam hominem & equum esse similes in ratione animalis, est formaliter hominem & equum esse plura animalia. Petrum & Paulum esse similes in ratione hominis, est formaliter Petrum & Paulum esse plures homines: cum tamen homo & brutum in animali; Petrus & Paulus in homine debeant esse quid vnum.

Hanc obiectionem solues explicando doctrinem D. Thomæ, cui videtur inniti. Sensus D. Thomæ non est quod similia formaliter vt similia, hoc est sub ratione formali similium constituant vnum intellectum, seu sint vnum repræsentatione. Eo enim ipso quod repræsentantur vt similia repræsentantur vt plura. Sed sensus est quod similia, per hoc ipsum quod sunt similia, apta sunt simul confundi, adeoque esse vnum cognitione: quia per hoc ipsum quod sunt similia apta sunt sortiri formam extrinsecam, vniformiter se habentem ad ipsa. Puta quia Petrus est homo, & Paulus est homo, & quodlibet aliud indiuiduum naturæ humanæ est homo: & Petrus, & Paulus, & quodlibet aliud indiuiduum naturæ humanæ apta sunt sortiri

hanc

hanc formam extrinsecam, siue hunc conceptum: *Homo*, vniformiter se habentem ad Petrum, & Paulum, & quodlibet aliud indiuiduum. His positis.

Resp. ad obiectionem conc. mai & min. disting. conf. plura secundum quod sunt similia sub conceptu formali similium non constituunt vnum intellectum: concedo consequentiam; sub alio conceptu: nego consequentiam. Petrus & Paulus sub hoc conceptu: *similes in natura*: non fiunt vnum. Sub hoc alio: *homo*: fiunt vnum. Ad hoc autem, vt sub hoc secundo conceptu fiant vnum, debent esse realiter similes in natura: vnde talis similitudo dicitur vnitas fundamentalis.

Ex his patet quid dicendum sit ad ea, quæ dicuntur in obiectione ad probationem minoris. Dicendum est enim optime probari similitudinem esse formalitet pluralitatem; adeoque plura sub conceptu similium non esse vnum. Vnde iterum apparet cur ad constituendum vniuersale formaliter sufficiat vnitas cognitionis præcisiuæ, non autem vnitas similitudinis.

Dices: tam vnitas cognitionis præcisiuæ non ponit vnitatem in obiecto multiplici, & relinquit in ipso rationes discretiuas, quam vnitas similitudinis & conuenientiæ; ergo vnitas cognitionis præcisiuæ non magis sufficit ad vniuersale formaliter, quam vnitas similitudinis. Ant. probatur quia cognitio præcisiua non tollit quin humana natura multiplicetur, & singularizetur in Petro, in Paulo, & in quibuslibet alijs indiuiduis: relinquit enim obiectum sicut est in se iuxta illud: *nostrum cogitare nihil ponit in re.*

Consequentia autem probatur quia intantū vnitas similitudinis non sufficit ad vniuersale formaliter, inquantum hæc non ponit vnitatem in obiecto multiplici, cum sit incompossibilis cum rationibus plurificantibus & singularizantibus. Ergo si hoc idem fatendum est de vnitate cognitionis præcisiuæ, hæc etiam erit insufficiens ad vniuersale formaliter. Vltimum antecedens probatur, quia si vnitas similitudinis & conuenientiæ auferret rationes singularizantes, & discretiuas vnius ab alio, per hoc ipsum constitueret formaliter vniuersale, faceret enim obiectum formaliter & intrinsece vnum.

Resp. conc. ant. neg. cons. Vnitas cognitionis præcisiuæ quamuis relinquat in obiecto rationes indiuiduantes, nec in illo ponat vnitatem; tamen talis vnitas non explicat vllam pluralitatem: & quantum est ex vi huiusmodi cognitionis non apparet obiectum esse multiplex. Hic enim conceptus *homo* secundum se non dicit nec vnum, nec plura; & consequenter aptissimus est, vt id quod extra Animam est multiplex, per ipsum in Anima sit formaliter, & extrinsece vnum.

Ad probationem consequentiæ nego ant. Non enim ideo similitudo & conuenientia est insufficiens constituere vniuersale formaliter, quia cum ipsa stat pluralitas obiectiua. Hanc enim stare etiam cum vnitate præcisiua vltro concedimus; sed ideo similitudo est insufficiens, quia ipsa est formaliter multiplicitas: vnitas autem præcisiua, siue cognitio præcisiua nec multiplicitatem importat, nec vnitatem excludit. Ad probationem antecedentis negati dic falsum esse, quod si con-

conuenientia tolleret rationes indiuiduantes, per hoc ipsum faceret vniuersale. Nam si tollas rationes indiuiduantes; tollis multiplicitatem, quæ non minus quam vnitas requiritur ad vniuersale.

Obijcies præterea: vniuersale non magis dicit vnitatem quam multiplicitatem; ergo non magis constituitur per rationem, per quam est vnum, quam per rationem, per quã est multiplex: sed per rationem, per quam est multiplex, est à parte rei, ergo vniuersale simpliciter est à parte rei.

Resp. concedendo totum, præter vltimam consequentiam.

Dices: non est potior ratio, quod dicatur esse per intellectum, quam quod dicatur esse à parte rei, cum secundum alteram sui partem sit à parte rei; ergo tam verum est quod sit à parte rei, quam quod sit per intellectũ. Confirmatur hoc. Quia in vniuersali pluralitas indiuiduorum se habet per modũ materiæ, vnitas per modum formæ: id quod se habet per modum materiæ sustinet denominationem vniuersalis, ergo id quod est à parte rei sustinet denominationem vniuersalis: ergo datur vniuersale à parte rei.

Resp. neg. ant. Controuersia inter Authores circa vniuersale est an constituatur res vniuersalis independenter ab actu rationis: eo ipso autem quod vnum ex constitutiuis ipsius sit actus rationis, manifestum est non constitui independenter ab actu rationis: hoc autem est non dari à parte rei: totum enim non datur à parte rei, si aliqua pars ipsius à parte rei non detur. Ad confirmationem concede totum, præter vltimam consequen-

tiam. Vniuersale secundum id, pro quo supponit datur à parte rei: hoc est natura illa, quæ denominatur vniuersalis est à parte rei, & independenter ab intellectu; non tamen est aut denominatur vniuersalis independenter ab intellectu, adeoque vniuersale non est à parte rei, & independenter ab intellectu tam secundum id pro quo supponit, quam secundum id omne, quod significat. Secundum rem denominatam est independens ab Anima, secundum formam denominantem est per intellectum.

Vniuersale igitur est concretum logicum in quo collectio obiectiua plurium habet rationem materiæ, cognitio autem præcisiua, hoc est modus tendendi supra explicatus in ea, quæ sunt realiter multa, habet rationem formæ. Prædicta collectio nihil aliud est, quam illa infinita indiuidua, quæ ob similitudinem, quam habent inter se, sortiuntur vnitatem superius explicatam in Anima. Hæc ipsa pluralitas recte dicitur *aptitudo essendi in multis*; identitas enim naturæ humanę cum Alexandro, Callia, Socrate nihil aliud est, quam ipsemet Alexander, Callias, Socrates; hęc autem esse plura est euidens; quomodo fiant vnum satis dictum est, ergo sufficienter explanatum est, quomodo vniuersale sit vnum aptum esse in pluribus.



QVAESTIO

QVAESTIO V.

An præter intellectum aliqua potentia faciat vniuersale.

ARTICVLVS I.

Sensus non facit vniuersale.

SEnsus alij sunt externi, alij interni. Externi sunt visus, auditus, gustus, odoratus & tactus. Interni sunt sensus cōmunis, phantasia siue imaginatio, æstimatiua, memoria. Horum naturam, & obiecta examinabimus in libris de anima. solum hic statuimus per ipsos non fieri vniuersale. probamus autem, quia sola illa potentia facit vniuersale, quæ obiecto realiter multiplici tribuit vnitatem præcisiuam: sed neque sensus externi, neque interni tribuunt obiecto realiter multiplici vnitatem huiusmodi, ergo neque sensus externi, neque interni faciunt vniuersale. Maior patet exdictis. Minor probatur quia sensus nequeunt attingere obiecta, nisi vestita circumstantijs indiuiduātibus. Puta oculus non videt hominem, nisi apparentem tali loco, & tempore, ita figuratum, huius vel illius coloris, à quibus omnibus debet præscindere ratio vniuersalizata: debet enim esse prędicabilis de omnibus contentis sub termino communi: quod non conuenit homini talis temporis, loci, figuræ, coloris. Hinc dicit Phylosophus *sensum esse singularium, intellectum autem uniuer-*

salium, quod ita intelligi debet, non quasi intellectus nequeat percipere obiecta, nisi vniuersalizando: certum est enim intellectum posse cognoscere Petrum, etiam sub ratione Petri: sed ita vt in hoc differat potentia intellectiua à sensitiua, quod hæc non sit nisi singularium, illa autem sit & vniuersalium; adeoque cum operatur secundum modum proprium operandi, vniuersalizando operatur.

Quod dico de oculo, seu potentia visiua, alijsq. sensibus externis intelligendum est proportionaliter de sensibus internis. Imaginatio v. g. non repræsentat hominem, nisi hoc vel illo modo figuratum, huius vel illius coloris, & cum alijs huiusmodi circumstantijs, secundum quas non est prędicabilis de omnibus significatis per hunc terminum communem *homo*: & consequenter nec imaginatio facit vniuersale.

Ratio à priori est quia, vt ait D. Thomas ex Philosopho: *Modus cognoscendi sequitur modum essendi*: modus igitur cognoscendi potentiæ materialis est materializando obiectum, hoc est vestiendo illud circumstantijs materialiter indiuiduantibus, vt dictum est supra; modus vero cognoscendi potentiæ immaterialis est immaterializando illud idem obiectum, quod in se ipso vestitum est circumstantijs materialiter indiuiduantibus. Puta obiectum significatum per hanc vocem: *homo*, nihil aliud est, quam Callias, Socrates, Alexander, alij, &c. singuli materializati, & contracti ad id quod sunt per suas indiuiduationes; intellectus autem in istis omnibus repræsentat sibi rationem hominis,

minis, quæ omnibus & singulis conuenit; præscindêdo ab illis circumstantijs, per quas alter ab altero secernitur: hoc est ita cogitat rationem hominis, vt non cogitet an illa sit in multis, an in vnico, & an significata per rationem hominis sint à se inuicem, vel non sint discernibilia.

Non est tamen negandum fieri à sensibus quoddam vniuersale; nam & oculus videt imaginem repræsentantem plura, & auris audit vocem significantem infinita; sed huiusmodi vniuersale non est illud, de quo agimus; nam neque illa vox, neque illa imago est in pluribus, aut prędicabilis est de pluribus per identitatem, cum tamen neque visus, neque auditus terminentur ad aliud quam ad illam imaginem & vocem.

ARTICVLVS II.

Respondetur Obiectionibus.

Obijcies primò. Obiectum potentiæ visiuæ adæquatum non est hic aut ille color singularis, sed color in genere, seu color vt sic: sed color vt sic est quid vniuersale: ergo obiectum potentiæ visiuæ est quid vniuersale, ergo potentia visiua attingit vniuersale. Probatur hæc vltima consequentia quia potentia visiua, sicut & quælibet alia, attingit suum obiectum: sed ipsius obiectum est vniuersale, ergo potentia visiua attingit obiectum vniuersale. Sed attingere obiectum vniuersale est facere vniuersale, ergo potentia sensitiua facit vniuersale.

Resp. quod qui bene intelligit argumen-

tum propositum posset omnia concedere, præter vltimam minorem subsumptam, sine vllo preiudicio sententiæ suprapositæ. Nihil enim concederet nisi potentiam sensitiuam versari circa obiectum, quod vniuersalizatur: vniuersalizari autem obiectum, circa quod versatur potentia sensitiua, est indubitatum. Dubium est an vniuersalizetur per actum ipsiusmet potentiæ sensitiuæ, & huic dubio respondemus negatiuè: asserentes obiectum potentiæ sensitiuæ vniuersalizari quidem, sed par actum potentiæ intellectiuæ. In forma ad argumentum responde iterum distinguendo. Potentia sensitiua attingit vniuersale vniuersalizatum per ipsam: nega, vniuersalizatum per aliam potentiam: concede. Hoc autem non est facere vniuersale.

Quando igitur Phylosophi dicunt obiectum potentiæ visiuæ esse colorem in genere; nihil aliud intelligunt nisi potentiam visiuam non terminari ad vllum singulare coloratum tamquam ad obiectum adæquatum, sed præter quodlibet esse aliud & aliud: siue nullum coloratum determinate acceptũ esse totale obiectum potentiæ visiiuæ. Non autem sensus est per potentiam visiuam abstrahi rationem coloris ab omnibus coloribus, sicut abstrahitur per potentiam intellectiuam. Idem dic de sono, vt sic, qui est obiectum potentiæ auditiuæ, & de quibuslibet alijs huiusmodi.

Obijc. secundò. Oculus videns ouum *A*, & postea ouum *B*, non discernit vnum ab alio, ergo potentia visiua confundit: sed potentia confundens similia vniuersalizat; ergo

ergo potentia visiua vniuersalizat. Confirmatur, quia in tali casu potentia visiua non percipit indiuiduationem oui *A*, nec indiuiduatione oui *B*, ergo confundit ouum *A*, cum ouo *B*.

Resp. quòd alio modo intelligendum est, *ly confundere*, quam intelligatur in obiectione, ad hoc, vt confundere sit vniuersalizare. Intellectus per hunc conceptum: *Homo* confundit Socratem cum Callia, non solùm quia non discernit vnum ab alio, sed quia vtrumq; attingit: oculus videns ouum *A*, & postea ouum *B*, non confundit hoc pacto: nam videns ouum, *A* non videt ouum *B*, nec è conuerso; adeoq; non confundit visione indifferenter attingente vtrumq; Itaque in forma. Omitte antec. & nega consequ. Dic non confundi vnum cum altero per visionem ocularem, quia quælibet visio, est ita vnius, vt non fit alterius. Quod si Aduersarius ex eo quod per huiusmodi visiones non sufficienter determinaris ad dicendum: *Hoc ouum non est illud aliud, quod antea vidi*, velit vnum ouum confundi cum alio: distingue: confunditur *A* cum *B* confusione faciente ad rem: nega, confusione non faciente ad rem: omitte. Quæ confusio faciat ad rem satis dictum est. Ad confirmationem nega ant. Ipsæmet indiuiduationes possunt esse adeò similes, vt decipiant: adeoq; ex hoc, quod nequeas dicere: *A nôn est B*, non sequitur te non percipere indiuiduationem *A*, & *B*.

Obijc. tertiò, quando lupus imaginatur ouem, & ouis lupum: talis imaginatio non repræsentat magis hunc, quam illum lupum:

magis hanc: quam illam ouem: ergo & lupus ouem, & ouis lupum vniuersalizat. Consequentia probatur, quia in imagine ouis conueniunt omnes oues, & in imagine lupi, omnes lupi; ergo & lupus, & ouis vniuersalizantur.

Confirmatur, quia & amor lupi erga ouem est erga ouem vt sic: & odium ouis erga lupum est erga lupum vt sic: nec enim aut lupus magis amat vnam ouem, quàm aliam; aut ouis magis odit vnum lupum, quam alium. Idem dic de quacumq; alia potentia imaginatiua: putà quando montem aureum, aut adamantinum otiosus imaginaris, quod vulgò dicitur, *Far castelli in aria*, non magis tibi repræsentas vnum montem, quam alium, cum infiniti montes huiusmodi omninò similes imagini, quam formas, sint æque possibiles.

Resp. neg. antec. imago ouis albæ, & pinguis depicta in imaginatione lupi magis repræsentat ouem albam, & pinguem, quam ouem nigram, & exilem. Item lupus depictus in imaginatione ouis semper est huius, vel illius determinatæ figuræ, pusillus, vel magnus, huius, aut illius coloris: & consequenter repræsentat non rationem lupi præcisam ab accidentibus, quod requiritur ad vniuersale, sed vestitam circumstantijs indiuiduantibus, quod destruit rationem vniuersalis. Præterea imaginatio non attingit essentiam, sed accidentia purè extrinseca rei; non est igitur prædicta imago vniuersalizans, nisi eo modo, quo diximus vniuersalizare picturam, quæ apta sit repræsentare Scipionem, & Alexandrum inter se omninò simi-

similes. Non enim dubium est esse possibiles plures, & plures oues, similes imagini, quã sibi depingit lupus. Sed hoc nihil aliud est quam vniuersale quoddam in repræsentando; eo ferè pacto, quo hæc vox *Ouis* est vniuersale quoddam in significando.

Ad confirmationem: dic lupum amare ouem vt sic, non vniuersalizando, sed amando quamlibet ouem, cuius similitudo ipsi præsentetur in anima lupina, pinguiorẽ magis quam minus pinguem. Idem dic ad cætera: nimirum obiecta, per imaginationem pepicta, esse singularia, & vestita circumstantijs singularizantibus; quamuis cuilibet possint excogitari infinita alia omninò similia; posse autem aliud indiuiduum esse mihi omninò simile, non impedit quin me singulariter cognoscas; quamuis cognitio terminata ad aliud indiuiduum mihi omninò simile, sit omninò similis cognitioni terminatæ ad me: cum eadem sit inter cognitiones similitudo, quæ inter res cognitas.

ARTICVLVS III.

Voluntas non facit vniuersale.

Voluntatem humanam non facere vniuersale sunt qui probent hoc argumento: ad hoc, vt aliqua potentia faciat vniuersale debet tendere in obiectum secundùm puram, & præcisam rationem essentiæ, non autem attingere illud, vt circumstantiatum vllis accidentibus; voluntas nequit tendere in obiectum suum hoc modo, ergo voluntas nequit facere vniuersale. Maior videtur

certa ex ijs, quæ diximus articulo superiori; minor autem probatur, quia voluntas non fertur in obiectum, purà in bonum, nisi prout cognitum: sed eo ipso quod fertur in bonum vt cognitum; fertur in bonum vt vestitum aliquo accidente, cum cognitio sit aliquod accidens, ergo non facit vniuersale. Maior est certa, quia *Nihil amarum quin præcognitum*.

Hæc ratiocinatio numquam placuit, propter crassam æquiuocationem, qua laborat. Quando dicitur voluntas ferri in obiectum prout cognitum, ly *Prout* non reduplicat rationem, ad quam tendat, aut à qua moueatur voluntas: ideoq; ratio, per quam bonum constituitur cognitum, nullo modo attingitur à voluntate, & consequenter, quantum est ex hoc capite, non erit impotens vniuersalizare. Præterea ratio cogniti superaddita rationi boni non est circumstantia, indiuiduans vllum ex inferioribus rationis communi boni; adeoq; huiusmodi accidens non officit rationi vniuersalis.

Porrò reduplicationem non cadere supra cognitionem, tamquam supra rationem, quę moueat, aut terminet tendentiam voluntatis: ostendetur, vbi de causa finali: ibi enim cum sententia satis communi dicetur motiuum adæquatum voluntatis esse bonum ipsum, quod quando dicitur amari vt cognitum, reduplicatio fit supra cognitionem, tamquam supra conditionem, sine qua bonum in actu secundo non moueret potentiam volitiuam.

Dicendum est tamen voluntatem, si propriè loquamur, non facere vniuersale. Ratio

tio est, quia obiectum vniuersalizatur per hoc, quod cum multiplex sit extrà animam, fiat tamen vnum quodammodo in anima: sed hoc non fit per actum voluntatis; ergo voluntas non facit vniuersale. Minor probatur, quia res volita non dicitur per volitionem esse in Anima, sicut cognita per cognitionem; imò potius voluntas dicitur esse in re amata, quam res amata in voluntate, iuxtà illud: *Anima magis est vbi amat, quàm vbi animat.* Vide supra vbi dictum est, quòd cognitio est quoddam esse rei cognitæ.

Confirmatur: quia cognitio de sua ratione formali est similitudo obiecti: vnde communiter docent Theologi per hoc formaliter Verbum diuinum procedere à Patre in similitudinem naturæ, adeoq; constitui in esse Filij, quod procedat formaliter per intellectum; Spiritum autem Sanctum non procedere in similitudinem naturæ, quia precedit vt amor formaliter, & per voluntatem.

Quod si minus rigorosè loquamur, & facere vniuersale nihil aliud sonet, quam tendere in obiectum re ipsa multiplex, non discernendo in ipso rationes indiuiduantes, dicendum est, quòd voluntas facit vniuersale, quia in obiectum ab intellectu confusè cognitum fertur voluntas sub ratione boni, ab eodem refugit sub ratione mali, sed hoc non tam est facere vniuersale, quàm versari circa obiectum, per actus præcedentes alterius potentiæ vniuersalizatum.

QVAE-

QVAESTIO VI.

Per quos actus potentiæ intellectiua fiat Vniuerſale.

ARTICVLVS I.

De intellectu agente, & poſſibili.

AD intelligentiam quæſtionis propoſitæ ſciendum eſt intellectum communiter diuidi in agentem, & poſſibilem, ſeu patientem. Intellectus agens dicitur ille, qui producit ſpeciem, hoc eſt ſimilitudinem quamdam ſpiritualem, ſeu immaterialem obiecti. Nàm iuxtà illud: *Nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu*, obiecta primò tranſmittunt ſpecies ſui ad potentiam ſenſitiuam, putà coloratum ad potentiam viſiuam; quæ ſpecies magis attenuatæ, tranſmittuntur à potentia viſiua ad potentiam internam, putà ad imaginatiuam materialem quidem, minus tamen materialẽ, quàm potentia externa: deinde intellectus, qui eſt potentia omninò immaterialis, producit ſpeciem omninò immaterialem eiuſdem obiecti; & hanc ſpeciem, ſeu ſpirituale ſimulacrum facere dicitur intellectus agens. Hæc eadem ſpecies recipi dicitur in intellectu poſſibili, qui per huiuſmodi receptionem determinatur ad eliciendam cognitionẽ circa obiectum, cuius ſpeciem in ſe recepit.

Spe-

Species illa, quæ producitur ab intellectu agente, vocatur species impressa; cognitio ipsa, quæ est actus, siue operatio intellectus possibilis, vocatur species expressa: vtriusq; intellectus opus vocatur abstractio: intellectus agens dicitur abstrahere speciem intelligibilem a phantasmatibus: intellectus possibilis dicitur abstrahere rationem communem ab indiuiduis. Hactenus dicta non sunt probanda hic, nec vlteriùs explicanda, sed supponenda ex libris de Anima, vbi de potentijs Animæ. Ibi enim ex professo disputaturi sumus, an prædicti duo intellectus sint realiter duo, an solum formaliter; & duo nomina sortiri per ordinem ad duas illas functiones, quas supra posuimus.

His positis: cum fieri vniuersale nihil aliud sit, quam naturam realiter distinctam in plura indiuidua acquirere aliquod esse, in quo plura illa sint quodammodo vnum; videtur quæstio de nomine magis, quam de re: an vniuersale fiat per operationem prædictam intellectus agentis, an per operationem intellectus possibilis. Nam species illa immaterialis, quæ ab intellectu agente producitur, est aliquod esse plurium indiuiduorum, & cum sit pura, & præcisa species essentiæ, siue naturæ, non est vnius magis quam alterius, sed est essentialiter similitudo omnium inferiorum; putà species hominis est essentialiter similitudo omnium inferiorum huius rationis: *Homo*.

Propterea dicunt aliqui vniuersale fieri ab intellectu agente, & naturam communem constitui formaliter vniuersalem per speciē hactenus explicatam. Per hanc sententiam

aiunt

aiunt facile explicari dictum illud: *vniuersale est obiectum intellectus*. Dicunt enim vniuersale esse obiectum intellectus possibilis, qui propriè & simpliciter dicitur intellectus, siue potentia intellectiua: Nam intellectus, quatenus intellectiua potentia est, operatur post operationem intellectus agentis; hoc est, priusquam actu intelligat, presupponit productam speciem intelligibilem. Si igitur per prædictam speciem natura formaliter vniuersalizatur, consequens est vt intellectus possibilis per suam operationem versetur circa naturam actu, & formaliter vniuersalem. Dictum autem illud: *uniuersale est obiectum intellectus*, putanr non adeo facile explicari in opposita sententia.

Melius tamen, & magis proprie dixeris fieri vniuersale formaliter per actum intellectus possibilis, seu per cognitionem ipsam, quam per speciem determinantem ad huiusmodi cognitionem: tum quia per speciem sui res non est complete, sed solum inchoatiuè in Anima: sicut per speciem materialem non est completè, sed solum inchoatiuè, & causaliter, seu radicaliter in potentia sensitiua. Explicatur hoc idem, quia res dicuntur esse formaliter in Anima per hoc, quod cognoscantur; per speciem autem impressam sui res formaliter non cognoscuntur; igitur per speciem sui non sunt formaliter in Anima: sunt tamen per huiusmodi speciem radicaliter in Anima, quia ab huiusmodi specie pullulat cognitio, per quam res formaliter est in Anima. Hoc idem habes satis explicatum à Caietano in opusc. de ente & essentia cap. quarto questio. sexta, quamuis ibidem

dem vltro concedat naturam per operationem intellectus agentis aliqualiter vniuersalizari.

Ad illud Dictum: *obiectum intellectus est uniuersale*: Satis dictum est supra. Sensus est, potentiam sensitiuam non posse vniuersalizare; posse autem intellectiuam. His positis dubitatur per quem nam actum intellectus fiat vniuersale: an scilicet per solam primam apprehensionem: puta per hunc cōceptum: *homo*; an solum per iudicium, puta per hunc alium: *homo est animal*; an per vtrunque, & in super per discursum, quæ sunt tres operationes, ad quas, velut ad tria capita, reducuntur omnes actus potentiæ intellectiuæ, formaliter vt intellectiuæ.

ARTICVLVS II.

Statuitur uera Sententia.

RVuius quæstione sexta de vniuersalibus refert nonnullos aientes vniuersale non fieri nisi per actualem prędicationē illius naturæ, quæ dicitur vniuersalis; adeoque negantes posse naturam communem per primam operationem intellectus vniuersalizari. Fundamentum huius opinionis esse potest definitio vniuersalis perperam intellecta: vniuersale est vnum prædicabile de pluribus: sed non nisi per actualem prędicationem predicatur, ergo non nisi per actualem prędicationem fit vniuersale.

In hac Sententia, quam non est operæ pretium fusius explicare: hic conceptus: *homo*, non facit vniuersale: hic alius: *Petrus est homo*, facit.

Hęc

Hęc Sententia ſicut fundatur in definitione male intellecta ; ita per definitionem bene intellectam diruitur. Nam : vniuerſale eſt vnum aptum prædicari de pluribus ; ſed etiam quando non prædicatur actu eſt prædicabile ; ergo ad vniuerſale non requiritur actualis prędicatio. Præterea ſi ex definitione arguit. Adverſarius requiri actualem prędicationem ad vniuerſale formaliter, æquo iure arguet alius requiri prędicationem actualem de pluribus inferioribus, imo de omnibus, reſpectu quorum talis ratio denominatur, & eſt vniuerſalis ; & conſequēter non fiet vniuerſale per hanc prędicationem : *Petrus eſt homo* : ſed ſolum per hanc : *& Petrus, & Paulus, & Antonius, & quilibet alius huiuſmodi, eſt homo.* Quæ omnia ſunt adeo abſurda, vt ſe ipſis corruant.

Dicendum eſt igitur per omnes tres operationes intellectus fieri vniuerſale. Fieri per primam probatum eſt hactenus, quia per hunc conceptum : *homo* omnia inferiora naturę humanæ ita confuſè, & indiſcernibiliter cognoſcuntur, vt ex vi talis conceptus nō appareat neque an ſit vnum, neque an ſit multiplex; & conſequenter acquirunt perfectiſſimam vnitatem præciſiuam. Natura enim prout ſubſtans tali cognitioni eſt æque prędicabilis de vno, ſi vnum ſit, ac de pluribus & infinitis, ſi plura ſint & infinita, quibus conueniat ratio hominis. Cum autem reipſa ſint plura, plura per huiuſmodi cognitionem fiunt vnum.

Quod etiam per ſecundam operationem fiat vniuerſale probatur, quia in hac propoſitione : *Homo eſt animal* certum eſt non affir-

affirmari animal de vno potius, quam de alio ex inferioribus huius termini communis: *homo*; nec in huiusmodi iudicio apparere an plura sint, an vnum, quibus conueniat ratio significata. Fieri vniuersale in prędicta propositione ex parte subiecti; vltro conceditur ab omnibus: an etiam ex parte predicati; videlicet an etiam li *animal* sit in prædicto iudicio vniuersale alibi disputabitur.

Denique quod etiam per tertiam fiat vniuersale probamus, quia in hac argumentatione: *Homo est animal: animal est uiuens ergo homo est uiuens* manifestum est plura apparere per modum vnius exercite; & cōsequenter fieri vniuersale.

ARTICVLVS III.

De alijs cognitionibus.

COgnitiones hactenus explicatæ sunt cognitiones directæ Dubitatur autem an etiam per cognitiones reflexas intellectus noster vniuersalizet. Dicuntur autem cognitiones reflexæ non illę, per quas obiectum iam antea cognitum iterato cognoscitur, sed per quas ipsæmet cognitiones, quæ primo attigerunt obiectum, attinguntur. Puta per hanc apprehensionem: *paries* directè cognoscis parietem, per hanc autem: *paries est albus* iterum attingis eundem parietem; & ita quidem iterum attingis, vt secunda cognitio præsupponat primam: Si verum est, quod communiter aiunt, iudicium præsupponere ante se apprehensionem; non tamen hæc se-

cunda cognitio : *paries est albus* dicetur cognitio reflexa · dicetur autem reflexa hæc alia : *paries cognitus* ; quia hæc non solum parietem iam ante cognitum , sed cognitionem ipsam attingit.

Reflexio autem, seu cognitio reflexa, quantum ad rem presentem , dupliciter fieri potest. Primò ita vt cognoscas rem ante cognitam, vt cognitam. Secundo ita vt cognoscas non solum vt cognitam ; sed vt cognitam tali genere cognitionis ; puta cognitione vniuersalizante. Res patebit exemplo. Per hunc conceptum : *homo* non solum cognoscis naturam humanam, quam etiam cognosceres per hunc alium : *Omnis homo* ; sed ita cognoscis, vt abstrahas. Habes igitur in prędicta cognitione nō solum cognitionem, sed cognitionem abstrahentem. Posita tali cognitione potes ita reflectere supra ipsam , vt cognoscas per ipsam cognosci naturam humanam : vel ita vt cognoscas non solum cognosci ; sed insuper cognitione abstracta, & vniuersalizante cognosci. Prima reflexio attingit quidem id, quod est formaliter vniuersale, non tamen attingit illud formaliter vt vniuersale. Secunda attingit insuper vt vniuersale. His positis.

Dico per primam reflexionem fieri vniuersale. Probatur, quia in prima reflexione plura apparent per modum vnius exercitè ; hoc sufficiet ad vniuesfale: ergo per primam reflexionem fit vniuersale.

Dico secundò per secundam reflexionem non fit vniuersale. probatur, quia vniuersale cognitum vt vniuersale apparet vt multiplex ; sed obiectum apparens vt multiplex

per

per illam cognitionem,per quam apparet vt multiplex non sit vniuersale: ergo vniuersale per cognitionem;per quam cognoscitur vt vniuersale, non sit vniuersale. Maior est certa, minor patet, ex definitione vniuersalis, quod diximus esse vnum in pluribus: sed implicat te intelligere vnum in pluribus, quin intelligas formaliter plura: ergo implicat te intelligere vniuersale formaliter vt tale, quin intelligas formaliter plura.

Habes hinc rationem disparitatis inter primam & secundam, ex prædictis reflexionibus. In prima solum apparet obiectum cognosci. In secunda apparet cognosci cognitione abstracta à pluribus: hinc in prima reflexione non magis apparet multiplex obiectum,quam in cognitione directa: secus in secunda: eo enim ipso, quod concipis esse cognitionem abstractam à pluribus, exprimis formaliter pluralitatem.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Satisfit obiectionibus.

OBijcies primò. Secunda operatio intellectus præsupponit vniuersale iam factum: ergo non facit vniuersale. Idem valet à fortiori contra tertiam. Antecedés probatur,quia hoc iudicium: *Homo est Animal* præsupponit hanc apprehensionem: *Homo*: sed per hanc apprehensionem fit vniuersale: ergo prædictum iudicium præsupponit vniuersale iam factum.

Resp. omisso ant. neg. cons. quæ bona esset si concluderet, *ergo secunda operatio* non

non primo facit vniuersale. Non autem valet: *non primo facit: ergo non facit.*

Dices: ergo secunda operatio facit vniuersale iam factum: & consequenter actum agit quod est absurdum.

Resp. neg. cons. Nam aliud est vniuersale quod fit per primam; aliud quod fit per secundam operationem. Vniuersale enim est aliquod totum, siue concretum logicum; pro materiali dicens plura, pro formali actum intellectus; confundentem plura per modum vnius: cum eodem autem materiali diuersæ formæ faciunt diuersum totum, seu diuersum concretum vt constat. Potes etiam dare quod sit idem, sed non eodem modo, nec eadem forma vniuersalizatum.

Obijcies secundo. Per hanc abstractionem *homo* non fit vnum aptum prędicari de pluribus: ergo non fit vniuersale. Cons. est euidens: ant. probatur, quia homo non est proxime predicabilis de pluribus, nisi prius comparetur cum pluribus: sed per hunc actum: *homo* non comparatur cum pluribus: ergo per hunc actum non fit vnum aptũ prędicari de pluribus. Propter hoc argumẽtum opinati sunt aliqui vniuersale non fieri per cognitionem absolutam, & abstractiuam; sed solum per cognitionem comparatiuam illius naturę, quæ dicitur vniuersalis, cum suis inferioribus.

Alij autem distinxerunt inter vniuersale metaphysicum, & vniuersale logicum: primũ dixerunt fieri per cognitionem absolutam & abstrahentem; secundum per cognitionem comparatiuam. Vniuersale metaphysicum,

aiunt

aiunt, est vnum aptum esse in pluribus : & hoc habetur sufficienter per hoc præcise, quod natura realiter plurificata habeat vnum esse intentionale per cognitionem abstractiuam. Vniuersale logicum est vnum aptum predicari de pluribus ; cum autem prædicatiò vnius de altero fieri nequeat nisi post cōparationem vnius cum altero ; per talem actum comparatiuum vniuersale constituitur in esse vniuersalis logici hoc est predicabilis. Alij dicunt per actum absolutum & abstrahentem constitui predicabile remote; per actum vero comparatiuum fieri predicabile proximè, & immediatè ; quæ omnia multum habent de nomine, parum de re. Ad obiectionem.

Resp. neg. ant. ad cuius probationem nego ant. Eo enim ipso quod vnum est plura, est predicabile de pluribus;sed eo ipso quod natura est vnum & plura, vnum est plura:ergo eo ipso quod natura est vnum & plura est predicabilis de pluribus : sed per abstractionem est vnum & plura; ergo per abstractionē fit predicabilis de pluribus. Ad ea, quæ variè varij dicunt in oppositum.

Dico primò : valde probabile est ad predicationem naturæ vniuersalis de suis inferioribus non prærequiri comparationem eiusdem cum prædictis inferioribus. Probatur primò, quia ex sufficienti apprehensione extremorum potest intellectus sufficienter determinari ad predicationem vnius de altero. Puta ex sufficienti apprehensione huius termini : *Petrus*, & huius alterius : *Homo*, potest intellectus sufficienter determinari ad hanc affirmationē:*Petrus est homo*.

Pro-

Probatur secundò. Quia si intellectus ad prędicandum hominem de Petro debet prius comparare hominem cum Petro; hic ipsemet actus comparatiuus non fit ab intellectu sine fundamento: cur enim comparet rationem hominis cum Petro, potius quam cum Bucephalo? Hoc autem fundamentum comparandi vnum extremum cum alio extremo; sicut est determinatiuum ad comparationem, sic potest esse sufficiens determinatiuum ad prędicationem.

Dices ad hanc prædicationem: *Petrus est homo*, prærequiritur appræhensio huius extremi: *Petrus*, & huius alterius: *Homo*: ergo prærequiritur comparatio inter vtrunque extremum.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Aliud est appræhendere vtrunque extremum, aliud comparare.

Dico secundò. Etiam dato quod ad prędicationem prærequiratur apprahensio vtriusque extremi; non tamen hinc sequitur vniuersale constitui prędicabile per appræhensionem vtriusque extremi. Puta etiamsi des ad hanc prędicationem: *Petrus est homo*, prærequiri appræhensionem huius extremi: *Petrus*, non propterea *homo* constituitur prędicabilis per appræhensionem prædictā. Explicatur hæc conclusio, & ipsa sui explicatione probatur. Suppone vt certum duo extrema non posse simul coniungi intentionaliter, nisi vtrunque prius appræhendatur: semper enim iudicium præceditur ab appræhensione eorum, quæ per iudicium coniunguntur. Hinc existentia huius actus: *Petrus est homo*, pendet ab existentia istarum ap-

prę-

præhensionum : *Petrus*, & : *homo*, adeoque si vnum extremum constitui prædicabile per appræhensionem alterius nihil aliud sit, quã non posse dari prędicationem vnius extremi de altero, nisi præcedat appræhensio extremi tam quod prędicatur, quam de quo prędicatur; hoc extremum : *homo* fiet prędicabile de Petro per appræhensionem huius extremi : *Petrus*.

Sed aliud est, quod ad prędicationẽ prærequiratur hæc cognitio ; aliud quod per hanc cognitionem extremum constituatur prędicabile. Potest enim requiri vt conditio, sine qua vna ratio nequiret prędicari de alia, non autem per modum constitutiui prędicabilitatis. Hoc facile intelliges in exemplis satis communiter receptis. Nequit amari bonum, nisi præcedente cognitione : iuxta illud : *nil uolitum quin præcognitum*: talis tamen præcedens cognitio supponit, nõ autem constituit amabilitatẽ, quæ tota quãta est in bonitate obiecti voliti : vnde cognitio est conditio, sine qua res non amaretur nec tamen constituit amabilitatem rei. Item mea manus nequit calefieri ab igne *A*; nisi sit proxima igni *A* : nec tamen huiusmodi proximitas constituit aut virtutem actiuam ignis, aut passiuam manus : adeoque quamuis calefactibilitas nequeat reduci in actum, nisi præuia proximitate subiecti calefactibilis ad agens calefactiuum : huiusmodi tamen proximitas non constituit calefactibilitatem, proprie loquendo, sed solum est conditio, sine qua calefactio non daretur.

ribus, est constitutiua ipsorum essentiæ; vel eorundem essentiæ superaddita. Rursus quando abstrahitur ratio cònstitutiua essentiæ, vel abstrahitur per modum totius essentiæ; vel per modum partis essentialis. Si ratio abstracta est tota essentia dicitur species vt: *homo* qui à Petro, Paulo, & alijs inferioribus abstrahitur per modum totius essentiæ; si vero vt pars: vel abstrahitur per modum partis determinabilis, & habentis rationem quandam materiæ, & dicitur genus: vt *animal*, respectu hominis & bruti; vel vt pars determinatiua, & habens quandam rationem formæ; & dicitur differentia vt: *rationale*, respectu hominis, *irrationale* respectu bruti.

Placuit his vocibus vti in explicatione prædicabiliũ quia eas passim inuenies apud Philosophum, D. Thomam, & alios primæ notæ. Ne tamen in vna, eademque indiuisibili essentia imagineris partem, & partem: seu partem & totum: moneri debes ea omnia accipi debere in sensu Logico, superius à nobis explicato; quem hic iterum ad maiorem intelligentiam explicamus.

Diximus sæpe hominem & brutum imperfecte inter se conuenire: Petrum & Paulum perfecte. Brutum enim est principium indiuisibiliter & sentiendi & irratiocinandi (liceat sic loqui,) homo autem est principium indiuisibiliter sentiendi & ratiocinandi. Hinc sequitur, quod aliquæ operationes, puta sensationes, sunt communes homini & bruto: non quod eadem operatio, quæ procedit ab homine possit procedere à bruto; sed quod similis: & aliquæ operatio-

nes, puta ratiocinationes, sunt propriæ hominis, itavt similes à bruto nequeant proficisci, Compara iam Petrum cum Paulo, & nullam operationem reperies à Petro procedere cui similis procedere nō possit à Paulo.

Hinc habes, quod per quemlibet conceptum, per quem homo & brutum confundantur eo ipso Petrus, & Paulus; at non per quemlibet conceptum, per quem confunduntur Petrus & Paulus, confunduntur eo ipso homo & brutum. Patet hoc, quia si Petrus & Paulus concipiantur per ordinem ad omnia connotata ipsis communia; eo ipso exprimūtur per ordinem & ad sensationem, & ad ratiocinationem: per huiusmodi autem conceptum non confunditur homo cum bruto: si autem concipiuntur homo & brutum per ordinem ad connotata communia homini & bruto, puta per ordinem ad sensationem; eo ipso non solum confunditur homo cum bruto, sed etiam Petrus cum Paulo: quia tam commune est Petro & Paulo, quam homini & bruto, sentire.

Rursus per illum conceptum, per quem repræsentantur Petrus & Paulus per ordinē ad aliqua solum connotata, non dicitur exprimi totaliter & adæquate ipsorum essentia; adeoque non dicitur per huiusmodi conceptum abstrahi tota essentia: non quod sit aliquid in essentia Petri vel Pauli, quod per talem conceptum non attingatur; sed quia per huiusmodi conceptum non adæquate attingitur; per illum autem conceptum, quo repræsentantur per ordinem ad omnia connotata, dicitur abstrahi tota essentia; quia huiusmodi conceptus est adæquate expressi-

uus

uus ipsorum essentiæ: adæquatione, & inadæquatione vtrobique se tenente, non ex parte rei, quæ concipitur, sed ex parte conceptus, modo perfectius, modo imperfectius eandem rem attingentis.

Præterea plura perfecte similia, puta Petrus & Paulus, & singula indiuidua naturæ humanæ concipi possunt inadæquate dupliciter; videlicet vel per ordinem ad illa connotata dumtaxat, quæ conueniunt etiam dissimilibus, puta per ordinem ad operationes sentiendi, quæ conueniunt Bucephalo, Brunello, & alijs; vel per ordinem ad illa solũ, per quæ differunt à sui dissimilibus; inter se autem conueniunt, puta per ordinem ad ratiocinationes. Conceptus, per quem confunduntur plura inter se dissimilia in essentia, constituit genus: conceptus, per quem confunduntur plura dumtaxat inter se perfecte similia, si sit per ordinem ad omnia connotata, constituit speciem; si per ordinem ad aliqua solum constituit differentiam: & consequenter hic conceptus: *homo*, constituit omnia indiuidua naturę humanæ in esse speciei: hic alius: *animal*, constituit hæc ipsa, & infinita alia in esse generis: hic alius: *rationale*, constituit illa in esse differentiæ. sermo est hic de differentia provt est vnum ex prædicabilibus.

Quod si ratio abstracta est extra essentiam eorum, à quibus abstrahitur talis ratio; vel conuenit conuertibiliter inferioribus, à quibus abstrahitur, & dicitur proprium, vt risibile respectu hominis: quamuis enim sit aliquid suo modo super additum essentiæ hominis, quæ adæquate constituitur per ani-

mal

mal rationale; tamen conuertibiliter prędicatur de homine, hoc est: *Omnis homo est risibilis; & : omne risibile est homo.* Vel non est ratio conueniens conuertibiliter, & tunc dicitur accidens. Ita album respectu hominis dicitur accidens: non enim conuertibiliter: *Omnis homo est albus*, & è conuerso; imo nec omnis homo est albus, nec omne album & homo. His positis probare oportet definitionem generis, quam ex Philosopho retulimus.

Probatur autem explicando. Dicitur primò: *vnum aptum prædicari de pluribus*, animal v. g. de homine, equo, leone & cæteris. Et in hoc conuenit genus cum alijs prædicabilibus superius enumeratis, quæ & ipsa de pluribus prædicabilia sunt: *homo* enim, *rationale*, *risibile*, *album* de pluribus prædicantur.

Secundo dicitur prędicari *de differentibus specie*: hoc est de dissimilibus in essentia, qualia sunt homo, equus, leo, &c. & per hoc differt à specie, quæ non est prædicabilis nisi de perfecte similibus in essentia, vt ostendemus suo loco. *Homo* enim prędicari nequit nisi de Petro, & Paulo, & alijs huiusmodi; quæ sunt essentialiter & perfecte similia; ideoque dicuntur differre pure numericè, accipiendo in lata quadam significatione nomen differentiæ pro distinctione.

Tertio additur *in eo quod quid est*, quas particulas Porphirius explicat dicendo, quod interroganti de aliquo obiecto quid sit, bene respondetur per genus. v. g. interroganti: *quid est homo?* bene respondes: *est animal*. assignando scilicet saltem partialiter ipsius essen-

essentiam, quæ à Philosopho vocatur *quod quid est esse rei*. Per has vltimas particulas discriminatur genus à differentia, proprio, & accidenti; quæ non prædicantur in quid, vt de singulis suo loco constabit.

Addit Porphirius, quod à proprio differt genus, quoniam proprium quidem de vna sola specie, cuius est proprium, prædicatur, & de ijs quæ sub ipsa specie sunt indiuiduis; ve risibile de homine, & de singulis hominibus; genus autem non de vna specie prædicatur, sed de pluribus, & differentibus.

Cum igitur hæc definitio perfecte explicet naturam siue essentiam generis; explicando scilicet & id, per quod conuenit, & id, per quod disconuenit cum alijs prædicabilibus; dicendum est hanc esse bonam, nec à Philosopho recedendum.

ARTICVLVS II.

Respondetur Obiectionibus.

Obijcies primò. Genus est pars respectu speciei, v. g. animal respectu hominis, sed pars nequit prędicari in recto, & in quid de suo toto: ergo genus nequit prędidicari de specie dicendo: *Homo est animal*: & consequenter malè ponitur in definitione generis quod prædicetur in quid.

Resp. disting. mai. genus est pars simul & totum: concedo mai. est pars solum: nego mai. & eodem modo dist. min. nego consequentiam.

Dices: non potest idem respectu eiusdem esse pars simul & totum: ergo vel genus

respectu speciei est solum pars, vel solum totum.

Resp. neg. ant. quia idem diuersimode potest accipi, & prout diuersis actibus intellectus substans, diuersas denominationes sortiri. Ad huius intelligentiam.

Sciendum est, quod per definitionem allatam definitur concretum ex natura, quæ denominatur genus, & præcisione, seu cognitione iam supra explicata, per quam constituitur genus, afferturque natura in recto, & prædicta cognitio in obliquo. Natura autem, quæ in prædicto concreto habet rationem recti, est realiter omnia illa indiuidua, seu collectio omnium indiuiduorum, quæ per prædictam cognitionem attinguntur. Puta natura, quæ constituitur in esse generis per per hanc cognitionem: *animal*, sunt omnia omnino animalia, homo, lupus, leo, canis, &c. Hoc autem totum continet per modum partis quamlibet speciem, vt est manifestum,

Hæc eadem collectio omninm animalium per hanc abstractionem mentalē, *animal* est totum potentiale seu potestatiuum respectu specierum, puta respectu hominis equi, leonis, &c. In definitione vero, quia hæc constat ex genere & differentia habet rationem partis metaphysicę actualis; ideoque illud idē, quod est totum potestatiuum, in definitione coniunctum cum differentia, induit rationem partis: & consequenter idem cum eodem diuersimode comparatum, puta animal cum homine, denominatur modo pars, modo totum.

Instabis: dictum est supra, quod quando ratio, quæ abstrahitur, abstrahitur per modum

dum

dum totius eſt ſpecies: ſed ratio animalis abſtrahitur per modum totius: ergo ratio animalis eſt ſpecies.

Reſp. primò. neg. mai. dictum eſt, quod quando ratio, quæ abſtrahitur, abſtrahitur per modum totius eſſentiæ; ſiue quod quando ratio abſtracta eſt tota eſſentia, tunc eſt ſpecies; quando videlicet cognitio abſtrahens eſt perfectè expreſſiua eſſentię inferiorum, à quibus abſtrahitur; tunc talis cognitio conſtituit ſpeciem.

Reſp. ſecundò negando min. quia animal in hac cognitione: *Animal*, non apparet, neque vt pars, neque vt totum, ſed ab vtroq; præſcindit; ſicut etiam in hac prædicatione: *homo eſt animal*, quamuis autem non appareat neque vt pars, neque vt totum; tamen per hanc cognitionem: *Animal* conſtituitur in eſſe totius poteſtatiui, quod conuenit omni rationi vniuerſali, vt dictum eſt alibi.

Obijc. ſecundò, genus prædicatur de differentibus ſolo numero; ergo malè definitur prædicabile de pluribus differentibus ſpecie. Antecedens probatur, quia bona eſt hæc prædicatio: *Petrus eſt animal, Paulus eſt animal*; & ſic de cæteris, quæ ſolum numericè differunt:

Reſp. primò tranſmiſſo ant. neg. conſeq. Definitio generis ſolum affirmat, quod prædicetur de differentibus ſpecie: hoc autem eſt veriſſimum: prædicatur enim de homine, equo, leone. Quod verò prædicetur etiam de differentibus ſolum numericè non negatur in definitione. Cum igitur per iſtas particulas intendat Philoſophus diſcriminare genus à ſpecie, hoc ſufficienter obtinet: nam

species, putà *Homo*, prædicari nequit de differentibus specie; adeoq; per talem prædicationem sufficienter differt genus à specie, etiam si in hoc alio conueniat, quod etiam de differentibus numericè, putà de Petro, & Paulo prædicetur.

Resp. secundo dist. antec. prædicatur de differentibus numero; prædicatione immediata & categorica; nego antec. prædicatione non immediata: conc: antec. & nego cõsequ. Prædicatio animalis de Petro non est immediata, quia inter animal, & Petrum mediat homo: nec ideò Petrus est animal, quia Petrus est: sed quia homo est.

Ad complementum doctrinæ de genere, sciendum est diuidi genus in supremum, seu generalissimum, subalternum, & infimum. Supremum est, quod non habet supra se aliud genus, v. g. *Substantia*. Subalternum est, quod habet supra se aliud, & aliud infra, v. g. *Viuens*, quod supra se habet substantiam, & infrà se animal. Infimum est quod nullum genus habet sub se: huius nemo hacterus certum exemplum attulit: certum est enim animal habere sub se plura genera, cum tamen afferatur à non paucis pro exemplo generis infimi; fortasse quia ex communi proloquio in exemplis non requiritur veritas. Est enim indubitatũ dari multas species piscium, multas auium, &c. & consequenter rationem piscis, & rationem auis esse rationes genericas. Quamuis autem nequeat certum assignari, est tamen certum illud dari. Cuilibet verò prædictorum generum conuenit proportionaliter allata definitio.

QVÆ-

QVAESTIO II.

De specie.

ARTICVLVS I.

Quid sit species.

SPeciei definitio triplex inuenitur apud Porphyrium cap. 3. Nos primo loco illam afferemus, quam ille attulit vltimo. Est igitur species, ait Porphyrius, quę de pluribus, & differentibus numero in eo quod quid est prædicatur, v. g. *Homo*, qui de Petro, de Paulo, & alijs. Definitionem hanc esse bonam apparet ex ijs, quæ diximus in definitione generis, quæ proportionaliter definitioni speciei applicanda. Per hoc quod prædicetur de pluribus, conuenit cum genere, & alijs vniuersalibus; per hoc, quod de numero differentibus, discriminatur a genere; per hoc, quod in eo quod quid est, à differentia, quæ in quale quid prædicatur, & ab alijs duobus, quæ in quale.

Quia verò species dupliciter considerari potest nimirum, vel comparatiuè ad genus, sub quo collocatur, & quod prædicatur de ipsa, vel comparatiuè ad inferiora, de quibus ipsa prædicatur; ideò præter definitionem, per quam explicatur per ordinem ad inferiora, duas alias habet Porphyrius, per quas comparatur cum genere. Prima est: Species est, quæ sub assignato genere est, v.g. homo, qui sub animali. Secunda: species est,

quæ subijcitur generi, & de qua genus in eo, quod quid est prædicatur, vt idem *homo*, qui subijcitur animali, & de quo animal in eo quod quid est prædicatur: dicitur enim: *Homo est animal.*

Diuiditur autem species in speciem specialissimam, siue infimam, siue atomam, & in speciem subalternam. Species infima, siue atoma est, quæ ità subijcitur generi, vt nullam aliã speciem sub se habeat, vt *Homo*, qui ita subijcitur animali, vt sub se non contineat aliam speciem, sed solum indiuidua Petrum, Paulum, &c: Suabalterna verò est quæ ita sub genere collocatur, vt etiam sub se contineat aliam speciem, v. g. *Animal*, quod ità est species viuentis, & ità sub viuente tanquam sub genere continetur, vt etiã sub se alias species comprehendat, putà hominem, leonem, equum, &c.

Species primo loco definita à nobis sine vlla controuersia est species prædicabilis: an autem ad rationem speciei prædicabilis sufficiat esse sub assignato genere, vel subijci generi, & esse id, de quo genus in eo quod quid est prædicatur; non est sine controuersia inter auctores. Si enim dentur species essentialiter immultiplicabiles in indiuidua, quales sunt in sententia Thomistarum species substantiarum immaterialium; adhuc huiusmodi species ponuntur sub assignato genere, subijciuntur generi, & de ipsis genus in eo quod quid est prædicatur: & tamen nulla ex huiusmodi speciebus prædicabilis est de pluribus, vt est manifestum. Nam & natura Michaelis, & natura Gabrielis, quæ sunt huiusmodi species ponuntur sub gene-

genere Angeli, de ipsis Angelus in eo quod quid est prædicatur: dicitur enim Michael est Angelus, &c. & tamen neque natura Michaelis, neque natura Gabrielis est de pluribus prædicabilis.

Propterea huiusmodi species rectè dicuntur pure subijcibiles, in quo differunt à speciebus prædicabilibus, quales sunt species substantiarum materialium, duæ etiam ipsæ sunt subijcibiles, sed non purè subijcibiles: homo enim subijcitur huic generi *Animal*, sed simul prædicatur de pluribus indiuiduis, vt constat. Vides igitur, quod ad rationem speciei subijcibilis sufficit vnitas, vel realis, & propria, vel intentionalis, & impropria: nam natura Michaelis habet in prædicta sententia Thomistarum veram, propriam, & realem vnitatem; & tamen est species subijcibilis: natura verò humana, siue homo non habet veram, & realem, sed purè intentionalem vnitatem, vt dictum est, & ipsa etiã est species subijcibilis: per id autẽ ipsũ, quod talis vnitas est vnitas purè intentionalis, scilicet per pluralitatem inferiorum inter se similium, est species non pure subijcibilis, sed prædicabilis, vt diximus sæpe. An autem possibiles sint, & an dentur huiusmodi species essentialiter immultiplicabiles, disputabitur infrà.

Suppositis tamen huiusmodi speciebus dupliciter saluare conantur Thomistæ, quod non sint pure subijcibiles, sed insuper prædicabiles. Primò aiunt fingi posse in ipsis quandam pluralitatem inferiorum, ratione cuius natura sit de pluribus prædicabilis. Sed hoc est absurdum: nam eodem modo

dic ere possent naturam humanam prædicabilem esse, siue vniuersalem respectu equi, leonis, &c. imò Hircocerui, & Chimeræ. Quemadmodum enim potest intellectus fingere naturam, quæ in se est essentialiter immultiplicabilis, habere plura inferiora, quibus per identitatem communicetur; ità etiam fingere potest naturam humanam, quæ essentialiter repugnat equo, & Hircoceruo communicabilem esse per identitatem equo, & Hircoceruo; & consequenter si per primam fictionem natura Michaelis denominatur vniuersalis respectu plurium indiuiduorum, etiam natura humana per secundam denominabitur vniuersalis respectu equi, & Hircocerui. Non enim apparet cur primum figmentum sit sufficiens, secundum verò insufficiens ad vniuersale.

Secundò dicũt naturam Michaelis, quamuis essentialiter immultiplicabilem, constitui tamen vniuersalem, quia concipitur negatiuè indifferens ad plura. Quod si interroges, quid sit concipi negatiuè indifferens ad plura. Respondent nihil aliud esse, quam concipi conceptu non attendente, an repugnet, an non repugnet talem naturam identificari cum pluribus.

Sed contra est, quia hoc absurdum non est minus, quam primum. Facile enim probabis naturam humanam esse vniuersalem respectu canis, & Hippocentauri. Centies enim concipis naturam humanam cognitione non attendente, an hæc repugnet, an non, identitati cum cane, & Hippocentauro, & consequenter constituis illam negatiue indifferentem ad canem, & Hippocentaurum,

quibus non magis repugnat naturam humanam identificari, quam repugnet naturam Michaelis, & quamlibet speciem substantiæ immaterialis identificari cum pluribus indiuiduis. Ex his apparet prædictas species, si dentur, nullo modo esse prædicabiles.

ARTICVLVS II.

Satisfit obiectionibus.

OBijcies primò. Incorruptibile nequit prædicari de corruptibili, species est incorruptibilis, singularia sunt corruptibilia; ergo species nequit prædicari de singularibus. Maior videtur manifesta, quia incorruptibile cum corruptibili non habet identitatem, quæ requiritur ad prædicationem vnius de altero in recto.

Resp. concessa maiori negando minorem. Eadem incorruptibilitas, quæ conuenit homini, conuenit Petro. Quæ nam sit autem prædicta incorruptibilitas, dictum est alibi. Sicut necessario homo est animal rationale; ità necessariò Petrus est homo. Hæc est incorruptibilitas vtriq; conueniens, necessaria videlicet connexio prædicatorum, quæ dicitur incorruptibilitas logica. Sicut Petrus est indifferens vt sit, vel non sit in rerum natura, sic etiam homo. Hæc est corruptibilitas quòad existentiam, seu physica.

Obijcies secundò, quæstione superiori definitum est genus per speciem, vt patet ibi: hic definitur species per genus: dicitur enim: Species est, quæ sub assignato gene-

re collocatur; ergo in his definitionibus committitur circulus.

Reſp. quod quando definitur genus per ſpeciem, dicendo eſſe id, quod prædicatur de pluribus ſpeciẹ differentibus, ſpecies venit ſub aliquo conceptu rudiori, ſub quo ferè omnibus innoteſcit quid ſit differre ſpecie, putà differre ſecundum eſſentiam, aut differre notabili aliqua diuerſitate: quando definitur ſpecies per genus iam meritò ſupponitur notum quid ſit genus, quandoquidem ipſius definitio definitioni ſpeciei pręluxit. Igitur in forma diſtingue antecedens: definitur genus per ſpeciem; acceptam ſecundum cognitionem ſcientificam: nego; acceptam ſecundum notitiam rudiorem, & omnibus notam: concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad committendum circulum oportet, vt duo explicentur per ſe inuicem eodem modo cognita. Adde quod ad ſpeciem à nobis hic admiſſam ſufficit quidem definitio, quam primo loco retulimus; in qua nulla fit mentio generis: non autem ſufficiunt aliæ duæ, in quibus definitur ſolum per ordinem ad genus.

Obijcies tertio. Ex definitione ſpeciei ſcilicet: vnum aptum prædicari de pluribus & differentibus numero in eo quod quid eſt ſequitur hanc rationem: *uiſio albedinis A* conſtituere ſpeciem diuerſam ab hac alia: *Viſio albedinis B*: conſequens eſt abſurdum; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur quia eſſe viſionem albedinis *A* eſt prędicabile in eo quod quid eſt de pluribus numero differentibus, de quibus non eſt prædicabile eſſe viſionem albedinis *B* Idem dic

vice

vice versa de visione albedinis *B*, quæ est prædicabilis de pluribus numero differentibus, de quibus non est prædicabilis visio albedinis *A*, ergo visio albedinis *B* & visio albedinis *A* constituunt duas species. Antecedens probatur, quia sunt possibiles infinitæ visiones albedinis *A*, quæ non sunt visiones albedinis *B*; & è conuerso; ergo esse visionem albedinis *A* est prædicabile de pluribus numero differentibus in eo quod quid est, de quibus non est predicabile esse visionem albedinis *B* & è conuerso.

Resp. negando sequelam maioris. Ad probationem distinguo antecedens: esse visionem albedinis *A* est prædicabile de pluribus in eo quod quid est: prædicatione propria scientiæ nego antecedens: alio genere prædicationis: concedo antecedens, & nego consequentiam. Difficultas proposita magis explicabitur questione sequenti vbi apparebit in visione albedinis *A* nullam esse dissimilitudinem à visione albedinis *B* cum igitur scientiæ comparent essentias rerum sesecundum quod dissimiles sunt, non ponderant in visione albedinis *A* quod sit potius albedinis *A* quam albedinis *B*, attentendentes solum quod sit visio albedinis. Ratio autem cur visio albedinis *A* nihil differat à visione albedinis *B*: est quia ipsa albedo *A* nihil differt ab albedine *B* rationes autem respectiuæ similitudinem aut dissimilitudinem, sortiuntur à terminis quos respiciunt; & cõsequenter duæ visiones respicientes terminos omnino similes sunt etiam ipsæ similes.

QVAE-

QVAESTIO III.

Sit ne possibilis species immultiplicabiles.

ARTICVLVS I.

Statuitur conclusio negatiua.

Rerum aliæ sunt corporeę, seu materiales; aliæ incorporeæ,& immateriales. In qualibet specie rerum materialium possibilia esse plura indiuidua; vix,aut ne vix quidem est, qui controuertat. Res autem,siue substantias adæquatè immateriales, cuiusmodi sunt Angeli, esse intra eandem speciem immultiplicabiles; hoc est substantias adęquatè immateriales esse singulas essentialiter adæquate totam speciem; docent communiter Thomistæ; itaut repugnet simpliciter,& absolutè Angelus eiusdem speciei cum Michaele: & sic de cæteris.

Fundamentum huius sententiæ maximè prioristicum est quod indiuiduorum multiplicatio intra eandem speciem petatur à materia physica: sed substantiæ omnino immateriales excludunt à se omnem materiam physicam: igitur excludunt vnde intra eandem speciem multiplicentur. Multiplicátur autem indiuidua intra eamdem speciem per materiam,non quomodocunque sed per materiam sigillatam: per hoc enim, quod hæc forma ad hanc; illa ad illam sigillationem ex se ordinetur; hæc forma est hæc, & illa est illa

illa. Vbi vero non est materia, ibi nec materiæ sigillatio; adeoque nec formarum multiplicatio. Habetur, aiunt, hæc doctrina ex ipso Porphyrio in definitione indiuidui: *Quod ex proprietatibus constat, quarum collectio numquam in alio erit eadem.* Quam collectionem alibi comprehendimus hoc versiculo: *Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus.*

Verum si indiuiduum consideres sub ratione, sub qua definitur à D. Thoma: *indiuisum in se, & diuisum à quocunque alio*; non habes vnde ex ratione indiuidui dicas hoc multiplicari per ordinem ad diuersas sigillationes materiæ: imo sic philosophaberis. Tam substantia materialis *A* est per seipsam substantia materialis *A*; quam substantia immaterialis *A* est per seipsam substantia immaterialis *A*: ergo tam perseipsā substantia materialis *A* est distincta ab omni alio; quam per se ipsam substantia immaterialis *A* est distincta ab omni alio: hæc per se ipsam formaliter indiuiduatur, & est hæc: ergo & illa. Atque hic conceptum indiuidui metaphysicum retines, ex quo nihil habet Aduersarius pro sigillatione, quæ in indiuiduis materialibus ponitur purè pro indiuiduatione sensibili, & reddente indiuidua discernibilia quoad nos: quorum in intellectu nihil est, quod prius non fuerit in sensu.

Probatur ergo conclusio, quia prædicatum immultiplicabilitatis fundari debet in aliquo alio prædicato talis creaturæ, quæ dicitur immultiplicabilis; seu in aliquo prædicato, quod sit essentialiter exigentia immulti-

tipli-

tiplicabilitatis: sed tale prædicatum nequit dari in vlla creatura: ergo nulla est creatura essentialiter immultiplicabilis. Explicatur hoc, & probatur, quia dicere, quod non potest fieri vllus Angelus similis Michaeli, & non afferre in Michaele vllam rationem excludentem similitudinem omnis alterius secum; est gratis dicere, & coarctare diuinã omnipotentiam: debet enim in hoc obiecto: *Angelus similis Michaeli* ostendi repugnantia, vt ostendatur esse impossibile: quænam autem repugnantia assignari potest?

Dices: hoc ipsum prædicatum *immultiplicabilitatis* est essentialiter exclusiuum cuiuslibet alterius indiuidui intra eandem speciem: ergo in creatura immultiplicabili reperitur prædicatum riddens hoc obiectum chimericum: *Angelus similis Michaeli.* Conseq. est euidens. Da enim Michaelem esse immultiplicabilem secundum speciem, & simul pone Angelum similem Michaeli; eo ipso ponis Michaelem immultiplicabilem, & non immultiplicabilem secundum speciem: & alterum Angelum similem, & non similem Michaeli.

Resp. idem etiam dicturum, qui substantiam aliquam materialem ponet essentialiler immultiplicabilem. Prædicatum enim immultiplicabilitatis, vbicunque sit, est exclusiuum cuiuslibet alterius indiuidui intra eandem speciem. Concedo igitur quod prædicatum immultiplicabilitatis excludit omne aliud indiuiduum eiusdem speciei; sed propterea nego hoc prædicatum immultiplicabilitatis: vt autem probetur inesse Angelo; oportet vt probetur per aliquod aliud

præ-

prædicatum Angeli: hoc autem aliud prædicatum nequit afferri, vt probabitur solutione obiectionum, in quibus afferentur, & euertentur fundamenta Aduersariorum.

ARTICVLVS II.

Respondetur obiectionibus.

OBijcies primò. Non est coarctanda diuina omnipotentia: ergo non est negandum, quod, præter omnes alias species multiplicabiles, possit etiam creare aliquam speciem immultiplicabilem. Conseq. probatur, quia qui dicit Deum posse creare omnes species multiplicabiles; & præterea aliquas immultiplicabiles: magis ampliat diuinam omnipotentiam, quam qui dicit Deum posse creare solum species multiplicabiles: ergo qui negat Deum posse creare species immultiplicabiles coarctat diuinam omnipotentiam.

Resp. hoc argumentum, quod æque fieri posset pro immultiplicabilitate substantiæ materialis, laborare in æquiuoco. Species de quibus disputatur an sint multiplicabiles, an immultiplicabiles, ab vtraque parte litigantium admittuntur. Puta vtraque pars concedit dari substantias adæquate immateriales, quales sunt Angeli. Hoc ex vtraque parte supposito; qui admittunt species immultiplicabiles, singulas species coarctant ad singula indiuidua; qui negant, in singulis speciebus infinita indiuidua admittunt. Videat iam æquus Iudex vtra pars coarctet, vtra amplificet diuinam omnipotentiam.

In

In forma ad argumentum: con ant. & nega conseq; ad cuius probationem: nega ant. Qui admittit species immultiplicabiles, eo ipso non admittit omnes species multiplicabiles, quæ ab alio admittuntur; cum alius illas species vt multiplicabiles admittat, quæ ab ipso ponuntur immultiplicabiles.

Obijcies secundo. Formę non multiplicantur numero, nisi per multiplicationem subiectorum: ergo formæ, quæ non sunt in subiecto, nequeunt multiplicari numero; sed huiusmodi sunt substantiæ adæquate immateriales: ergo substantiæ adæquatè immateriales non multiplicantur numero. Ant. probatur, quia albedo, quæ est in lacte; & albedo, quæ est in niue, sunt duę albedines per hoc, quod vna sit in lacte, & altera sit in niue: ergo formarum multiplicitas habetur formaliter per multiplicationem subiectorum.

Resp. neg. ant. ad cuius probationem iterum: nego ant. Quælibet forma, secundum se precise accepta, habet suam vnitatem numericam; imo est sibi sua vnitas numerica, suaq; indiuiduatio metaphysica. Albedo *A* & albedo *B* secundum se præcise acceptæ sunt duę albedines, quamuis iner se omnino similes; nec enim omnimoda similitudo tollit pluralitatem: imo similitudo omnimoda ponit pluralitatem; cum repugnet nisi inter plura.

Obijcies tertio Differre numero est differre materialiter: substantiæ immateriales nequeunt differre materialiter: ergo substantiæ immateriales nequeunt differre numero.

Resp. omissa mai. neg. min. Non quotief-

tiescunque ponitur hæc vox : *materialiter*, ponitur vt appellet materiam physicam. Indiuidua eiusdem speciei dicuntur differre materialiter, quia non differunt secundum essentiam; hoc est secundum prædicata definitiua, cum in vna eademque difinitione omnia conueniant. Quod si per li *materialiter* intelligat Aduersarius differre secundum materiam physicam, vel secundum ordinem intrinsecum ad materiam physicam, nega quod differre numero sit differre materialiter. Plura indiuidua eiusdem speciei dicuntur esse maior perfectio materialiter; non autem formaliter: siue illa indiuidua sint in genere substantiæ materialis, siue in genere immaterialis; quia videlicet in pluribus perfectio est pure extensiuè maior, non autem intensiue (sermo est de perfectione essentiali) puta omnes homines simul non plus habent perfectionis intensiue, quam vnicus homo: habent tamen plus extensiue, quia sunt infinities eadem perfectio. Idem dic de infinitis Angelis similibus Michaeli.

Addo quod, secundum D. Thomam, etiam substantiæ immateriales differunt inter se materialiter; quod vt intelligas: scire debes, quod S. Doctor passim, & præcipue prima parte, quæstio. 14. art. 1. corp. docet Deum esse in summo gradu immaterialitatis; quia scilicet, vt alibi explicat, nulla est in Deo potentialitas: siue Deus, cum sit plenitudo totius perfectionis, non est vlterius per vllã formam perfectibilis. Cætera autem omnia, cum sint in potentia ad vlteriorem perfectionem; ideoque habeant aliquid potentialitatis, non sunt in eodem gradu immateria-

lita-

litatis cum Deo. cum autem, præcipue apud Thomistas, materia sit pura potentia; quæcunque sunt aliquo modo in potentia, participiant aliquid de ratione materiæ, saltem analogice, & per quandam proportionem: itaut fere idem sonet apud Doctorem Angelicum habere aliquid materialitatis, quod habere aliquid potentialitatis.

Hinc facies hoc argumentum. Substantiæ immateriales habent aliquid potentialitatis: potentialitas est aliqua materialitas: ergo substantiæ immateriales habent aliquid materialitatis. D. Thomas concedet totum, & benè. Ex opposito pro Deo sic arguet: quod non habet vllam potentialitatem, non habet vllam materialitatem: Deus non habet vllã potentialitatem: ergo non habet vllam materialitatem. Rursus: quod excludit à se omnem materialitatem, est in summo gradu immaterialitatis: ergo Deus est in summo gradu immaterialitatis. Propositio supra posita: *Substantiæ immateriales habent aliquid materialitatis*, non debet esse mirabilis, nisi non intelligentibus.

Suppnne iam nomine substantiæ existentis in hoc vel illo gradu immaterialitatis venire substantiam per comparationem ad materiam physicam, quam excludat: & vide quam ineptum sit dicere Deum esse in summo gradu immaterialitatis; Angelos vero non in eodem esse gradu; inter se autem suscipere magis vel minus, prout sunt magis vel minus perfecti, Ineptum est, inquam dicere Deum esse in altori gradu immaterialitatis, quam vel minimus Angelus: cum nec minimus Angelus vel atomum materiæ admit-

admittat; tam enim minimus Angelus excludit à se omnem materiam physicam, quam Deus. Intelligendo autem materialitatem, & immaterialitatem secundum modum, quem ex D. Thoma retulimus; rectè dicitur hæc & illa esse in maiori, vel minori gradu immaterialitatis.

Ex hac ipsa materialitatis & immaterialitatis explicatione facile est euertere alia fundamenta opinionis oppositæ. Ex hoc enim quod Angeli habeant potentialitatem, vt omnes concedunt; sequitur eos esse capaces accidentium, quibus perfici possunt: quando enim dicuntur vlterius perfectibiles, sermo est de perfectione accidentali, cum essentialis non intendatur. Explicatur hoc, quia inter præcipua fundamenta opinionis aduersæ est, quod indiuidua intra eandem speciem debent esse inter se discernibilia: sed hoc ipso, quod substantiæ immateriales sunt capaces accidentium, sunt inter se discernibiles: ergo &c. minor probatur, quia, quemadmodum in substantijs materialibus diuersa collectio accidentium materialium discriminat vnam ab altera; ita etiam diuersa collectio accidentium immaterialium vnam substatiã immaterialem ab alia immateriali discriminabit.

Dices: substantiæ debent esse inter se discernibiles pro priori ad quamlibet collectionem accidentium: ergo discernibilitas, quæ petitur ex accidentibus, est insufficiens. Antec. probatur, quia debent esse discernibiles per se, & secundum essentiam. Confirmatur, quia Deus ipse quemlibet Angelum à quolibet discernit, sed secundum hanc &

illam essentiam, secluso omni accidente: ergo secluso omni accidente datur aliqua inter hunc, & illum Angelum dissimilitudo. Probatur hæc vltima Conseq; Datur inter hunc, & illum Angelum discernibilitas: sed omnis discernibilitas est aliqua dissimilitudo: ergo & inter hunc, & illum Angelum datur aliqua dissimilitudo.

Resp. primò hæc omnia sufficienter à nobis impugnari; vbi statuimus inter indiuidua eiusdem speciei non solum non dari, sed repugnare quamlibet dissimilitudinem entitatiuam. Resp. secundo quod, etiamsi esset inter indiuidua eiusdem speciei necessaria aliqua dissimilitudo, tam posset reperiri inter indiuidua immaterialia, quam inter indiuidua materialia. Ratio est, quia quemadmodum indiuidua materialia dissimilantur per hoc, quod dicant ordinem intrinsecum ad diuersa accidentia materialia; ita possunt immaterialia dissimilari per ordinem, quem dicant ad accidentia immaterialia. Atque hic obiter nota æquiuocationem qua laborant Aduersarij, vt contra nos pugnent. Toti enim sunt in enumerandis quibusdam accidentibus, per ordinem ad quæ nequeunt dissimilari. Puta considerant circumstantias quasdam temporis, & loci; quæ cum non possint esse eædem duorum materialium, possunt tamen esse eędem duorum immaterialium: & quia in huiusmodi circumstantijs possunt vniri duo immaterialia; ideoque per ordinem ad tales circumstantias nequeunt inter se discrepare, inferũt immaterialia simpliciter, & absolute nõ pos- [illegible]

Rem explico. Petrus, & Paulus possunt intra eamdem speciem esse numero differentes; quia v. g. Petrus exigit in sui primo esse existere in tali loco: nequit autem pro eodem tempore exigere esse in hoc eodem loco Paulus; quia videlicet duæ substantiæ materiales nequeunt simul esse in eodem loco. At vero cum substantiæ immateriales, puta Gabriel, & Raphael, possint esse in eodem loco; ex hoc quod petatur hic locus à Michaele, non excluditur ab hoc eodem loco Gabriel: sed ambo petere possunt eumdem locum, eodem tempore; & consequenter alter ab altero non discernitur per hoc, quod hic ad hunc; ille ad illum locum ordinem habeat.

In hoc discursu non pauciora sunt peccata, quam verba. Primò enim sine vllo fundamento dicitur, quod Petrus petat in sui primo esse existere in hoc potius, quam in vllo alio loco: est enim ridiculum ex terminis dicere, quod si in alia domo conceptus, vel natus esses; quam in ea, in qua conceptus, vel natus es; vel non æque naturaliter esses, ac es; vel non fores ille idem homo, qui es. Et sic de cæteris: nec aliud afferri ab Aduersarijs fundamentum, quam veritatem suppositam suæ conclusionis. Secundò gratis assumitur, vt indubitatum substantias immateriales posse ex natura rei esse duas in eodem loco: quàmuis experientia doceat nos dumtaxat circa corporea, quod penetrari non possint; non tamen inde fit euidens substantias immateriales posse esse plures in eodem loco. Imo hoc negatum inuenies apud multos,

eosque magni nominis Theologos.

Tertiò ineptum est ex eo, quod non inueniam in circumstantijs assignatis à Porphyrio pro substantijs materialibus rationem indiuiduantem Angelos; negare quod possint Angeli indiuiduari per ordinem ad accidentia: poterunt enim indiuiduari per hoc, quod vnus dicat ordinem ad hæc, alius ad hæc alia accidentia spiritualia: & eodem iure, quo dicet Aduersarius hęc accidentia esse indifferentia ad hunc, vel illum Angelum; dices tu illa alia esse indifferentia ad hunc vel illum hominem. Denique ad argumentum in forma dist. ant. debent esse discernibiles pro priori ad quamlibet collectionem accidentium, & à quolibet intellectu: nego ant. ab aliquo intellectu: conc. ant. & nego cons. Ly *discerni*, potest esse occasio alterius ęquiuocationis. Si enim discerni nihil aliud est, quā terminare cognitionē dicentem: *hoc, & illud*. sunt discernibiles eo ipso, quod faciunt numerum; nam eo ipso, quod sunt, est: *hoc & illud*. Si autem per ly *discerni* idem intelligat Aduersarius, quod terminare cognitionem dicentem: *hoc est dissimile* illi, neq; Deus discernit inter Indiuidua eiusdem speciei. Sed hoc secundum non est discernere, sed decipi; quod propterea merito negatur Deo.

Ad id, quod dicitur, quod Deus ipse quēlibet Angelum à quolibet discernat, non per accidentia, sed per se, hoc est per hanc, & illam essentiam; adeoque dari discernibilitatem: vltrò concedimus: eo enim ipso, quod datur numerus, datur discernibilitas. Ad id autem, quod dicitur: omnis discernibilitas

bilitas est aliqua dissimilitudo, negamus: nã numerus, & distinctio dicit discernibilitatẽ: numerus , & distinctio non dicit necessario dissimilitudinem : ergo discernibilitas non dicit necessario dissimilitudinem. Quod numerus , & distinctio non dicat dissimilitudinem ; manifestum est, quia similitudo, ex ratione præcisa similitudinis, est numerus, distinctio, pluralitas : ergo numerus, distinctio , pluralitas non dicunt necessario dissimilitudinem .

Ex his omnibus habes, controuersiã inter nos,& Aduersarios reduci ad hoc punctum: an quælibet res sit se ipsa formaliter hæc potius.quam illa? & an esse hanc potius quam illam haberi possit cum omnimoda similitudine. Primam partem non audent negare ; secundam probabimus vlterius , vbi de differentia specifica, & de indiuiduo.

QVAESTIO IV.

De Differentia.

ARTICVLVS I.

Afferuntur aliquæ definitiones differentiæ.

Diuiditur à Porphyrio differentia in communem, propriam, & propriissimam . Communis est illa, per quam vnum ab altero differt secundum accidens non necessario profluens ab essentia, & ab eadem separabile : putà si Petrus à Paulo per albedinem : Propria est perquam vnum

ab altero differt secundum accidens quidem, sed necessario profluens ab illius essentia, & ab eadem inseparabile: puta homo ab equo per risibile. Quamuis enim risibile sit aliquid supra essentiam hominis; tamen est aliquid ab ipsa necessario profluens, & ab ipsa essentialiter inseparabile. De hac vtraque differentia, quarum altera cum accidente, altera cum proprio coincidit, agemus in sequentibus. Hic vero agendum est nobis de proprijssima, per quam nimirum vnum ab altero differt essentialiter & non per accidens.

Definitur autem differentia primò sic. Differentia est quæ de pluribus & differentibus specie in eo quod quale quid est prædicatur. Per hoc quod de pluribus prædicetur conuenit cum alijs prædicabilibus: per hoc quod in eo quod quale quid; ab ijsdem disconuenit. Hæc definitio Porphyriana satis communiter reijcitur à Philosophis vtpote non conueniens differentijs infimis, quæ tamen sunt proprijssimè differentiæ. Non enim conuenit rationali quod non prædicatur de pluribus differentibus specie, sed solum de indiuiduis humanis, quæ non differunt nisi numerice; hoc est quæ nullam inter se dissimilitudinem essentialem habent sed pure & præcise distinctionem. Non conuenit hinnibili, quod non prædicatur nisi de indiuiduis equinis & sic de cæteris.

Tam rationale quã hinnibile vsurpantur hic pro differentijs per quas homo & equus essentialiter differunt ab omnibus alijs. Hoc tamen, an ita sit, dubitari posset: sed quia in exemplis ad claritatem magis quam ad

veri-

veritatem attenditur; ideo hic nobis vt alij loquuntur loquendum est.

Vt autem intelligas quid hic appellemus nomine differentiarum infimarũ: scire debes, quod quemadmodum species diuisa est à nobis in infimam & suabalternam; ita etiam differentia ipsa diuiditur in infimam & subalternam. Differentia subalterna est illa quæ cum genere constituit speciem subalternam: ita se habet sensitiuum respectu viuentis; viuens enim est genus respectu sensitiui & non sensitiui; cum primo constituit Animal; cum secundo Plantam. Animal autem quod per viuens tamquam per genus, & per sensitiuum tamquam per differentiam constituitur species, est species subalterna: vt alibi dictum est: adeoque ratio sensitiui est differentia subalterna. Differentia infima est illa quæ simul cum genere constituit speciem infimam: puta: rationale; quod cũ animali constituit hominẽ: hinnibile; quod cum animali constituit equum: quæ sunt species infimæ, hoc est prædicabiles de pluribus pure distinctis.

Scotus, & alij cum ipso dicunt definitionem allatam ex Porphyrio esse insufficientem: vel quia ipse Porphyrius solum definierit differentias subalternas; ratus cum Platonicis præter has, nullas alias dari; vel quia non satis accuratus fuerit in definiendo: propterea vel remouendæ sunt, aiunt illi, à definitione allata, hæ particulæ: *differentibus specie*, vel addendum: *aut numero*: quibus mutatis habes vel hanc definitionem: *Differentia est quæ de pluribus in eo quod quale quid est prædicatur.* Vel hanc aliam:

Differentia est quæ de pluribus differentibus specie, aut numero, in eo quod quale quid est prædicatur.

Prædicari autem in eo quod quale quid est, est prædicari per modum partis essentialis, determinantis genus ex se indifferens ad hanc vel illam speciem. Ita rationale prædicatur de homine in *quale*, quia sicut interroganti; quid sit homo: recte respondes per genus dicendo: *est animal*: ita inquirenti: quale animal? recte respondes per differentiam, dicendo: est *rationale*. Dicitur autem prædicari in quale non quomodocunque sed in quale quid, quia prædicatur in quale constitutiuum essentiæ.

Definitur secundò, differentia eodem cap. introductionis, *Id quo species abundat à genere*. Quia nimirum differentia quæ cum genere constituit speciem est aliquid supra genus; ideoque species per ipsam abundat à genere. Homo enim plus habet quam animal; cui videlicet superaddit rationale.

Definitur tertio. *Id quod aptum est diuidere ea quæ sub eodem genere sunt*. Cum enim genus; puta *animal* sit aliquod totum potestatiuum contrahibile per has & illas rationes; diuiditur per differentias; & per rationale v. g. contrahitur ad hominem, per hinnibile ad equum, per rugibile ad leonem, & sic de cæteris.

Definitur quarto. Id quo differunt à se singula. Quæ definitio vt conueniat differentiæ essentiali per li *differunt* intelligendum est: differunt essentialiter. Homo & equus, ait Porphyrius, secundum genus non differunt: nam & homo est animal; & equus est animal

animal : ſed homo & equus per rationale & irrationale diſcriminantur.

Denique dicit Porphyrius differentiam eſſe non quodlibet eorum quæ diuidunt genus; ſed quod ad eſſe conducit, & quod quid erat eſſe, & quod rei pars eſt : hoc eſt quod ita diuidit genus, vt ſimul ſit pars eſſentialis conſtitutiua totius, adueniens quidem generi, quod diuidit; ſed per modum compartis, conſtituentis cum ipſo vnum, & determinantis ipſum ad hanc vel illam ſpeciem entis.

ARTICVLVS II.

Reſpondetur Obiectionibus.

OBijcies primò. Eſſe id, quo ſpecies abundat à genere. Eſſe aliquid ſupra genus; & alia huiuſmodi quæ dicuntur de differentia, denotant diſtinctionem inter differentiam & genus: hoc autem negatum eſt à nobis vbi de gradibus metaphyſicis; ergo definitiones prædictæ non valent.

Reſp. non eſſe negatam à nobis diſtinctionem formalem & logicam, ſeu rationis: quando autem dicitur differentia eſſe ſupra genus, & alia huiuſmodi: intellige, vt alibi explicatum eſt à nobis, de abundantia rationis. Et ſic de cæteris.

Obijcies ſecundò. Definitio Porphyrij de differentia, ſine vlla mutatione, optime conuenit differentiæ ſubalternæ; ergo differentia ſubalterna ſe ſola conſtituere poteſt vnum prædicabile : rurſus eadem definitio non conuenit differentiæ infimæ, igitur admittẽ-

da est alia quæ constituet alterum prædicabile: & consequenter differentia subalterna, & differentia infima erunt duo distincta predicabilia. Confirmatur quia dantur duo prædicabilia in quid; genus scilicet, & species; ergo debent dari duo prædicabilia in quale quid. Consequentia probatur quia ideo dantur duo prædicabilia in quid, quia alterum, videlicet genus, prædicatur de dissimilibus: puta animal, de homine & equo; alterum, videlicet species, solum de similibus: puta homo de Petro, Paulo & alijs: sed etiam differentia subalterna: puta sensitiuũ, prædicatur de dissimilibus, videlicet de homine & equo: differentia vero infima prædicatur solum de similibus: puta rationale de Petro Paulo & alijs; ergo tam debent dari duo prædicabilia in quale quid, quam duo prædicabilia in quid.

Resp. Non esse dubium discrimen quod affertur in obiectione inter differentiam subalternam & differentiam infimam; & consequenter potuisse vtramque sua speciali definitione definiri; melius tamen est vtramque vnica definitione comprehendere; adeoque non diuidere differentiam induo prædicabilia: quia in diuisionibus fere arbitrarijs, qualis est diuisio prædicabilium; melius est stare iam factis quam facere nouas; cum præcipue diuisiones iam factæ sine incommodo sustineri possunt. Ad confirmationem quæ petitur à paritate duorum prædicabilium in quid: omitte antecedens; & nega consequẽtiam. Ad probationem nega maiorem. Ratio cur geminentur prædicabilia in quid, non est illa quæ affertur in obiectione, sed alia:

nimi-

nimirum; quia genus prædicatur per modum partis determinabilis, species autem per modum totius essentiæ, vt de facto est tota essentia indiuiduorum. At vero differentia tam infima quam subalterna prædicatur per modum partis determinantis genus ad speciem; adeoque est in vtraque idem modus prædicandi. Quemadmodum igitur non ponuntur duo prędicabilia alterum pro genere subalterno, alterum pro infimo: nec alia duo, alterum pro specie subalterna, alterum pro infima: ita nec debent poni duo pro differentia, alterum pro subalterna, alterum pro infima.

QVAESTIO V.

De differentia specifica.

ARTICVLVS I.

Proponitur prima sententia circa differentiam specificam.

QVid sit differre specie facile rudes, sed rudiser intelligunt; difficile explicant sapientes. Alienas sententias de hac re referemus & refellemus; nostrā vltimo loco modestè reseruantes. Primo loco sit sententia S. Bonauenturæ quam multi in Schola Seraphica ingeniose tuentur. Ea, inquit Doctor Seraphicus: specie differunt, quæ differunt secundum prædicatum præcipuum, seu nobilissimum; differunt, vero solum numerice, quorum differentia non est

in huiusmodi prædicato; cum alioquin sint in genere eodem: Homo v. g. specie differt ab equo quia differt per rationale quod est prædicatum præcipuum & nobilissimũ quod sit in homine. Petrus & Paulus in hoc nobilissimo prædicato concordes, solum numerice differunt.

Impugnatur hæc sententia primò quia ex hac sequitur omnes Angelos esse eiusdem speciei: quia omnes conueniunt in prædicato nobilissimo, seu præcipuo: quod est prædicatum intellectiui. Ita autem desinire differentiam specificam vt tenearis concedere omnes Angelos esse in vna eademque specie, non est paruum inconueniens; quamuis hoc vltro concedat auctor prædictus.

Præterea non solum omnes Angeli inter se; quod putamus absurdum, sed homines & Angeli essent eiusdem speciei; quod nemo concedet: sequela probatur. Quia intellectiuum prædicatur non solum de Angelis, sed etiam de hominibus, & consequenter homines & Angeli in prædicato intellectiui concordant; hoc autem est nobilissimum, conueniunt igitur in prædicato nobilissimo.

Dices non conuenire hominem cum Angelo in prędicato intellectiui: quia intellectiuum hominis est dependenter à sensibus; iuxta illud: *nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*: intellectiuum autem Angeli est à sensibus independens.

Resp. quod quamuis intellectiuum hominis contrahatur ad vnam rationem, & intellectiuum Angeli ad aliam, imo ad oppositam, non propterea homo & Angelus non conueniunt in prædicato intellectiui: sicut quamuis

quamuis animal in homine contrahatur ad rationale; in bruto autem ad irrationale: non propterea homo & brutum non conueniunt in animali. Solum habes intellectiuum hominis, & intellectiuum Angeli esse realiter inter se diuersa; sicut realiter diuersa sunt animal quod est in homine; & animal quod est in bruto: sed hoc non facit quin homo & Angelus confundantur in conceptu intellectiui; sicut homo & brutum confunduntur in conceptu animalis.

Præterea impugnatur prædicta sententia hoc pacto: sint duæ cognitiones quarum altera sit de Deo & Angelo, altera de Deo & equo. Hæ cognitiones differunt specie, nec tamen differunt in prædicato nobilissimo; ergo differre specie non est differre in prædicato nobilissimo. Antecedens probatur quia prædicatum præcipuum cuiuslibet ex prædictis cognitionibus est esse expressiuam Dei: hoc autem est vtrique commune; quamuis inter se discrepent per hoc quod altera sit insuper Angeli & altera equi.

Aduertendum èst hic obiter sententiam hanc D. Bonauĕturæ male impugnari à nonnullis. ex eo quod sæpe ratio generica diuidatur per contradictoria; hoc est differentias ex vna parte positiuas, & ex altera negatiuas. Exemplo rem intelliges. Aliquando prædicamentum substantię sic distribuitur. *Substantia: alia est animata, alia non animata. Animata: alia sensitiua, alia non sensitiua. Sensitiua: alia discursiua, alia non discursiua.* Ex hac logicali diuisione sic aliqui contra D. Bonauenturam. Prædicatum illud differentiale: *non animata*: non est

tantæ

tantæ perfectionis quantæ est illud: *substantia*; imo prædicatum illud: *non animata* præcise secundum se consideratum, cum sit pura negatio; non est vlla perfectio. Similiter predicatum illud: *non sensitiua* non est tantę perfectionis, quantæ ist illud: *animata*, &c. ergo falsum est prædicatum differentiale consistere in prædicato precipuo: & consequenter falsum est quod differre specie sit differre penes prædicatum præcipuum.

Hæc impugnatio non subsistit: nam substantia non animata non differt ab animata per hoc præcise quod ipsa non sit animata: sed per hoc quod, & ipsa non sit animata; & altera sit animata: adeoque differt ab altera in prædicato nobilissimo animatæ. Idem dic proportionaliter de alijs. Differentia igitur includit duo extrema, quorum vni conueniat aliqua ratio, quę non conueniat alteri; adeoque dum queris differentiam specificam non debes attendere præcise an ratio generica contrahatur in hoc extremo per hanc rationem; sed etiam an non per eamdem contrahatur in altero: vbi vides rationem genericam contrahi in vno extremo per aliquam rationem, quæ non reperitur in altero: dic illa duo differre; non per hoc præcise quod alterum includat talem rationem, nec per hoc præcise quod alterū hac ratione careat; sed indiuisibiliter per vtrunque: videlicet: quod & alterum habeat, & alterum non habeat rationem prædictam.

Secunda Sententia satis communis inter recentiores est ea differre specie, quæ differunt notabiliter; ea vero quæ non notabiliter differunt differre pure numerice. Quod si

petas

petas quid sit differre notabiliter; respondent standum esse indicio prudentum, qui libratis hinc inde perfectionibus entitatiuis obiectorum pronunciare debent, an diuersitas inter ipsa sit notabilis, an secus.

Est qui hanc notabilem differentiam sic explicet. Ea notabiliter differunt quibus inest capacitas intrinseca terminandi iudicium quod multum differant; iudicium inquam, elicitum ab intellectu bene penetrante naturam obiecti. Hoc est, ni fallor; ea notabiliter differunt quæ per iudicium verum affirmantur notabiliter differre. Hac oratione nihil est verius; nihil quod minus rem explicet. Eodem modo potes quamlibet rem etiam tibi ignotissimam definire. Interrogatus quid sit musica: responde: est id quod per iudicium verum affirmatu. esse musica. Et hunc modum definiendi vt ve calleas; recte omnia definies, nihil intelligendo.

Probant tamen hanc sententiam argumentis partim negatiuis, partim positiuis. Negatiuis; quia inquiunt non est aliter definibile quid sit differre specie; ergo prædicta definitio est bona. Falsitas antecedentis patebit infra. Positiuis; quia inquiunt per huiusmodi definitionem optimè redditur ratio cur multa secundum vnam considerationem dicantur diuersa specie; secundum alteram dicantur eadem, v.g. circulus aureus, & circulus ferreus secundum considerationem physicam differunt specie: sunt idem specie secundum considerationem mathematicam: quia nimirum Physica considerans non rationem figuræ, sed corpus, cui inest figura, figura, inuenit inter aurum, & ferrum notabile

tabilem diuersitatem: Mathematica verò, quæ non corpus, cui inest figura, sed figuram ipsam considerat; non inuenit inter circulum, & circulum vllam notabilem, imò non inuenit vllam diuersitatem.

Hoc secundum argumentum nihil valet: quamcumq; enim differentiæ definitionem admittas, & in quocumq; prædicato consistat differentia specifica, eadem facilitate explicabis cur circulus aureus à ferreo physicè differat, non autem mathematicè.

ARTICVLVS II.

Impugnatur secunda sententia.

PRima impugnatio sententiæ secundo loco propositæ sit ea, quam insinuauimus supra; quia videlicet per illam non explicatur ratio definita. Quando enim quæritur quid sit differre specie, quæritur quid sit differre notabiliter; nam differre specie ab *A*, videtur formaliter idem, ac habere ab *A*, spectabilem, seu notabilem diuersitatem: dicere igitur ea differre specie, quæ notabiliter differunt iudicio prudentum; est dicere, quod ea differũt specie, quæ prudentibus videntur differre specie. Quærimus autem hic, in quo consistat illa differentia, quã prudentes specificam, & notabilem debeant appellare.

Impugnatur secundò, quia si differentia specifica consisteret in diuersitate notabili sequeretur posse duo esse eadem specie cum vno tertio, & diuersa specie inter se: consequens est absurdum; ergo & antecedens. Minor probatur, quia quemadmodum quæ sunt eadem vni tertio simpliciter, sunt eadem

dem inter se simpliciter; ità quæcumq; sunt eadem specie vni tertio, debent esse eadem specie inter se. Sequelam autem maioris probant quia contingere potest, quod *A*, & C, notabiliter inter se diuersa, ambo careant diuersitate notabili respectu *B*, & consequenter quod *A*. & *C*. identificentur specie cum *B*; inter se autem specie differant.

Claro, & facili exemplo rem intelliges, accipiendo tres colores ità inter se distributos, vt duo extremi à se inuicem notabiliter differant; vterq; autem cum medio careat diuersitate notabili. Vel si tres colores non sufficiant, accipe plures, itaut ab vno extremo paulatim deuenias ad aliud extremum notabiliter diuersum, & consequenter ita vt duo extrema inter se comparata notabiliter differant, quamuis comparata cum intermedijs talem diuersitatem non habeant.

Hæc impugnatio facile inueniet solutionem. Nam aduersarius concedet sequelam maioris, & negabit minorem. Concedet quod quæcumq; identificantur realiter vni tertio identificantur inter se; negabit hinc sequi, quod quæcumq; identificantur specie cum vno tertio, debeant identificari specie inter se. Exemplum non in ratione specifica, sed in generica habes in promptu. Homo conuenit cum bruto in ratione animalis; conuenit cum Angelo in ratione intellectiui: conueniunt igitur brutum, & Angelus in quadam ratione generica cum vno tertio; & tamen in ratione generica non conueniunt inter se; ergo possunt duo habere identitatem genericam cum vno tertio, & carere identitate generica inter se. Ratio

est,

est, quia identitates huiusmodi nihil aliud sunt, quam similitudines quædam: quis autem non capiat, quomodo duo extrema possint habere aliquam similitudinem cum medio, quam non habeant inter se: imò medium sæpissimè fit per admixtionem contrariorum: repugnat autem esse mixtum ex contrarijs, & non habere vllam conuenientiam, aut similitudinem cum vtroq; contrario; cum tamen contraria tali similitudine careant. Ità tepidum est aliqualiter simile frigido, & calido, cum tamen calidum, & frigidum inter se talem similitudinem non habeant.

Standum est igitur impugnationi superius allatæ, quod videlicet quando queritur quid sit differre specie; quæritur, quid sit differre notabiliter, quod non explicatur quando dicitur standum esse iudicio prudentum. Hoc enim ipsum debet assignari quodnam sit illud discrimen inter rem, & rem, quód prudentes vocant notabile; puta inter molossum, & lupum dicunt dari discrimên notabile adeoq; differentiam specificam: inter molossum, & catellum Bononiensem negant.

ARTICVLVS III.

Statuitur nostra, & vera sententia.

DIcendum est differentiam specificam consistere in dissimilitudine essentiali plurium in eodem genere contentorum. Ea inter quæ quærimus differentiam specificam supponuntur esse in eodem genere; quę enim

non

non sunt huiusmodi, non specie, sed genere differre dicuntur. Hoc supposito probatur, & explicatur conclusio. Ad differentiam specificam requiritur aliqua dissimilitudo: non sufficit dissimilitudo accidentalis; ergo requiritur essentialis. Maior est certa etiam apud aduersarios, quorum alij petunt dissimilitudinem notabilem, alij in prædicato præcipuo. Minor autem probatur, quia differentia, seu dissimilitudo, etiam notabilis secundum accidens, conuenit ijs, quæ sunt eiusdem speciei, putà Petro, & Paulo alteri nigro, & alteri albo, alteri recto, alteri gibboso, & clando.

Conceditur igitur requiri dissimilitudinem in essentia. An autem quælibet dissimilitudo sufficiat: alij negant, alij concedunt. Nos asserimus quamlibet dissimilitudinem sufficere ad differentiam specificam: & probamus primo; quia quilibet alius modus explicandi differentiam specificam est insufficiens. Secundò, quia eo ipso quod inter rem, & rem est diuersitas notabilis, est differentia specifica: sed eo ipso, quod inter rem, & rem est dissimilitudo essentialis, est diuersitas notabilis; ergo eo ipso est differentia specifica. Maior est ad hominem contra eos, quos secundo loco retulimus. Minor probatur, quia eo ipso, quod vna essentia est alteri essentiæ dissimilis eo ipso est spectabilis, seu considerabilis aliqua consideratione non attingente aliam, & consequenter eo ipso habet notabilitatem, quæ sufficit ad differentiam specificam. Vbi aduerte nos in hoc differre ab alijs, non quod negemus diuersitatem notabilem esse differentiam

rentiam specificam, sed quod hanc diuersitatem notabilem non remittimus iudicio prudentum; dicentes illa esse diuersa, quæ diuersa videntur prudentibus; quod est nihil dicere; sed diuersitatem illam dicimus consistere in quacumq; dissimilitudine essentiali, seu entitatiua inter rem, & rem. Ità homo, & equus habent diuersitatem notabilem, quia in essentia dissimilantur. Petrus, & Paulus vtcumq; differant in accidentibus non habent diuersitatem notabilem, quia in essentia perfectè conueniunt.

Explicatur iam, & confirmatur ratio adducta. Eo ipso quod vna essentia est alteri dissimilis est definibilis definitione attingente prædicatum, quod conuenit vni, & non alteri; huiusmodi definitio conueniet pluribus numero differentibus in quid; ergo huiusmodi definitio erit definitio speciei: rursus hæc definitio non compræhendit alteram essentiam, nec vllum ex inferioribus rationis, qua exprimitur altera essentia; ergo altera essentia constituit speciem diuersam. Definitio alterius essentiæ eodem modo pertinet ad plura inter se distincta, continetq; sub se inferiora, non tot quin plura. Confer igitur duas istas collectiones indiuiduorum alteram pertinentium ad vnam, alteram pertinentium ad aliam rationem, & habebis duas collectiones entium partim similium, & partim dissimilium in essentia, quod est habere duas species.

Denique probatur prædicta conclusio, quia dissimilitudo in essentia facit differre plusquam numerice: ergo facit differentiam specificam. Antecedens probatur: quia cum omni-

omnimoda ſimilitudine in eſſentiâ datur differentia numerica, ſeu potius diſtinctio: quæ autem non habent omnimodam ſimilitudinem; ſed ſimilitudinem imperfectam manifeſtum eſt; quod magis inter ſe differunt quam quæ habent ſimilitudinem omnimodam. Rurſus quæ habent ſimilitudinem omnimodam cõſtituunt vnam ſpeciem: ratio enim explicans totam eſſentiam hoc modo ſimilium, eſt ratio verè, & propriè ſpecifica. Si igitur dentur duæ rationes, ambæ pertinentes ad infinita inter ſe omninò ſimilia dantur duæ rationes ſpecificæ: quod ſi duæ iſtæ rationes ſpecificæ ſint inter ſe diſſimiles; erunt duæ ſpecies diuerſæ, & conſequenter inferiora vnius rationis, cum inferioribus alterius rationis ſpecie different.

Confirmatur ex Philoſopho, qui 10. Metaph. textu 12. dicit, quòd quæ differunt ſpecie in eodem genere ſunt; genus autem vocat id quo quæ differunt ſecundum ſubſtantiam, idem dicuntur: hoc eſt ea, quæ ſpecie differunt conueniunt in eo quod prædicatur de ipſis ad modum per ſe ſtantis, & in quid; puta, homo & equus, qui ſpecie differunt, conueniunt in animali; quod de homine, & equo prædicatur ad modum per ſe ſtantis, & in quid; cum rationale de homine, irrationale de equo prædicetur per modum adiacentis, & determinantis ipſum animal. Quodlibet autem prædicatum eſſentiale ſupra genus determinat huiuſmodi rationem genericam; & eſt prædicabile de infinitis, in quibus cum prædicta ratione generica reperitur; ergo quodlibet prædicatum eſſentiale

ſupra

supra genus est aptum constituere speciem diuersam ab illa, quæ per prædicatum oppositum cum eodem genere constitueretur.

Idem Philosophus eodem libro 10. Metaph. textu 26. dicit, quòd quæcunq; in ratione contrarietates sunt, specie differentiam faciunt; quæcumq; verò in coassumpto materiæ minimè faciunt. Hoc est quælibet contrarietas secundum illam partem essentię, quę habet rationem formę, hoc est, quę superadditur generi, facit differentiam specificam: Alia autem diuersitas, siue diuersitas, quę est extra essentiam non facit. Ex quibus conclusionem positam sic probabis. Omnis contrarietas in ratione, seu in essentia facit diuersitatem specificam: sed omnis dissimilitudo essentialis est aliqua conrrarietas in ratione, siue in essentia; ergo omnis dissimilitudo essentialis facit differentiam specificam. Minor probatur, quia illud prędicatum essentiale, quod conuenit vni essentię, per quod hęc dissimilatur ab altera, habet eo ipso suum contradictoriũ in altera, aliter vna ab altera non dissimilaretur, v. g. finge rationale, quod est in Petro, esse simul admiratiuum; & per prędicatum admiratiui dissimilari à rationali, quod est in Paulo. Eo ipso quod ita fingis, fingis admiratiuum Petri habere secum identificatum prędicatum admiratiui; & hoc eodem prędicato carere rationale, quod est in Paulo: si enim tam in rationali Pauli, quàm in rationali Petri, ponis admiratiuum non facis vnum ab altero dissimilari in prędicato admiratiui. Sed eo ipso, quod ponis vnum habere, & alterum non habere prędi-

catum admiratiui, facis rationale in duobus, Petro videlicet, & Paulo, contrahi per rationes oppositas, videlicet, per admiratiuum, & non admiratiuum, quę rationes sunt inter se contradictoriè oppositę.

Si igitur quælibet oppositio rationis cum ratione facit hoc & illud differre specie; manifestum est quod dissimilitudo hoc præstat; cum haberi nequeat sine oppositione contradictoria in illo pręd icato secundum quod dicuntur opponi seu dissimilari. Vbi vides nos non metiri hanc dissimilitudinem secundum magnum aut paruum, cum huiusmodi mensuræ sint ineptissimæ ad explicandam rem, de qua hic agimus: facillimum autem sit intelligere quid sit dissimilari in ratione; seu in essentia secundum rationem generi superadditam: ita quidem vt ad id punctum controuersia reduci posse videatur an possiblia sint plura inter se essentialiter omnino similia; in qua controuersia partem affirmatiuam defendimus; cuius veritas patebit ex sequentibus.

ARTICVLVS IV.

An qualibet inęqualitas in perfectione essentiali dicat differentiam specificam & è conuerso.

TItulus articuli duo quærit. Primum est an quęcunque inæqualia sunt in perfectione essentiali, eo ipso sint diuersa specie? Secundum est an quęcunque specie diuersa sunt, eo ipso sint inæqualia in perfectione [illegible]

[illegible]

Dicendum primo. Omnis inæqualitas in perfectione essentiali est diuersitas specifica. Probatur conclusio ex dictis articulo præcedenti. Quæcunque habent dissimilitudinem essentialem habent diuersitatem specificam: quæcunque sunt inæqualia in perfectione essentiali habent dissimilitudinem; ergo quęcunque sunt inæqualia in perfectione essentiali habent diuersitatem specificam. Minor est euidens. Implicat enim vnum ab altero excedi in perfectione essentiali, & habere perfectam similitudinem in essentia cum altero.

Dicendum secundò. Non quęcunque differunt specie, eo ipso inæqualia sunt in perfectione essentiali. Hanc conclusionem sunt qui probent ex relationibus, seu personalitatibus diuinis; quæ sunt inter se omnino æquales in perfectione; & tamen sunt inter se dissimiles; ergo dissimilitudo non dicit necessario inæqualitatem. Huic argumento non est credenda conclusio, facile enim dissoluitur. Nam falsum est personalitates diuinas esse ęquales in perfectione si sermo sit de perfectione ipsarum met personalitatum, secundum quod superadduntur essentiæ. Aiunt enim personalitates nihil dicere perfectionis vt alibi diximus; adeoque non esse neque æquales neque inęquales in perfectione. Quod si sermo sit de perfectione quam habent per identitatem cum diuina essentia: tunc nec huiusmodi perfectio est dissimilis in personis, nec proprie loquendo æqualis: cum sit omnino eadem.

Probanda est igitur conclusio primo ex conceptu dissimilitudinis & inæqualitatis; adeo

adeo autem diuersa sunt & disparata hæc duo: nimirum esse dissimilia, & esse inæqualia; vt etiam quando certi sumus de dissimilitudine duorum, adhuc eodem modo dubitemus de æqualitate vel inequalitate in perfectione. Exemplum habes in coloribus & infinitis alijs huiusmodi. Roga an color viridis, & color flauus, aut ruber, aut croceus sint inter se dissimiles? Omnes affirmant. Roga an sint æqualis vel inæqualis perfectionis: dubitabunt: nec inuenies qui certus de dissimilitudine, sit eo ipso de inæqualitate. Quod si quis affirmet se certum esse, temere affirmat. Atque hic obiter nota frequentissime comparationem quæ fit inter duo extrema ab inquirentibus vtrum sit perfectius, hoc modo resolui: *se habent sicut excedens & excessum.* Hoc est sunt aliquæ perfectiones in vno extremo per quas alterum vincit, sed sunt etiam aliquæ in altero, per quas huiusmodi victoria compensatur. Puta si quis roget vter perfectior sit Petrus ne an Paulus? sæpe respondetur, Petrum esse ingeniosiorem & in hoc prævalere Paulo: Paulum vero esse prudentiorem & in hoc prævalere Petro: vter sit absolute melior non deciditur quia dubitatur vnam perfectionem in vno compensari per aliam perfectionem in alio. Compensationem hanc in perfectione indiuiduali admittunt aduersarij, in specifica negant. Cur in vna negent, & in altera affirment; nec ipsi sciunt.

Probatur secundo Conclusio ex conceptu diuinæ omnipotentiæ simul & sapientiæ, ad quam pertinet posse communincare se dissimiliter varijs creaturis etiam intra ean-

dem mensuram perfectionis: hoc est posse producere plures creaturas inter se dissimiles & in perfectione æquales. Explicatur hoc & simul probatur. Pictor vel quilibet cuiuslibet præstantissimi operis artifex, potest aliud opus dissimile facere absque eo quod faciat aut perfectius aut imperfectius. Puta qui egregie pinxit Palladem, potest & megæram perfectissime pingere; itaut neutra ex picturis perfectione alteram vincat: & tamen duæ istæ picturæ erunt dissimiles; cur igitur nequeat Deus dissimiles sui imagines edere: hoc est diuersas creaturas producere quin eo ipso faciat inæquales,

Denique probatur conclusio veteri illo, & vbi agitur de possibili, inconcusso argumento: non repugnat plures creaturas esse dissimiles inter se inperfectione & simul esse æquales: ergo dissimilitudo non infert inæqualitatem. Antecedens patebit dissoluendo quamlibet repugnantiam, quæ ab aduersarijs afferatur.

ARTICVLVS V.

Satisfit nonnullis obiectionibus.

SOluendæ sunt articulis sequentibus obiectiones, quæ afferũtur contra ea omnia, quæ dicta sunt à nobis circa differentiam specificam. Et quia primo loco reiecta est sententia S. Bonauenturæ, ideo qui propinsa stant, petunt primo loco audiri. Audiantur igitur.

Prędicatum, inquiunt, per quod differunt ea quæ differunt specie, est prædicatum habens

bens in essentia rationem formæ ; sed prædicatum habens in essentia rationem formæ est prædicatum præcipuum; ergo prædicatum per quod differunt ea quæ differunt specie, est prædicatum præcipuum. Maior est iuxta doctrinam superius relatam ex Philosopho. Minor probatur quia prædicatum habens rationem perfectiui respectu alterius est prædicatum precipuum : sed prædicatum habens rationem formæ habet rationem perfectiui ; ergo est præcipuum. Minor probatur ex dictis, nam differentia est perfectiua generis; se habet ad genus in constitutione metaphysica , sicut se habet in constitutione physica forma ad materiam. Ita v. g. rationale in homine est differentia : est perfectiuum animalis: est forma metaphysica eiusdem , seu potius hominis metaphysice considerati ; & est prædicatum precipuum eiusdem.

Confirmatur quia prædicatum specificum ex ipsa met nominis etimologia est illud, per quod res redditur speciosa ; vnde docet Philosophus idem esse habere hanc vel illã speciem, ac habere hanc vel illam pulchritudinem: vnde dicitur: *Species digna imperio.* Vnaquæq; autem res dicitur speciosa secundum prædicatum quod est in ipsa præcipuum.

Resp. transmissa maiori negando minorem. Ad probationem minoris nega maiorem. Non enim necesse est vt quidquid perficit aliud sit in illo præcipuum. Perficere enim ex suo conceptu nihil aliud est quam addere alicui aliquam perfectionem; non est autem de ratione omnis perfectionis addite alteri quod sit præcipua : imo idem subiectũ

per plures perfectiones perfici potest, cum tamen repugnet omnes esse præcipuas. Ad id quod dicitur differentiam se habere ad genus sicut se habet forma physica ad materiam physicam: dic paritatem in hoc consistere, quod quemadmodum forma physica determinat physice materiam ad hanc, vel illam speciem totius physici: ita differentia determinat genus ad hanc vel illam speciem totius metaphysici: & quia determinare ex genere suo est quid nobilius, quam determinari: ideo differentia dicitur esse quid ex genere suo nobilius quam genus: esse autem ex hoc & illo genere, nobilius non est esse nobilius simpliciter, sed solum secundum quid. Vnde sæpe accidit vt duę rationes inter se comparatæ dicantur vicissim & mutuo vna altera ex genere suo nobilior:

Propterea D. Thomas de eodem aliquando concedit, aliquando negat quod sit nobilius respectu alterius. Puta in secund. dist. 23. quæst. 1. art. 3. ad 1. dicit quod habere intellectum sic, est nobilius quam habere intellectum simpliciter: & habere sensum sic, quam habere sensum simpliciter. Et alibi, nimirum prima parte quæst. 50. art. 4. ad primum dicit prędicatum præcipuum non posse ex ratione sua formali, hoc est quia præcipuum est, constituere differentiam specificam, quia aliter omnia bruta essent eiusdem speciei, vt pute conuenientia in ratione sensitiui, quod est in brutis prædicatũ præcipuum & nobilissimum. Ecce vno in loco dicit S. Doctor quod esse sensitiuum simpliciter, est prædicatum præcipuum in brutis; & in alio loco dicit nobilius esse, esse

sen-

sensitiuum sic, per quod brutum differt à bruto, equus à cane. Igitur vel sibi contradicit, vel sentire sic est nobilius, non simpliciter sed ex aliquo genere, cũ quo stat quod non sit simpliciter nobilius: primum nefas est suspicari; ergo dicendum est secundum.

Ad id quod dicitur de rationali: etiam si dares rationale esse prędicatum in homine nobilissimum, ad huc tamen non liceret inferre differentiã specificam haberi formaliter per prædicatum nobilissimum; sed solũ rectè inferretur rationem differentię coniungi aliquando cum prędicato nobilissimo. Nos autem non negamus fieri posse vt prædicatum in quo fundatur differentia vnius ab altero sit nobilissimum; solum negamus, rectè assignari pro differentia specifica prædicatum nobilissimum; quia contingere potest vt diuersa secundum speciem conueniant in prædicato nobilissimo, & rationale est prædicatum differentiale hominis, non quia nobilissimum est, sed quia est vltimo determinatiuum, & per ipsum homo essentialiter dissimilatur ab ijs, quæ sunt in eodem genere. Cæterum rationale secundum id quod superaddit intellectiuo potius limitat quam nobilitet intellectiuum, cum intellectiuum conueniat Deo, non autem conueniat rationale.

Ad confirmationem: dic speciem non cõstitui per solam differentiam, adeoque nemini inesse speciem dignam imperio, per id formaliter solum, per quod differt ab omnibus alijs. Per differentiam specificam vna res redditur non speciosa sed spectabilis præ alia, hoc est à quacunque alia discernibilis.

res autem est maxime ab alia discernibilis per id per quod ab alia maxime dissimilatur siue hoc sit in ipsa præcipuum, siue non. Ita homo gibbosus & cæcus, ab alio vidēte, & recto, per cæcitatem & gibbam maxime discernitur, quamuis per hæc eadem non reddatur præ alio speciosus, nec huiusmodi prædicata vel ipso iudice, sint in ipso præcipua.

ARTICVLVS VI.

Respondetur alijs obiectionibus.

OBijcies primò si dissimilitudo in perfectione entitatiua diceret diuersitaté specificam; sequeretur differentiam specificam cōsistere posse in negatione; consequēs est falsum; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur quia per hoc ipsum quod vnum non habet perfectionem alterius est dissimile alteri; non habere huiusmodi perfectionem est pura negatio; ergo est dissimile alteri per puram negationem. Hoc autem esse absurdum probatur quia id quod constituit speciem per modum differentiæ est perfectiuum generis, implicat autem vnam rationem perfici per puram negationem vlterioris perfectionis.

Confirmatur quia in tantum repugnat vnam speciem esse aliam: puta equum esse hominem: quia, animal in vna specie: puta, in equo, identificatur cum differentia exclusiua differētię quę est in alia: puta in homine: irrationale enim est exclusiuum rationalis, & è conuerso; ergo in omni specie entis diffe-

rentia

rentia debet esse aliquid positiuum exclusiuum differentię oppositæ. Probatur antecedens: quia si in equo nihil concipias nisi animal, & puram carentiam rationalis; non apparet repugnantia cur equus nequeat esse homo; nam cum animali optime vnitur rationale; ergo necesse est quod in equo præter animal sit aliquid essentialiter repugnãs cum rationali: non enim apparet cur animal, etiam si secundum se sit aptum carere rationali; tamen sit exclusiuum rationalis.

Resp. Aliud esse id per quod res constituitur in esse specifico, aliud id per quod constituitur diuersa specie ab alia, quæ tamen duo facillime confunduntur. Id per quod res constituitur in esse specifico est quid adæquate intrinsecum rei, puta animal rationale homini: hinnibile equo. Id per quod constituitur diuersa specie est partim intrinsecum & partim extrinsecum: diximus enim quod differentia consistit in hoc quod vnum sit tale, quale non est alterum; vel non sit tale, quale est alterum. Ita differentia hominis ab equo habetur per hoc quod homo sit talis qualis non est equus. Hoc autem esse tale quale est, vel non est alterum, est denominatio vtrique seorsim partim entrinseca & partim extrinseca. Ex hac verissima doctrina sequitur nullam rem esse alteri dissimilem per puram negationem. Ideoque ad obiectionem in forma.

Resp. negando sequelam maioris. Ad probationem distingue maiorem: per hoc ipsum quod vnum non habet perfectionem alterius est dissimile, præcise per carentiam nega; per carentiam in se, & inexistentiam talis per-

fectionis in altero: concede maiorem. Vel etiam si vis concede absolute maiorem & nega minorem: nam si bene attendas, videbis quod non habere perfectionem alterius idem est ac carere perfectione illa, quę est in altero: hoc autem non dicit puram negationem quandoquidem perfectionem quam negat vni, tribuit alteri.

Ad confirmationem. Si nihil concipias in equo nisi animal, non vides in equo repugnantiam identitatis cum homine. Imo vt patebit ex sequentibus ex hac propositione: *equus est animal* inepte inferres: *ergo non est homo*. Quod si positiue concipias nihil esse in equo præter animal, tunc recte dices equum non esse eiusdem speciei cum homine: erit enim eo ipso dissimilis homini essentialiter. sed tunc etiam differret ab homine per rationale quod homini conueniret & non equo. An autem in illo casu impossibili, esset species vel non, nihil refert. Nam in hypothesi impossibili non est absurdum admittere speciē impossibilem qualis esset v. g. species adæquate constituta per genus.

Dices: creaturæ non differunt à Deo nisi per negationē: non enim est in creaturis vlla perfectio quæ non sit in Deo: & tamen specie differunt à Deo; ergo differentia specifica potest haberi per puram negationem. Item species imperfectior differt à perfectiori, puta homo ab equo, per negationem: tota enim perfectio speciei imperfectioris continetur in perfectiori; & per hoc imperfectior differt ab ipsa quod careat illa vlteriori perfectione, quæ inperfectiori reperitur: hinc inualuit illud: *Species rerum*

sunt

sunt sicut numeri: numerus autem minor differt à maiori, per negationem; puta binarius à ternario per carentiam tertiæ vnitatis.

Hoc idem argumentum proponitur ad probandum quod quæcunque sunt dissimilia in essentia, sunt etiam inæqualia. Species rerum sunt sicut numeri, sed numeri dissimiles sunt inæquales; imo numeri non aliam dissimilitudinem habent quam inæqualitatem, ergo species rerum dissimiles sunt inæquales, imo non aliam dissimilitudinem habent, quam inæqualitatem.

Resp. hæc argumenta vna fere eademque æquiuocatione laborare, dum pro differentia specifica non respiciunt nisi ad vnum extremum: cum tamen differentia habeatur indiuisibiliter per vtrumque. Differentia inter Deum & creaturam includit totum esse Dei, & esse creaturæ: adeoque tantum abest vt talis differentia sit pura negatio, vt contra necessario inuoluat perfectionem infinitam: quod enim finite tantum perfectum est, non differt ab omni creatura, cum ipsum sit aliqua creatura. Item differentia inter speciem perfectiorem & imperfectiorem, non est pura carentia perfectionis, in ea, quæ dicitur imperfectior; sed inexistẽtia perfectionis eiusdem in illa quę dicitur perfectior.

Quod si sermo est non de differentia specifica sub conceptu differentiæ, sed de predicato contrahente genus seu rationem superiorem: certum est quod prædicatum per quod contrahitur ratio entis ad rationem creati non est aliqua, perfectio quæ Deo desit, insit creaturæ. Imò quodlibet prędicatũ contrahens quamlibet rationem genericam

si sit perfectio, eo ipso in Deo est, qui est eminentissime omnis perfectio, hoc est perfectio omnino impermixta, & ab omni omnino imperfectione immunis. In hoc sensu creatura differt à Deo nō per suū esse, sed per suū non esse, hoc est per limitationem sui esse. Deo enim dicenti. *ego sum qui sum* tota collectio creaturarum simul, nedum quælibet creatura seorsim, reponere potest: *& ego sum qui non sum*: iuxta Augustinum dicentem: *Domine tu es qui es, ego vero sum qui non sum.* Ratio est quia Deus est plenitudo totius esse: creaturę autem plus deest quam adest de esse, cum illi desit totum id, per quod superatur à Deo, hoc est carens infinito esse, habet minimum esse.

Hoc tamen dici nequit de qualibet specie imperfectiori respectu perfectioris: nam illa non constituitur in suo esse specifico aut differentiali præcise per carentiam perfectionis quæ reperitur in alia, sed per aliquam perfectionem positiuam. Non enim repugnat aliquam perfectionem reperiri in specie imperfectiori, quæ non sit in perfectiori. v. g. aliqam perfectionem reperiri in equo, quæ non fit in homine. Vnum enim dicitur altero perfectius non quod in ipso sit omnis perfectio alterius & præterea aliqua alia: sed quia tota collectio perfectionum ipsius, vincit totam collectionem perfectionum alterius: quod contingere potest etiamsi collectio victa contineat aliquam perfectionem qua careat collectio victrix; dummodo hęc habeat vnde non modo compensetur sed etiam emineat supra alteram.

Item numerus minor differt à maiori, bina-

narius à ternario non solùm per carentiam tertiæ vnitatis in binario, sed etiam per inexistentiam eiusdem in ternario. Binarius autem in suo esse specifico constituitur non per puram carentiam tertiæ vnitatis: nec quaternarius per carentiam quintæ, & sic de cæteris; sed per positiuas vnitates quibus constant. Nam quaternarium male definies numerum cui deest quinta vnitas, vt patet. Binario enim & ternario deest quinta vnitas & tamen neuter est quaternarius. Adde quod ex hac ipsa ratione quà numerus minor cedit maiori sunt qui abstrahant conceptum quemdam excellentiæ numeri minoris supra maiorem: dicunt enim numerum minorem esse minus compositum, adeoque simpliciorem: cum igitur simplicitas sit perfectio & quidem simpliciter simplex, quo plus aliquid participat de simplicitate plus habet de perfectione. Perfectionem simpliciter simplicem vocant illam quæ non est admixta vlla imperfectione, adeoque hoc nomine appellant omne prædicatum quod conuenit Deo. Jis qui hanc numeri minoris supra maiorem prærogatiuam commendant, melius est paucos nummos habere, quã multos, quia cum paucioribus, habent plus simplicitatis, quam cum pluribus.

Ex his patet quid dicendum sit informa. Ad primum argumentum & ad secundum, negandum est antecedens. Ad paritatem de numeris præter ea quæ dicta sunt: distingue maiorem: species rerum sunt sicut numeri in omnibus: nega maiorem, in aliquibus: concede maiorem; & transmissa minori: nega consequentiam, Paritas inter numeros &

ſpecies rerum conſiſtit in hoc quod quemadmodum quælibet inæqualitas in numeris, ita etiam in quibuslibet rebus mutat ſpeciem: non autem ė conuerſo; ſicut in numeris non datur diſſimilitudo niſi ſecundum magis & minus; ita etiam non datur in alijs ſpeciebus rerum. Ratio eſt quia numeri nequeunt aliter diſſimiliari, poſſunt autem aliter diſſimilari res numeratæ vt eſt manifeſtum.

Obijcies ſecundò. Impoſſibile eſt quod plures participationes eiuſdem ſimpliciſſimę perfectionis ſint inter ſe diſſimiles, niſi ſecundum magis & minus: ſed plures ſpecies, puta homo, equus, leo, &c. ſunt plures participationes eiuſdem ſimpliciſſimæ perfectionis; ergo impoſſibile eſt plures ſpecies eſſe inter ſe diſſimiles niſi ſecundũ plus & minus perfectionis. Maior, in qua eſt tota vis argumenti, probatur. Quia impoſſibile eſt plures participationes eiuſdem lineæ eſſe inter ſe diſſimiles, niſi per hoc quod vna ſit maior altera minor; puta vna palmaris, & altera ſemipalmaris. Item plures participationes eiuſdem qualitatis, puta caloris, nõ poſſunt eſſe inter ſe diſſimiles, niſi per hoc quod vna ſit maior, & altera minor; puta vna vt duo, altera vt tria: & ſic de cæteris; ergo eiuſdẽ ſimpliciſſimæ perfectionis plures parricipationes nequeunt eſſe diſſimiles, niſi per hoc quod vna ſit maior, & altera minor. Quod autẽ omnes ſpecies rerũ creatarũ ſint participationes vnius eiuſdẽque ſimpliciſſimę perfectionis, videlicet diuinę, indubitatum eſt. Propterea diuinũ eſſe peromnes & quaslibet creaturas aliqualiter repræsẽtatur.

Reſp. negando maiorem. Nam perfectio ſim-

simplicissima potest esse eminenter multiplex: & de facto ita est diuina perfectio, cuius quælibet creatura est aliqualis imitatio & participatio. Imo perfectissima semplicitas diuini esse consistit in hoc quod omnem omnino perfectionem sibi identificet; hoc est quod sit vna simul & omnis perfectio: diuina sapientia dicitur simplicissima perfectio, non ex eo quod sapientia non sit nisi sapientia; sed ex eo quod sapientia sit indiuisibiliter iustitia, bonitas, misericordia immensitas, & sic de cæteris; quorum quodlibet desit, tollit à Deo Dei propriam simplicitaté. Ad probationem maioris omitte antecedés, & nega consequentiam. Ex hac paritate quã faciunt aduersarij, patet æquiuocatio in quã labuntur circa hanc vocem *simplicitas* quam fortasse nimis simpliciter interpretantur. Aliam etiam ęquiuocationẽ patiuntur in hac alia voce: *participatio* & vtraque simul fundat argumentum à pari. Imaginantur enim Deum velut infinitum quoddam pelagus vnius simplicissimæ & purissimæ essentiæ, quæ per modum aquæ cuiusdam diffundatur in riuos vel guttas, dum dicitur Deus effundere sese ad extra per productionem rerum creatarum: & quia participatio oceani quem nauigamus, non differt vna ab alia, nisi per hoc quod per per vnam plus aquæ communicetur quam per aliam: ideo putant vnam creaturam non posse esse participationem diuini esse, diuersam ab alia, nisi per hoc quod de diuino esse plus in ipsam redundet quam in aliam. Hoc modo existimarunt olim nonnulli dici creaturas particulas diuinitatis, sicut scrupuli sunt particulæ rupis.
vel

vel scopuli à quo deciduntur:sed errauerunt in cogitationibus suis & factum est insipiens cor eorum. Qui tamen imaginationem hanc ex parte retinent hoc argumentum, quod proposuimus, putant conuincens.

Verum si bene inspiciatur nec apparentiā habet. Simplicitas lineæ, caloris,& quælibet alia huiusmodi, est simplicitas fundata in imperfectione: simplicitas Dei fundatur in infinitate perfectionis. Linea non est nisi pura & mera longitudo, vnde participationes lineæ nequeunt differre inter se nisi secundum rationes longitudinis: rationes autem longitudinis sunt magis & minus; nequeunt igitur participationes, seu particulę decisæ ab eadem linea differre inter se nisi secundum magis & minus. Quod si fingeres lineam quæ eminenter esset omnis figura, & per cuius participationem quælibet figura esset id quod est: possent diuersę & dissimiles participationes eiusdem esse inter se ęquales: non enim repugnat figuras inter se dissimiles eiusdem esse capacitatis.

Simplicitas autem Dei, quia vt diximus fundatur in infinitate perfectionis non est præcise hæc aut illa perfectio. Potest igitur infinitis modis, quamuis ęqualiter sese diffundere ad extra: ita vt vni quidem creaturæ plus v, g. de sapientia, alteri plus de potentia, vni plus de æternitate, alteri plus de immensitate cōmunicet,compensando in vno excessum vnius perfectionis per excessū alterius perfectionis in alia.Hoc est edēdo diuersas sui imagines ęquales& dissimiles inter se.

Dices: ergo poterunt duo esse æqualiter similia Deo, & dissimilia inter se. Probatur con-

consequentia quia æqualia in perfectione sunt æqualiter Deo similia, &c.

Resp. conc. totum. Album & nigrum inter se dissimilia, sunt æqualiter similia fusco. Non obstare diuinam simplicitatem, ostensum est supra.

Obijcies tertiò. Si quęlibet dissimilitudo essentialis esset sufficiēs ad diuersitatem specificam sequeretur plures animas rationales esse diuersas specie inter se, consequens est absurdum, ergo & antecedens. Sequela maioris probatur quia inter animas rationales vna est entitatiue dissimilis alteri, ergo habet diuersitatem specificam ab altera.

Resp. neg. sequelam mai. Ad prob. nego anıns. Quęlibet anima rationalis est cuilibet animæ rationali omnino, & adęquate similis, similitudine entitatiua & essentiali.

Dices ex duabus animabus rationalibus vna perfectius intelligit, & discurrit quam altera, ergo vna est perfectior altera: implicat esse perfectiorem & non esse dissimilem; ergo vna est dissimilis alteri.

Resp. concesso antecedenti; negando consequentiam, si sit de perfectione essentiali. Vna anima perfectius intelligit, quam altera: quia bono suo fato est in corpore melius organizato quam altera; hæc autem dissimilitudo non est in ipsa met essentia animæ; hoc idem magis explicabitur in libris de anima: vbi ex professo agitabitur quæstio de æqualitate animarum inter se.

ARTICVLVS VII.

Diluuntur aliæ obiectiones.

OBijcies quartò. Cognitio qua repræsentantur tres homines est entitatiue dissi-

dissimilis cognitioni qua repræsentantur quinque: sed huiusmodi cognitiones sunt eiusdem speciei, ergo dissimilitudo entitatiua stat cum identitate specifica. Item: calor vt octo est entitatiue dissimilis calori vt quinque: calor vt octo, & calor vt quinque sunt eiusdem speciei; ergo plura eiusdē speciei sunt entitatiue dissimilia. Minor probatur ex Philosopho & Philosophis cum Philosopho dicentibus: *plus & minus non variant speciem*; Calor vt octo & calor vt quinque non differunt nisi secundum plus & minus, ergo calor vt octo & calor vt quinque non differunt specie.

Resp. quod ea dissimilitudo quæ est inter tres & quinque homines, est etiam inter cognitiones quarum vna est trium altera quinque hominum. Dissimilitudo enim obiectorum refundit dissimilitudinem in cognitiones. Roga iam arguentem an tres homines à quinque differant entitatiue: & quod de hominibus dicent; dic de cognitionibus. Si dicant tres homines esse dissimiles entitatiue quinque hominibus, dic cognitionem qua repræsentantur tres, esse dissimilem cognitioni, qua repræsentantur quinque; etiam entitatiue: si negant; nega. Si dicant homines non differre ab hominibus, seu non esse dissimiles hominibus, sed ternarium esse dissimilem quinario, dic cognitiones supradictas esse dissimiles, non secundum quod repræsentant homines & homines; sed secundum quod repræsentant, vna ternarium, & altera quinarium. Ex his ad argumentum in forma resp. cum distinctione: cognitio qua repræsentantur tres homines est entitatiue

dissi-

dissimilis cognitioni qua repræsentantur quinque, secundum quod vna repræsentat tria & altera quinque: concedo; secundum quod repræsentant homines & homines: nego. Posses etiam distinguere: vna est dissimilis alteri secundum considerationem Mathematicam seu Aritmeticam: concedo; secundum considerationem logicam: nego. Sunt dissimiles secundum considerationem aritmeticam quia vna attingit ternarium, altera quinarium, qui sunt numeri specie diuersi. Non sunt dissimiles secundum considerationem logicam quia cum eadem sit vnius ac omnium hominũ essentia, et res à quinque, aut centum non differunt essentialiter.

Ad illud de calore dic vel gradus intensionis esse dissimiles, vt multi docent; & tunc calor vt quatur & calor vt octo differunt specie: vel similes; vt alij volunt, & tunc calor vt octo à colore vt quatuor non differt entitatiue, sed solum intensiue: & de numero graduum dic quod dixisti de numero hominum:

Obijcies quintò. Vnio quæ est inter corpus & animam Petri est entitatiue dissimilis vnioni quæ est inter corpus & animam Pauli: sed huiusmodi vniones sunt eiusdẽ speciei; ergo cum dissimilitudine entitatiua stat identitas specifica. Maior probatur quia duæ vniones ambæ respicientes corpus & animã Petri, sunt magis similes inter se, quam duę aliæ, quarum vna respiciat corpus & animã Petri, alia vero corpus & animam Pauli; ergo istæ duæ habent aliquam dissimilitudinem entitatiuam: probatur conseq. quia habent dissimilitudinem quæ consistit in carentia

tia

tia illius omnimodæ similitudinis quam habent inter se illæ aliæ duę.

Idem argumentum fieri potest de cognitionibus, vel profluentibus à distinctis principijs, vel repræsentantibus distincta obiecto. Puta duę cognitiones elicitæ à Petro circa albedinem *A* sunt magis similes inter se quam duæ cognitiones circa eandem albedinem, altera elicita à Petro, & altera à Paulo. Item duæ cognitiones circa albedinē *A* sunt magis similes inter se, quam duę quarum altera sit circa albedinem *A*, & altera circa albedinem *B*: sed cognitiones huiusmodi sunt eiusdem speciei; ergo inter cognitiones eiusdem speciei datur dissimilitudo entitatiua. Maior probatur quia prædictæ duæ cognitiones elicitæ à Petro præter idētitatem obiecti, habent identitatem principij & subiecti; duæ autem; quarum altera sit elicita à Petro, & altera à Paulo, non habent identitatem principij & subiecti. Item duæ cognitiones ambæ albedinis *A* habent identitatem obiecti: duæ autem aliæ, quarum altera sit albedinis *A* & altera albedinis *B*, non habent identitatem obiecti; ergo sūt magis similes illę, quam istæ. Consequentia probatur vt supra; quia carentia illius omnimodæ similitudinis est aliqua dissimilitudo.

Resp. negando maiorem ad probationem; nego antecedens. Ad illud de cognitionibus nego etiam maiorem. Ad probationem de cognitionibus respondeo cum distinctione: duæ cognitiones elicitę à Petro habent identitatem principij: duæ autem elicitæ altera à Petro, & altera à Paulo non habent identita-

titatem, logicam & formalem nego; physicam & materialem concedo. Item duę cognitiones altera albedinis *A*, & altera albedinis *B* non habent identitatem physicam & materialem obiecti: concedo, logicam & formalem, nego. Albedo *A* & albedo *B* habent perfectissimam similitudinem: quæ est identitas logica & formalis saltem fundamentaliter vt dictum est alibi: adeoque duæ cognitiones terminatæ altera ad albedinem *A*, altera ad albedinem *B*, habent identitatem logicam & formalem obiecti. Item Petrus & Paulus habent identitatem logicam & formalem, adeoque duæ cognitiones elicitæ, altera a Petro, & altera à Paulo, habent identitatem logicam & formalem tam principij quam subiecti: principij, quia hæc elicitur à Petro, illa à Paulo; subiecti, quia in eodem vtraque recipitur, à quo elicitur. Item duæ vniones altera respiciens corpus & animam Petri, altera corpus & animam Pauli, habent identitatem logicam extremorum; quia corpus & anima Petri, & corpus & anima Pauli sunt extrema omnino similia: adeoque non est admittendum dari maiorem similitudinem inter duas primas, quam inter duas alias vniones. Idem dic de cognitionibus.

Dices duæ cognitiones ambæ albedinis *A* habent identitatem non logicam sed physicā obiecti: duæ cognitiones vna albedinis *A* & altera albedinis *B* habent solum identitatem logicam, non autem identitatem physicam obiecti; ergo duæ cognitiones ambæ albedinis *A* sunt magis similes inter se quam alię duæ, vna albedinis *A* & altera albedinis *B*.

logica

Resp. concesso ant. neg. conseq. Identitas logica obiecti consistit fundamentaliter in similitudine albedinis *A* cum albedine *B*. similitudo autem albedinis *A* cum albedine *B* est omnimoda similitudo: implicat autem quod cognitiones respicientes terminos omnino similes sortiantur inde vllam dissimilitudinem. Vno verbo albedo *A* non est magis dissimilis albedini *B* quam sibi ipsi; ergo duæ cognitiones quarum vna respiciat albedinem *A* & altera albedinē *B* non sunt magis dissimiles interse, quam duę alię, quarū vtraque respiciat albedinem *A*. Idem dic de perfecta similitudine principiorum incapacium propterea refundere in actus elicitos vllam dissimilitudinem. Vbi aduerte quod prædicata pure plurificantia nullo modo dissimilant: quod patebit inferius vbi de indiuiduo.

Dices: quæ differunt in prædicato essentiali communi pluribus, differunt plusquam numero: duæ visiones, vna albedinis *A*, altera albedinis *B* sunt huiusmodi: ergo &c. Minor probatur, quia esse visionem essentialiter affixam albedini *A*, est prædicatum essentiale, commune pluribus: sunt enim possibiles visiones, non tot quin plures essentialiter affixæ albedini *A*. In hoc autem differunt visio albedinis *A*, & visio albedinis *B*, de prima enim dicitur, quod sit essentialiter affixa albedini *A*, de secunda negatur.

Respond. disting. mai. si illud prædicatum sit absolutum: omitto mai. si sit relatiuum: sub disting. si sit ad terminos dissimiles: conc. si ad similes: nego. Prædictæ

dictæ autem visiones sunt ad terminos omnino similes, vt patet.

ARTICVLVS VIII.
Expediuntur reliqua.

EGimus de prædicato contrahente genus ad speciem quasi de prædicato aliquo simplici, quod etiam vocauimus differentiam specificam, accipientes nomine differentiæ prædicatum illud, per quod vna res ex communi modo loquendi dicitur ab alia differre specie, v. g. rationale in homine, hinnibile in equo. Sic autem egimus de differentia specifica, non quod supponamus pro certo illam de facto consistere in prædicato simplici; sed quia sic melius, & faciliùs explicatur doctrina de differentia.

Cæterum valde probabile est rem differre specie ab alia re, non per aliquod prædicatum simplex, sed per complexum ex pluribus prædicatis diuisiue genericis, putà hominem non differre specie ab omni alia re per rationale; sed per complexum ex animali, & rationali; & carentia alterius prædicati essentialis. Rationale autem ipsum seorsim acceptum pertinere posse ad plures species, sicut animal: putà rationale esse quid commune Angelis, & hominibus, sicut animal est quid commune hominibus, & brutis: adeoq; sicut homo per animal non differt ab equo, ità nec per rationale, v. g. differt ab Angelo.

Dices etiam si in Angelo demus rationale; non tamen damus rationale dependenter à sensibus, ergo, neque in tali hypothesi, homo

mo per rationale conuenit cum Angelo.

Resp. concesso antecedenti, negando consequentiam. Eodem argumento probabis hominem non conuenire cum bruto in animali. Nam etiam si detur in bruto animal; non tamen datur animal, quod simul sit rationale: Quod igitur rationale in Angelo, & in homine contrahatur per rationes oppositas, non facit quin homo, & Angelus conueniant in rationali: est enim rationale secundum conceptum rationalis abstrahibile conceptu præscindente à rationibus contrahentibus.

Præterea non apparet repugnantia, quod ad hanc ipsam complexionem prædicatorum: *Animal rationale*, superaddatur aliud prædicatum essentiale; & sic dari aliquod animal rationale specie diuersum ab homine. Cur enim repugnet animal rationale volatile? aut animal rationale aquatile? idem dic de quolibet alio huiusmodi. Imò ex veteribus nonnulli existimarunt præter hominem dari aliud animal rationale, quod esset essentialiter immortale: adeoq; insufficienter definiri hominem animal rationale, putantes superaddendum definitioni: *Mortale*.

Posito autem quod plures rationes diuisiuè genericæ, hoc est quarum quęlibet seorsim sumpta sit communis pluribus speciebus, simul acceptæ constituant differentiam specificam: quælibet ex prædictis seorsim accepta habebit rationem materiæ, & ad differentiam, seu dissimilitudinem huius rei, cum qualibet alia re sufficiet, quod in toto illo complexo reperiatur discrepantia cum

com-

complexo prædicatorum constituentium quamlibet aliam rem, puta si rationale conuenit alicui, quod non sit homo: manifestum est, quod homo per rationale non discrepat ab omnibus: si autem illud aliud quod est rationale non sit animal discrepabit ab ipso per animal: ab animali autem, quod non est rationale, & à rationali, quod non est animal, per hoc quod sit animal rationale: quod si detur aliquid quod sit animal rationale, & aliquid aliud, puta & volatile: discrepabit homo ab omnibus per hoc quod sit animal rationale, & nihil aliud.

His omnibus addendum est monitum hoc loco opportunum: scilicet non spectare ad logicum decernere; vtrum hæc, & illa res differant inter se, hoc vel illo genere differentiæ. Hoc enim pertinet ad scientiam talium rerum contemplatricem, puta, si quis proponat logico ex vna parte Catellum Bononiensem, & ex altera Molossum; rogetq; illum an differant, an conueniant secundum speciem; Logicus prætergreditur fines suæ scientiæ, si hanc dubitationem soluere aggreditur. Hoc enim spectat ad scientiam de canibus. Responsio igitur quam ex doctrina tradita, tradere post hæc esset: si duo isti canes sint perfectè similes in essentia, sunt in eadem specie: si habent aliquam in essentia dissimilitudinem sunt in diuersa. An autem essentia vnius sit perfectè similis essentiæ alterius dicant, qui vtriusq; essentiam speculantur.

Supponitur tamen quasi pro certo prædictos duos canes esse eiusdem speciei, & ex

hac

hac præsuppositione contra doctrinam supra traditam sic arguitur. Maior dissimilitudo datur inter catellum Bononiensem, & Molossum, quam inter aliquem canem, & lupum; & tamen catellus Bononiensis, & Molossus sunt eiusdem speciei, & lupus à quolibet cane specie differt; ergo differentia specifica non fundatur in dissimilitudine.

Resp. negando anteced. Sermo est enim de dissimilitudine essentiali, quæ nulla est inter Catellum, & Molossum.

Dices, dissimilitudo in accidentibus arguit dissimilitudinem in essentia; datur inter Catellum, & Molossum maior dissimilitudo in accidentibus, quam inter canem, & lupum; ergo datur maior dissimilitudo in essentia inter Catellum, & Molossũ, quã&c.

Resp. primò negando maiòrem. Constat enim ab vna eademq; essentia fluere accidentia, & accidentium collectiones inter se valde diuersas.

Resp. secundò transmissa maior. negando min. Si quis enim considerat totam collectionem accidentium, quæ fuit ab essentia lupi; hæc est magis dissimilis collectioni accidentium fluenti ab essentia cuiuslibet canis, quam sit collectio accidentium catelli, collectioni accidentium Molossi. Accidentia enim, quæ determinatè fluunt ab essentia canina sunt vis odoratiua, sagacitas, fidelitas, latratus, &c. in his accidentibus conueniunt catellus Bononiensis, & Molossus; vterq; autem, & quilibet alius canis disconueniunt à lupo, in quo vlulatum infidelitatem, & alia huiusmodi accidentia reperies. Ex his

Resp.

Respond. tertiò distinguendo maiorem: Accidentia determinate fluentia ab vna essentia sunt magis similia in cane, & lupo, quam in catello, & molosso: nego maiorem; accidentia indifferentia ad hanc, vel illam essentiam: concedo majorem: & eodem modo distincta minori; nego consequentiam. Quæ nam sint accidentia determinate fluentia ab essentia canina, supra diximus: sunt autem præterea, quæ non fluunt determinate ab vlla essentia, sed sunt indifferentia, vt hanc, vel illam exornent. Huiusmodi sunt color, magnitudo, vel paruitas molis; & alia id genus, secundum quæ dissimilia in specie possunt esse inter se magis similia, quam quæ eiusdem speciei sunt, puta molossus, & lupus similiores sunt in in magnitudine, quam catellus, & molossus.

QVAESTIO VI.

De proprio, & accidente.

ARTICVLVS I.

Qid sit proprium.

PRoprium quadrifariam dicitur, ait Porphyrius cap. 5. Primò proprium dicitur, quòd conuenit solum alicui speciei, sed non omni contento intra illam speciem: ità soli homini conuenit esse Medicum, vel Astrologum; sed non omni contento sub ratione hominis, hoc est non omni indiuiduo naturę humanę.

Secundò, proprium dicitur, quod omni quidem in aliqua specie contento conuenit, sed non soli: hoc modo conuenit homini esse bipedem: nam omnis quidem homo est bipes, sed non solus homo est bipes. Tertiò, quod omni, & soli non tamen semper: ità omni & soli homini conuenit canescere, non tamen semper, sed solum aliquando: puta in senectute. Quartò proprium dicitur, quod omni soli, & semper: hoc modo, conuenit homini esse risibilem. Et hoc vltimum propriissime loquendo dicitur proprium.

Quatenus autem est vnum ex prædicabilibus definitur: *Vnum aptum prædicari de pluribus in quale conuertibiliter, siue necessario.* Per hoc quod prædicetur de pluribus conuenit cum alijs prædicabilibus: per hoc quod in quale, à genere differt, & specie; quæ in quid; & à differentia, quæ in quale quid prædicantur: per hoc, quod conuertibiliter, siue necessario; differt ab accidente, quod & ipsum in quale, sed non necessario, aut conuertibiliter, verum contingenter de pluribus prædicatur, vt infra patebit.

Aduertendum est autem, quod plura illa, de quibus proprium est prædicabile sunt inferiora illius rationis, seu gradus, à quo necessarió ipsum profluit v.g. risibile, est proprium hominis, vt necessario fluens ab hominis essèntia: plura igitur, de quibus risibile prædicatur sunt inferiora hominis, videlicet Petrus, Paulus, Franciscus. Et vniuersaliter loquendo de quocumq; prædicatur radix, seu principium, à quo necessario quælibet proprietas profluit; de illo eodem

etiam

etiam talis proprietas prædicatur: ita si appetitiuum necessario profluat à sensitiuo de quocumq; prædicaueris sensitiuum recte etiā prædicabis appetitiuum.

ARTICVLVS II.
Quid sit accidens.

AGimus hic de accidente communi, non de proprio, de quo dictum est supra. Definitur autem accidens à Porphyrio: *Quod neque est genus, neque differentia, neque species, neque proprium, semper autem est in subiecto subsistens*: Hæc definitio per exclusionem non est mala: cum enim alia quatuor prædicabilia iam fuerint explicata, hoc vltimum taliter qualiter explicatur per exclusionem illorum. Additur autem; quod semper est in subiecto subsistens: quia nimirum accidens, quod sæpè dicitur à Philosopho non tam ens; quàm entis ens, habet semper esse in alio tamquam in subiecto, à quo sustentatur.

Præter hanc definitionem, duas alias affert Porphyrius. Prima est: *Accidens est, quod adest, vel abest præter subiecti corruptionem.* Secunda: *Accidens est, quod contingit eidem in esse, & non in esse.* V. G. Albedo huius parietis abest, & adest præter parietis corruptionem: nec enim destruitur paries, siue absit, siue adsit, albedo. Item contingens est albedinem inesse, & pariter contingens non inesse albedinē huic parieti.

Quando dicitur: præter subiecti corruptionem debet intelligi de corruptione, vel physica, vel logica. Dicitur aliquid cor-

rumpi physice; quando re ipsa destruitur; ità corrumpitur lignum per combustionem. Dicitur corrumpi logice, quando vel demitur illi aliquid essentiale, vel additur aliquid repugnans ipsius essentiæ: hoc modo diceretur corrumpi logice homo, si vel illi demeres animal, aut rationale: vel adderes hinnibile, aut latrabile, vtrumq. enim repugnat conceptui quidditatiuo hominis. Porrò accidens, vt prædicabile definitur: *Vnum aptum prædicari de pluribus in quale, non conuertibiliter, aut necessario, sed contingenter.*

Rursùs quando dicitur accidens posse abesse, intelligi posset, aiunt nonnulli, de absentia positiua: per quam scilicet prædictum accidens est etiam in alio subiecto: puta albedo dici quodammodo potest abesse positiue ab ebore, quatenus est etiam in columba, & rapa. Modus ille absentiæ positiuæ non video quo iure dicatur absentia, quia hoc etiam modo dici posset genus abesse posse præter rei corruptionem: animal enim v.g. ita conuenit homini, vt etiam infinitis ab homine diuersis conueniat. Multò melius dicitur abesse à subiecto aliqua forma, quãdo non cõuenit omnibus inferioribus alicuius rationis communis, quamuis solis inferioribus rationis huiusmodi conueniat: ità accidens est homini esse Astrologum, quia non omni quamuis soli homini conuenit esse Astrologum.

ARTICVLVS III.

Soluuntur obiectiones.

Obijcies primo. Omne proprium eſt accidens: ergo malè aſſignatur pro prædicabili diſtincto ab accidente. Antecedens probatur, quia proprium etiam quarto modo, hoc eſt neceſsario profluens ab eſsentia, eſt quid ſuperadditum eſsentiæ.

Reſp. conceſso antecedenti, eiuſq. probatione diſtinguendo conſequens: malè ponitur pro prędicabili diſtincto ab accidente vt ſic: concedo conſequentiam: diſtincto ab accidenti communi: nego conſequentiam. In hoc differt proprium ab accidente communi, quod illud neceſsario, & conuertibiliter prædicetur: hoc verò non.

Obijcies ſecundo. Aliqua accidentia nequeunt adeſse, præter ſubiecti corruptionem, v. g. mors nequit adeſse ſine corruptione viuentis: neque morbus lethalis: item calor vt octo nequit eſse in palea, aut ſtuppa quin illam deſtruat: ergo mala eſt definitio accidentis.

Reſp. negando antecedens. Mors non eſt neque ſubſtantia, neque accidens, ſed ipſum met non eſse illius viuentis, quod cum antea eſſet, iam non eſt: adeoq. mòrs non deſtruit viuens per hoc, quod inſit viuenti, cum nemo hactenus viderit mortem in viuente. Morbus lethalis, & alia huiuſmodi videlicet diſpoſitiones ad mortem, & noxiæ qualitates, ſunt præter corruptionem ſubiecti; quandoquidem ſimul cum ſubiecto compa-

tiuntur. Non est autem contra rationem accidentis, quòd disponat suum subiectum ad corruptionem; cum ex accidentibus alia sint propitia, alia noxia. Calor vt octo non destruit subiectum, in quo est, cum non sit, nisi in igne.

Obijcies tertiò, aliqua accidentia non possunt abesse à subiecto, præter ipsius corruptionem, ergo mala definitio. Antecedens probatur, quia nec nigredo à Coruo, nec albedo à Cigno abesse possunt.

Resp. negando antecedens eiusq. probationem. Potest tota essentia Corui concipi non intellecta nigredine, definitur enim: auis crocitabilis. Et tota essentia Cigni non intellecta albedine, definitur enim: auis aquatilis funeris sui præcentrix. Quod si nomine Corui intelligas auem nigram: & nomine Cigni auem albam; nigri vt nigri est essentialis nigredo, albi vt albi albedo.

Obijcies quartò, Concipitur tota essentia hominis non concepto risibili: ergo risibile est extra essentiam hominis; ergo potest abesse ab homine.

Resp. concesso primò entimemate; disting. vltimum consequens: potest abesse logice, & præcisiuè: concedo consequentiam; physice, & negatiue: nego consequentiam. Potest concipere totam quidditatem hominis, non comparando illam cum risu; malè conciperes si negares de illa, quod sit principium radicale risus. Ex primo capite habes, quod sit accidens; ex secundo quod sit proprium.

Obijcies quinto. Pallium potest abesse, & adesse à Petro, præter Petri corruptionem

pal-

pallium non est accidens, sed substantia; ergo substantiæ conuenit definitio accidentis. Idem dices de pileo, imò & de subucula, qua fama est carere non paucos.

Resp. pallium, & alia huiusmodi esse substantiam, sed non substantiam Petri, nisi possessiuè. Potest autem vna substantia superuenire alteri substantiæ, & tunc tali substantiæ accidit. Pallium igitur est intransitiuè, & physice substantia, transitiuè, & logicè accidens. Intransitiuè idem est, ac entitatiue, & respectu sui: trànsitiuè idem est, ac respectu illius, cuius est pallium.

Obijcies vltimò. Accidens de suis inferioribus prædicatur in quid, ergo malè definitur prædicabile in quale. Antecedens probatur, quia color, v. g. prædicatur in quid de albedine. Aeque enim benè respondes roganti quid sit albedo, dicendo est color, ac roganti, quid est homo? dicendo, est animal: sed color est accidens; ergo accidens benè prædicatur in quid.

Resp. quod color, & quodlibet aliud accidens respectu inferiorum, de quibus prædicatur in abstracto æque est genus, ac animal respectu hominis, & aliorum inferiorum, de quibus dicitur; & hoc modo pertinet non ad quintum, sed ad primum prædicabile. Tunc autem prædicatur non vt accidens rei, de qua dicitur, sed, vt quidditas; vnde in abstracto dicitur interroganti, quid est: interroganti autem quale est non fit responsio per accidens in abstracto, sed per cōcretum importans accidens in obliquo, puta interroganti quid est Aetiops? benè respondes: est homo: roganti vlteriùs qualis

homo, malè responderes est nigredo, rectè: est niger. Ex his patet ad obiectionem. Dist. conf. malè definitur prædicabile in quale de suis inferioribus, & in abstracto conc. de suis subiectis, & in concreto neg. conseq.

ARTICVLVS IV.

Satisfit nonnullis curiositatibus.

1 LOgicus circa hactenus dicta curiosus querit primò, an diuisio vniuersalium quinque sit bona? Respond. affirmatiuè. Quamuis enim fieri potuerit, & in pauciora, dicendo: vniuersale est prædicabile de pluribus aliud essentialiter, aliud accidentaliter: & in plura diuidendo rationem generis in plura genera, &c. tamen diuisio à Porphyrio ad nos vsque deducta, tenenda est, & saltem ob antiquitatem veneranda.

Quærit secundò, an quinque prædicabilia: Genus, species, differentia, proprium, & accidens definiantur per genus, & differentiam: & quodnam sit genus in definitione ipsorum.

Hæc curiositas continet duas partes. Ad primam respódeo affirmatiuè. Ad secundam assigno pro genere: *Vnum aptum prædicari de pluribus*, quod vno nomine dicitur *Vniuersale*. Vidimus enim quinque illa, de quibus egimus conuenire in ratione vniuersalis; seu in hoc, quod quodlibet sit vnum aptum prædicari de pluribus; differunt autem inter se, in modo quo de suis inferioribus prædicabilia sunt, hoc est in ratione contrahente vniuersalitatem, quæ est commu-

communis omnibus. Hoc facilè intelliges repetendo definitiones singulorum.

Dices, si vniuersale est genus in definitione prædicabilium sequitur vniuersale esse genus respectu generis: consequens est absurdum; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur: quia vnum ex quinque prædicabilibus est genus: sed genus quinque prædicabilium *est*: *vniuersale*; ergo vniuersale est genus generis. Minor autem probatur, quia si *Vniuersale* est genus generis erit superiùs, & inferiùs respectu eiusdem: implicat idem respectu eiusdem esse superiùs, & inferiùs: ergo implicat *Vniuersale* esse genus generis. Probatur hæc vltima sequela maioris: quia eo ipso quod *Vniuersale* est genus generis est superius genere; est enim ratio communis generi, & cuilibet alteri vniuersale, puta speciei, differentiæ, &c. Rursus est inferiùs genere: quia est aliquod particulare genus, quodlibet autem genus in particulari est inferiùs, seu vnum ex inferioribus generis vt sic; sicut quodlibet animal in particulari est inferiùs, siue vnum ex inferioribus animalis vt sic. Hoc argumentum, quia includit abstractiones à rationibus abstractis, adeoq; multiplices reflexiones; misere torquet nonnullos, cum tamen nihil habeat difficultatis.

Resp. concessa maiori, negando minorem. Ad probationem minoris, distinguo maiorem: idem respectu eiusdem esset superiùs, & inferiùs secundum eandem rationem: nego maiorem; secundum diuersam rationem: concedo maiorem; & eodem modo distincta minori: nego consequentiam. Ad intel-

ligentiam huius distinctionis sciendum est, quod nec genus, quod est primum prædicabile est *Vniuersale*, *vt sic*, sed vnum ex vniuersalibus; nec *Vniuersale* est genus vt sic, sed vnum particulare genus, sicut animal, planta, &c. Ex eo quod genus sit vnum ex vniuersalibus, sicut & species, & differentiam, &c. fit quod & à genere, & à specie; & ab alijs, abstrahi possit hæc ratio: *Vniuersale*; sicut ex eo quod & lactuca sit planta, & pimpinella sit planta, fit vt à lactuca, & pimpinella abstrahi possit ratio plantæ: ratio autem abstracta, est superior respectu cuiuslibet, à quo abstrahatur: igitur vniuersale per abstractionem prædictam fit ratio superior respectu generis, speciei, & cuiuslibet alterius, ex quinque vniuersalibus, à quibus abstrahitur; per illam autem abstractionem, per quam constituis vnum superiùs, constituis alterum inferius, vt ex terminis patet.

Rursùs ex eo quod vniuersale non sit genus, *Vt sic*, sed vnum particulare genus, fit vt ratio generis ab ipso, sicut & à quolibet alio particulari genere: putà à ratione animalis, à ratione plantæ, abstrahi possit: per abstractionem autem huiusmodi euadit inferiùs respectu generis, *Vt sic*, ratio enim à qua abstrahitur alia ratio, est inferior ratione abstracta. Ecce quomodo idem respectu eiusdem fit modo interius modo superiùs; vel fit superius, & inferius per diuersas videlicet abstractiones. Breuiter. Vniuersale prout ipsum à genere, & alijs prædicabilibus abstrahitur, est genus generis, & superius genere: prout autem ab ipso, & ab alijs

gene-

generibus abſtrahitur ratio generis; eſt inferius genere vt ſic, quod eſt primum ex prædicabilibus. In hoc autem nulla eſt repugnantia.

Quod autem à genere, & alijs vniuerſalibus abſtrahi poſſit hæc ratio: *Vniuerſale*, adeoq; quod hæc eadem ratio ſit communis generi, alijſq; prædicabilibus non eſt, qui negare poſſit. Sicut nec poteſt negari ab hac ratione communi *Vniuerſale*, & alijs rationibus communibus abſtrahi poſſe hanc ipſam rationem rationis communis; hoc eſt tam de ratione vniuerſalis, quàm de alijs rationibus communibus prædicari poſſe, quod ſint rationes communes: & conſequenter hanc ipſam rationem rationis communis communem eſſe, & vniuerſali, & alijs rationibus communibus. Vbi aduerte totam diſparitatem inter alias, & hanc rationem communem conſiſtere in hoc, quod aliæ rationes, putà ratio animalis, ratio plantæ, ratio hominis, & ſimiles ſunt abſtractæ à primis intentionibus; hæc autem: *Vniuerſale* abſtracta eſt à ſecundis, videlicet à quinque vniuerſalibus, quæ ſunt quinque concreta ſecundo intentionalia.

QVAESTIO VII.

De indiuiduo.

ARTICVLVS I.

Quid sit indiuiduum.

INdiuiduum definitur à Porphyrio cap. de specie: *Quod de vno solo prædicari potest*, puta Socrates nequit, nisi de hoc homine singulari prædicari. Philosophus verò in prædicamentis definit substantiam primam, hoc est indiuiduũ: quod neque in subiecto est, neque dicitur de subiecto. Hæc Philosophi definitio non contradicit Porphyrianæ. Aristoteles enim loquitur de prædicatione cathegorica, per quam superiùs prædicetur de inferiori, quod intelligit nomine subiecti. Porphyrius autem etiamsi dicat dici de vno, imò non dici, nisi de vno, ly *Vnum*, non accipit pro inferiori.

Eodem capite de specie definitur ab eodem Porphyrio indiuiduum: *Quod ex proprietatibus constat, quarum collectio numquam in alio erit eadem*. Quod intelligendum est, in ordine ad potentiam naturalem. Non enim repugnat per diuinam omnipotentiam plura indiuidua ijsdem proprietatibus sensibilibus insigniri. Proprietatum collectio, qua describitur indiuiduum hoc versiculo continetur.

Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus.

Ex

Ex quo patet definiri solum indiuiduationem physicam rerum sensibilium, siue indiuiduum, prout est à nobis cognoscibile cognitione discernente inter hoc, & illud. Finge enim proponi tibi hominem talis figuræ, coloris, nominis, &c. & deinde hoc remoto proponi alium eiusdem figuræ coloris, & nominis: profectò non iurabis te vidisse duos homines, cum meritò dubites an idem bis tibi fuerit propositus. Hinc quia ob infinitas rationes vnicuiq; facile obuias, necessarium erat, vt intra indiuidua eiusdem speciei, vnum ab altero discerneretur, sapienter omnium indiuiduorum auctor, & conditor, vnicuiq; specialem quandam accidentium collectionem; per quam homo, qui nihil habet in intellectu, quod prius non habuerit in sensu vnum ab altero discriminaret.

Dixi plura indiuidua; vt à nobis discernibilia sunt, insigniri debere dissimilibus accidentibus, seu dissimili accidentium collectione: quod intelligendum est de indiuiduis à nobis distinctis. Vnus quisq; enim sine vlla reflexione ad accidentia quibus ornatur se ipsum discernit à quocunque alio, & etiamsi Deus alium hominem crearet in omnibus mihi omnino similem, quamuis alios fallerem putantes & illum alium esse me, & me esse illum alium, vt non numquam accidit, tamen circa hoc numquam ego fallerer vel putans me esse illum alium, vel illum alium esse me.

Dixi præterea pertalem collectionem explicari indiuiduum, prout à nobis vnum ab altero discernibile est; quia etiam indepen-

denter ab huiusmodi collectione, quodlibet per se ipsum est hoc & non illud; adeoque se ipso formaliter & non per aliquid sibi superadditum constituitur iu esse indiuidui: quod propterea sine vllo respectu ad accidentia definitur à D. Thoma: *in se indistinctum, ab alijs vero distinctum.*

Queritur autem hic an ab omnibus indiuiduis abstracti possit ratio communis *indiuidui*. Huic quæstio respondendum est affirmatiuè. Nam & de Petro recte dixeris, quod sit indiuiduum, & de Paulo quod sit indiuiduum, & de Bucephalo, & sic de quolibet alio. Item dicendo de Petro quod sit indiuiduum non discernis ex vi talis prædicati Petrum à Paulo, aut à Bucephalo cum etiam de quolibet huiusmodi dicere possis: est indiuiduum. Idem dic si non indiuiduum sed ipsammet indiuidui definitionem de quolibet prædicaueris. Siue enim definitionem Porphirianam accipias: *Id quod ex proprietatibus constat quarum collectio numquam in alio erit eadem*: hoc ipsum recte dixeris de quolibet. Petrus enim ex proprietatibus constat quarum collectio &c. Idem dic de Paulo, idem de Bucephalo, idem de reliquis. Siue accipias Thomisticam, videlicet: indistinctum in se, ab alijs vero distinctum: hoc idem & de Petro & de quocunque alio recte prædicabis.

Hinc habes ipsam rationem indiuidui esse quoddam vniuersale. Ad quod autem ex quinque vniuersalibus reduci debeat dubitatur. Et primo quidem constat rationem indiuidui dici de pluribus non solum specie sed etiam genere differentibus. Nam & de

Petro

Petro & de Bucephalo qui specie differunt, & de Bucephalo & de qualibet planta, & de quolibet lapide, dici potest quod sit indiuiduum, cum hæc genere sint diuersa. Hinc dixere nonnulli rationem indiuidui esse rationem transcendentalem sicut est ratio entis & ratio vnius. Alij dixere rationem indiuidui pertinere ad primum prædicabile: tota controuersia facile componeretur si diceres, & illi assentirentur, etiam rationes transcẽdentales esse rationes genericas: tunc enim verum esset *indiuiduum* esse genus & esse rationem transcendentalem. An ratio transcẽdentalis re ipsa sit genus disputabitur infra vbi de vniuocatione vel analogia entis: ibiq; lis præsens facile decidetur.

Hoc idem quod diximus de hac ratione *indiuiduum* dices de hac alia: *singulare*: nam & de Petro & de hoc folio, & de hoc lapide, recte dixeris quod sit singulare: adeoque vides etiã rationem singularis esse quid vniuersale, cum de pluribus dicatur confusis in ratione singularis: quod si attenderis ad diuersam suppositionem, nil miraberis, quod de singulari dicamus quod sit vniuersale: singulare enim sub hoc conceptu præciso *singularis* non repræsentat singulariter, sed vniuersaliter quodlibet cui conueniat esse singulare: & quia vt docet Philosophus quidquid est, aut esse potest, singulare est: hic conceptus: *singulare* omnia repræsentat.

ARTI-

ARTICVLVS II.

An quodlibet indiuiduum sua characteristica insigniatur.

AD cognitionem discretiuam vnius indiuidui substantialis ab alio : puta Petri à Paulo, dictum est requiri dissimilitudinem in collectione accidentium, quę in hoc & illo reperiuntur. Quęritur autem hic an collectio accidentium quæ in vnoquoque est, sit secundum determinatam exigentiam ipsius: ita vt Petrus secundum se, hoc est secundum suam entitatem, petat hanc determinatam collectionem. Paulus hanc aliam, quam de facto habent.

Affirmant ex Thomistis quamplurimi vt videre potes apud Siluestrum Maurum quęstione logicæ 40. qui eisdem consentit, asserens in singulis indiuiduis generabilibus & corruptibilibus dari quamdam adaptationē seu quemdam ordinem ad hoc vt generentur in certo loco, tempore &c. Hanc adaptationem siue ordinem, quem aiunt esse principium formale indiuiduationis, siue ipsam met formalem indiuiduationem cuiuslibet indiuidui, vocant characteristicam, eo quod sit nota quædam seu character quo vna substantia ab alia etiam pro priori ad collectionem accidentium discernibilis sit. Hanc sententiam multas habere commoditates late & clare explicat idem P. Maurus loco citato. His tamen non obstantibus.

Dicendum est hanc characteristicam non dari. Probatur hæc conclusio : quia exigentia dissimilium accidētium determinate, hoc

est

est huius potius quam illius collectionis nequit fundari nisi in dissimilitudine entitatiua : sed omnis dissimilitudo entitatiua est differentia specifica; ergo huiusmodi exigentia nequit fundari nisi in differentia specifica : sed implicat intra eandem speciem hoc ab illo indiuiduo differre specie ; ergo implicat intra eandem speciem hoc indiuiduũ exigere hanc determinate; illud aliud illam aliam determinate collectionem accidentiũ. Maior probatur, si enim essentia Petri est exigitiua albedinis : & essentia Pauli est per se ipsam exigitiua nigredinis , patet in essentia Petri dari prędicatum illam dissimilans ab essentia Pauli. Minor autem probata est vbi de differentia specifica.

Probatur secundo eadem Conclusio ; ad identitatem specificam requiritur perfecta similitudo, hoc est omnimoda conuenientia in prædicatis essentialibus : sed per aduersarios tollitur huiusmodi omnimoda similitudo; ergo per aduersarios tollitur identitas specifica. Explicatur hoc idem, quia ideo aduersarij volunt characteristicam vt pro priori ad accidentia vna substantia singularis sit discernibilis ab alia intra eandem speciẽ : sed secundum Philosophum vnum singulare non debet esse discernibile ab alio pro priori ad accidentia ; ergo male aduersarij requirunt prædictam characteristicam. Maior est ipsamet doctrina aduersariorum. Minor probatur quia Philosophus dicit singularia non percipi ab vlla potentia nisi prius percipiantur per sensum : hoc est singulare non esse in anima nisi prius in animam introducatur per sensum : certum est autem prædictam

cha-

characteristicam non percipi per sensum; adeoque singulare non introduci in animam per characteristicam huiusmodi: cum igitur per accidentia hoc, & illud indiuiduum introducantur in animam, per accidentia hoc ab illo indiuiduo discernetur. huc facit quod idem Philosophus docet singularia non cognosci, nisi per accidens.

Hoc ipsum reduci potest ad illud principium: *nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu*: in sensu autem nequit esse neque hæc, neque illa essentia nisi per hæc & illa accidentia, & consequenter ad hoc vt sint in sensu secundum modum, secundum quem vnum ab altero discernatur, frustra ponitur aliquid antecedens accidentia: si autem necessario sunt in intellectu, mediante sensu, hæc eadem characteristica frustra est respectu intellectus, vt patet. Hinc habes quod cũ ipsum vniuersale non sit in intellectu nisi persentum, vniuersalizare includit depurare obiectum ab accidentibus discernentibus vnum ab alio ex ijs quæ conueniunt in essentia. Vniuersale esse in intellectu per sensũ constat ex eo quod sit in intellectu per singularia: ex eo autem quod sit in intellectu per sensum, vide ne inferas eodem modo esse in intellectu, quo sunt in sensu nã in vnaquaq; potentia res est per modum ipsius potentiæ iuxta illud: *quidquid recipitur per modum recipientis recipitur*. Denique probatur conclusio solutione obiectionum.

AR-

ARTICVLVS III.

Soluuntur obiectiones.

OBijcies primò. Singula indiuidua intra eandem speciem habent determinatam collectionem accidentium, per quam vnum ab altero fit discernibile; ergo in singulis indiuiduis datur exigentia, per quam hoc petit hanc determinate, illud aliud, illam determinate collectionem accidentium. Antecedens probatur excurrendo per omnia indiuidua. Petrus habet determinatam collectionem accidentium, per quam discernatur ab omni alio. Idem dic de Paulo; idem de Francisco, idem de Antonio &c. Consequẽtia autem probatur quia collectio accidentium quæ est in Petro, est ad exigentiam Petri, & illa quæ est iu Paulo ad exigentiam Pauli.

Resp. concesso antecedenti; negando consequentiam; ad cuius probationem respõdeo cum distinctione: collectio accidẽtiũ quæ est in Petro est ad exigentiam quæ est disiunctiue huius vel illius: concedo; quę est determinatè huius: nego. Aduerte autem exigentiæ quæ est disiunctiue huius vel illius non posse actu satisfieri nisi dãdo vel determinate hanc, vel determinate illam collectionem accidentium. Qui enim apetit disiunctiue hoc, vel illud: eo ipso quod recipit alterutrum, recipit hoc potius quam illud; quia quodlibet ex disiunctiuè exigitis, est hoc potius quam illud: quamlibet autem collectionem accidentium habeat Petrus dummodo

modo sit dissimilis cuilibet collectioni cuiuslibet alterius, est sufficientissime discretiua Petri a quolibet alio.

Ex hoc igitur quod quodlibet indiuiduum petat reddi discernibile à quolibet alio non sequitur ipsum petere hanc potius quam illam collectionem accidentium: sed solum sequitur singula petere discernibilitatē hoc pacto: O auctor naturæ quamuis non petam à te neque album determinate, neque determinate nigrum: hoc tamen peto vt si aliud feceris nigrum, facias me album; si aliud album, me nigrum. Hanc orationem faciunt singula indiuidua, vnum hoc rogantia vt à singulis singula discernantur: huic orationi benigne annuit auctor naturæ, & admirabili, qua pollet sapientia, ita munera sua distribuit in singula, vt quodlibet à quolibet discernibile reddat.

Dices quodlibet indiuiduum habet collectionem accidentium quam petit: quodlibet indiuiduum habet hanc potius quam illam; ergo quodlibet indiuiduum petit hanc potius quam illam. Maior probatur quia non est potior ratio cur Deus det hanc potius quam illam nisi indiuiduum petat hanc potius, quam illam: de facto Deus dat hanc potius quam illam; ergo hoc indiuiduum petit hanc potius quam illam.

Resp. distingnendo maiorem: habet collectionem quam petit disiunctiue: concedo; quam petit determinate: nego maiorem. Ad probationem maioris patet ex dictis. Non est potior ratio cur det hanc potius quam illam collectionem accidentium; sed dat potius hanc quam illam quia vult, & volun-
tas

tas dantis est ratio dandi. Est tamen aliqua ratio in natura cur vni det collectionem per quam dissimiletur ab altero : quia singula indiuidua petunt à se inuicem dissimilari. Vbi vides optime explicari sine characteristica quomodo vnum indiuiduum petat discerni ab alio: cum constet duo idem eodem modo exigentia per hoc formaliter quod obtineant id quod petunt reddi à se inuicem discernibilia : puta si Petrus & Paulus sic petant : si feceris Petrum pusillum, fac me grandem : dicat Paulus : & vicissim Petrus : si feceris Paulum pusillum, fac me grandem : impossibile est à Deo vtrumque exaudiri quin eo ipso dissimilentur quamuis idem ambo & & eodem modo petant.

Obijcies secundò. Indiuidua in statu possibilitatis debent esse à se inuicem discernibilia; in statu possibilitatis non habent dissimiles collectiones accidentium; ergo sunt discernibilia independenter à collectionibus accidentium; ergo per ipsam met exigentiam diuersorum accidentium. Probatur hæc vltima consequentia; quia nihil potest excogitari in indiuiduis possibilibus per quod discernantur, nisi talis exigentia.

Resp. primò, quod quemadmodum indiuiduis actu existentibus insunt actu dissimiles collectiones accidentium; ita etiam possibilibus possibiliter insunt, adeoque sicut existens ab existente, ita possibile à possibili aliqualiter discernibile est.

Resp. secundò. Ex dictis, singularia esse obiecta sensuum : sensus autem non attingit possibilia : si autem non attingit, n[illegible]llum est quod neque discernit : hinc [illegible] quod neque

que in intellectu posibilia recipiuntur nisi secundum rationem essentiæ, secundũ quam vnum ab altero non est discernibile. Hinc ad argumentum nega maiorem. Verum quidem est quod intellectus potest sibi repræsentare intra eamdem speciem indiuidua affecta accidentibus dissimilantibus, & tunc vnum discernet ab altero, discernet autem per illa accidentia quæ in ipsis concipiet. Cæterum ipsa met indiuidua non exigent determinare hanc neque illam collectionem accidentium, quam intellectus sibi repræsentabit in ipsis.

Obijcies tertio. Intellectus Angelicus debet discernere quodlibet indiuiduum à quolibet alio, (sermo est de indiuiduis ordinis inferioris;) sed nequit discernere nisi detur aliqua dissimilitudo; ergo quodlibet indiuiduum debet habere aliquam dissimilitudinem à quolibet alio. Rursus intellectus Angelius non discernit per accidentia; ergo independenter ab accidentibus debet quodlibet indiuiduum à quolibet alio dissimilari. Ab intellectu Angelico transit aduersarius ad intellectum diuinum, & iure vel iniuria, sic arguit. Intellectus diuinus quodlibet discernit à quolibet: nequit hoc facere nisi quodlibet dissimiletur à quolibet; ergo quodlibet dissimilatur à quolibet.

Vereor ne intellectus aduersarij pro eodẽ habeat discernere vnum ab alio, ac iudicare vnum esse dissimile alteri. Si ita est intellectus diuinus non discenit nisi inter dissimilia; non enim iudicat esse dissimilia, nisi quæ re ipsa dissimilia sunt. Sed fallitur aduersarius: discernere enim vnum ab alio nihil

hil aliud eſt quam dicere : hoc, & illud : de duobus autem perfectiſsime ſimilibus intellectus diuinus dicit : hoc, & illud ; ergo intellectus diuinus diſcernit inter ſimilia, Imo per hoc ipſum formaliter quod dicat: hoc eſt omnino ſimile illi ; diſcernit hoc ab illo. Quod diximus de intellectu diuino, dic proportionaliter de intellectu Angelico ; hic enim quamuis infinite diſtet ab illo, tamen eſt tantæ perfectionis vt illi debeatur vis cõpræhenſiua iſtorum inferiorũ talis, vt quodlibet diſcernat à quolibet. Cæterum cũ omnimoda ſimilitudine ſtat diſcernibilitas reſpectu intellectus Angelici, quia cum omnimoda ſimilitudine ſtat diſtinctio ; adeoque hoc, & illud. Ad argumentum in forma conceſſa maiori nega minorem.

Quod autem cum omnimoda ſimilitudine ſtet diſtinctio; patet: quia illa ratio quæ formaliter dicit diſtinctionem non pugnat cum diſtinctione : ſed omnimoda ſimilitudo dicit formaliter diſtinctionem ; ergo non pugnat cum diſtinctione. Quod ſimilitudo dicat diſtinctionem, oſtenſum eſt alibi. Quod ratio omnimodæ non deſtruat rationem ſimilitudinis patet ; vel oppoſitum probari debet ab aduerſarijs : non enim iſti duo termini *omnimoda*, & *ſimilitudo* preſeferunt vllam oppoſitionem : aſſumere autem quod ſimilitudo ſit neceſſario aliqua diſsimilitudo eſt aſſumere, id quod eſſet probandum : & iſta duo : *ſimilitudo & diſſimilitudo*, ex terminis longe aliam præſeferunt repugnantiã quam hæc alia : *omnimoda ſimilitudo*.

Dices ſimilia in qualitate ſunt quorum qualitas vna : in quidditate ; quorum ratio

vna; ergo ſimilitudo dicit indiſcernibilitatem. Antecedens eſt ex Philoſopho. Conſequentia probatur quia vnitas huiuſmodi conſiſtit in hoc, puod vnum ab altero in illa ratione in qua ſunt vnum, non diſcernatur, nec diſcerni poſsit. Ita Petrus & Paulus ſunt vnum in homine: quia in ratione hominis Petrum non diſcernis à Paulo. Album *A* & album *B* ſunt vnum in qualitate; quia in ratione albi non diſcernis vnum ab alio.

Reſp. iam explicatum eſſe à nobis in quo conſiſteret vnitas eſſentiæ Petri & Pauli; qualitatis albi *A* & albi *B*. Hæc vnitas habetur formaliter per actum rationis: fundamentaliter per vtramque eſſentiam & vtramque qualitatem: intellectus humanus dum dicit: *homo* confundit Petrum cum Paulo & vniuerſalizat naturam humanam: dum dicit *album* confundit *A* cun *B* & vniuerſalizat rationem albi: ſimilia ſunt quæ huiuſmodi conceptibus fundamentum præbent, Ex hoc autem quod tales conceptus fundent in intellectu humano, male argues quod eoſdem aut ſimiles fundent in intellectu Angelico. Intellectus Angelicus cum dicit *homo* cognoſcit ſingulariter ſingula indiuidua naturæ humanæ, dum dicit *album* ſingula alba. Ariſtoteles autem definit ſimilia per ordinem ad conceptus non Angelicos, ſed humanos; & conſequenter poteſt ſtare tota indiſcernibilitas quam Philoſophi nomine petit Aduerſarius; cum diſcernibilitate quam hactenus aſſeruimus: non enim pugnant iſta duo: eſſe indiſcernibilia reſpectu intellectus humani, & eſſe diſcernibilia reſpectu intellectus Angeli-

geli-

gelici. Ratio disparitatis in doctrina aduersariorum est euidens: aiunt enim intellectũ Angelicum non facere vniuersale, quod est non dare vnitatem similibus; cum vltro concedant intellectum humanum id facere. Ad argumentum in forma concesso antec. dist. conseq. similitudo est indiscernibilitas respectu intellectus Angelici: nega; respectu intellectus humani: subdistingue: est indiscernibilitas positiue concede, negatiue, nega conseq. Similitudo plurium est eorundem indiscernibilitas positiua; quia eo ipso quod sunt perfecte similia possunt attingi conceptu non discernente hoc, & illud: cum hoc tamen stat quod attingi possint etiam conceptu discernente, & hoc modo attinguntur quãdo attingũtur vt similia: & consequẽter non excludunt aut negant circa se conceptum discernentem; non enim valet: possunt attingi conceptu confundente; ergo nequeunt attingi nisi conceptu confundente. Antecedẽs est verum; quia affirmat possibilitatem conceptus non discernentis; consequentia est falsa quia infert impossibilitatem omnis alterius conceptus. In antecedenti ponitur indiscernibilitas positiue, in consequenti indiscernibilitas negatiue.

Quæres in quo consistat omnimoda similitudo?

Resp. quod quæcunque discrepant in aliquo prædicato dicente plus quam pluralitatem terminorum, eo ipso dissimilia sunt: omnimoda igitur similitudo est conuenientia in omni omnino prædicato dicente plus quam pluralitatem terminorum. Petrus & Bucephalus dissimiles sunt; quia discrepant

in prędicato rationalis, quod non pure distinguit terminos qui cōparantur. Petrus & Paulus sunt omnino similes, quia discrepant solum in hoc, quod Petrus non est Paulus; nec Paulus est Petrus; quod dicit puram distinctionem inter terminos qui comparantur.

Dices Petreitas per quam constituiturPetrus est dissimilis Pauleitati per quam constituitur Paulus; Petreitas est de essentia Petri, Pauleitas de essentia Pauli; ergo Petrus & Paulus sunt dissimiles in essentia.

Resp. negando maiorem. Petreitas & Pauleitas habent inter se omnimodam similitudinem: nisi per Petreitatem intelligas accidentia illa per quæ Petrum discernis à Paulo: sed hæc non pertinent ad essentiam Petri: possunt autem dici Petreitas physica seu sensibilis. Ratio est quia collectio accidentium vocatur indiuiduo physica; Petreitas autem est indiuiduatio hominis ad hoc numero indiuiduum, & consequenter dici potest indiuiduatio physica huius naturæ.

Dices: cognitiones de quibus dictum est supra, videlicet duæ quæ sint albedinis *A* & duæ aliæ quæ sint albedinis *B* discrepant in aliquo prędicato dicente plus quam pluralitatem terminorum; ergo quatuor cognitiones huiusmodi carent omnimoda similitudine.

Resp. negando antecedens: ad videndum vtum rationes respectiuę habeant plus quam distingui; adeoque aliquam dissimilitudinē inter se, oportet attendere ad terminos quos ipsæ respiciunt: si isti sunt similes erunt etiam similes rationes prædictæ, si dissimiles,

les, erunt dissimiles: prædictæ autem albedines, vt dictum est alibi, supponuntur inter se omnino similes.

QVAESTIO VIII.

An vniuersale dictum de indiuiduo maneat Vniuersale.

ARTICVLVS I.

Statuitur vera sententia.

QVæstionem hanc alij sub alijs terminis instituunt: An vniuersale in actuali prædicatione retineat suam vniuersalitatem: in qua controuersia retinendum est id quod diximus, vniuersale videlicet esse vnum aptum prædicari de pluribus. Puta *homo* dicitur de Petro Paulo & alijs infinitis quę dicuntur inferiora huius rationis *homo*. Dubitatur autem an ratio illa facta vniuersalis per abstractionem, maneat vniuersalis dum per actualem prædicationē refunditur in illa inferiora à quibus abstracta est.

Pro sententia negatiua citatur à Conimbricensibus Scotus quæstione 9. in Porphyrium & in quæstione 17. ad octauum: vbi asserit per actum prædicandi extraneari relationem, hoc est vniuersalitatem, à natura. Hanc eamdem sententiam sequitur Hurtadus cap. 5. Metaph. §. 8. vbi sic habet: Non fit vniuersale eo actu quo de inferiori prædicatur, quia tunc potius vniuersale contra-

hitur à sua vniuersalitate, vt cum dico: *Petrus est homo*, li *homo* restingitur ad Petrum.

Vniuersale retinere in actuali prædicatione suam vniuersalitatem affirmant Conimbricenses & alij; inter quos Caietanus in tractatu de Ente & essentia. Vt hæc co itrouersia dirimatur sciendum est non omnino conuenire inter Philosophos de quidditate actus iudicatiui, cuiusmodi est: *Petrus est homo*; dubitatur enim an quemadmodũ hoc iudicium vocale cõstat duobus extremis vocalibus; ita etiam iudicium mentale cui correspondet, duobus extremis mentalibus cõnstet: an potius prædictus actus mentalis sit qualitas omnino indiuisibilis, in plura extrema. Prima sententia facile tuetur vniuersalitatem in actuali prædicatione, secunda paulo difficilius: vtraque tamen recte cum veritate componitur quam pro conclusione ponimus dicentes.

Vniuersale in actuali prædicatione retinet vniuersalitatem. Probatur conclusio primò, quia in hac appræhensione *homo* li *homo* est vniuersale; ergo etiam erit vniuersale in hoc iudicio: *Petrus est homo*. Consequentia probatur quia li *homo* habet eamdem apparentiam prædicatum, ac appræhensum: per apparentiam autem est vniuersale; ergo est æquæ vniuersale prædicatum ac appræhensum. Maior est vnicuique euidens. Quemadmodum enim in hac appræhensione *homo* non apparet an id quod concipis sit vnum, an multiplex; ita nec ex hoc prædicato *homo* apparet an Petrus sit vnum aut multiplex: & quemadmodum in hac appręhensione *homo*

non

non discernis inter Petrum & Paulum, ita nec ex vi prædicati *homo*, apparet tibi quod Petrus non sit Paulus: vnde dum de Petro nihil aliud dicis nisi quod sit homo, confundis in huiusmodi prædicato Petrum cum quolibet alio indiuiduo naturæ humanę.

Probatur secundò. Conclusio, quia hæc propositio *Petrus est homo* est propositio Categorica prædicationis directæ: sed in huiusmodi propositionibus prædicatum non conuenit soli subiecto sed alijs multis; ergo prędicatum in prædicta propositione conuenit non solum Petro, sed pluribus alijs à Petro distinctis: sed prædieatum restrictum ad Petrum non conuenit alijs à Petro; ergo prędicatum in prædicta propositione non restringitur ad Petrum. Explicatur hoc comparando inter se duas has propositiones: *Petrus est homo* & *Petrus est hic homo*: manifestum est inter duas hasce propositiones dari discrimen, & aliter importari prædicatum in vna quam importetur in altera. Ex hac propositione: *Petrus est hic homo* recte deduces, ergo non est Paulus. Nam: Petrus est hic homo; Paulus non est hic homo; ergo Petrus non est Paulus. Vide an eumdem Syllogismum facere possis absque li *hic*. Petrus est homo: Paulus non est homo; ergo Petrus non est Paulus. Puer trium annorum negabit minorem. Discrimen autem inter *homo*, & *hic homo* vtrunque dictum de Petro, nullum est; si in vtraque propositione li *homo* restringitur ad solum Petrum.

Dices primò, in hac propositione: Petrus est homo, li *homo* restringitur non ad hoc indiuiduum determinate, quod Petrus est,

sed ad aliquod indiuiduum vagè cognitum, ita vt sensus sit: *Petrus est aliquis homo.*

Resp. quod si ita restringitur li *homo*, ex parte prędicati Petrus ipse cognoscitur indeterminate & disiūctiue, cum li *aliquis homo* excurrat per omnia & singula indiuidua naturæ humanę: ex alio capite Petrus in hac eadem propositione cognoscitur determinate; ergo per vnam eamdemque cognitionem Petrus attingitur determinate & indeterminate; & consequenter vna simplex propositio duplicit attingit idem indiuisibile obiectum: quod aduersarius non admittit.

Dices secundò. Hanc propositionem: *Petrus est homo*, differre ab hac: *Petrus est hic homo*, quia in prima prædicatum est ex hac appræhensione *Homo* in secunda est ex hac alia: *hic homo*: secundum autem diuersas appræhensiones ex quibus oritur prędicatio, prædicatum diuersimode applicatur subiecto. Hinc est quod hæc propositio: *Petrus est hic homo*, dicitur determinata de prædicato; hæc alia: *Petrus est homo* est indeterminata de prædicato.

Resp. hanc responsionem fauere nostræ sententię: quod videlicet eamdem determinationem aut indeterminationem retineat ratio prædicata, quam habuit pure appræhensa, & quia pure appręhensa habuit indeterminationem sufficientem ad vniuersale; hanc eamdem habet in actu prędicationis. Item retinet in actu prædicationis apparentiam quam habuit in appræhensione: fuit in appręhensione sufficiens ad vniuersale, ergo &c.

Dices tertio. In hac propositione: *Petrus est*

est homo li *homo* restringitur exercite, non vero signate: in hac autem alia: *Petrus est hic homo*, li *homo* restringitur non solum exercite sed signate: sicut v. g. in hac propositione: lac est album, prædicatur albũ cognitum exercite: implicat enim prædicari & non cognosci: in hac alia: lac est album cognitum, prædicatur album cognitum, non solum exercite, sed signate. Dicitur in hac propositione: *Petrus est homo* restringi homo exercite quia re ipsa cognoscitur homo qui est Petrus, quamuis non afficiatur vllo Syncategoremate determinante ipsum ad Petrũ: dicitur in hac alia: *Petrus est hic homo*, restringi signate, quia afficitur Syncategoremate *hic* determinante ad hoc, præ omni alio, indiuiduum.

Resp. interrogando aduersarium an hæc appræhensio *Petrus* restringat signate an solum exercite rationem hominis ad Petrum? si neget; in hac propositione: *Petrus est hic homo*, quomodo restringitur signate? Nam concipere Petrum sub conceptu Petri est cõcipere naturam ex parte obiecti contractam ad hoc indiuiduum hoc est singularizatam: non aliter autem restringitur signate *homo* per li *hic*, quam per hoc quod concipiatur ratio hominis singularizata seu indiuiduata: eodem igitur modo restringitur natura humana per hanc appræhensionem: *Petrus*, ac per hanc aliam: *hic homo*. Si autem eodem modo restringitur in vna ac in alia appræhensione, eodem modo restringitur in vna ac alia propositione. Implicat enim in hac appræhensione: *Petrus* restringi hominem signate ad hoc indiuiduum, & non restringi signate

nate in hoc iudicio: *Petrus est homo*. Patet hoc in doctrina aduersariorum. Intantum in hac appræhensione: *Petrus* natura humana restringitur signate, in quantum clare attingitur hoc indiuiduum *Petrus*, sed etiam in hoc iudicio: *Petrus est homo* clare & determinate attingitur hoc indiuiduum; ergo etiã in hoc iudicio restringitur signate natura humana. Si autem signate restringitur non aliter apparet in vno, quam in altero ex prædictis duobus iudicijs.

Quod si dicat restringi signate in hac propositione: *Petrus est homo* rationem hominis ex parte subiecti, solum autem exercite ex parte prædicati: iam recurrit ad distinctionem quam in nobis improbat; dum dicimus per vnam eamdemque simplicem cognitionem idem indiuisibile obiectum aliter cognosci ex parte subiecti; aliter ex parte prædicati. Si vero dicat in hac appræhensione *Petrus*, naturam humanam restringi solum exercite, non videtur hoc posse subsistere quia qui concipit Petrum concipit ex parte obiecti rationem indiuiduantem naturã humanam; ratio autem quæ concipitur ex parte obiecti importatur signate: huc facit quod dicitur ab aduersario, videlicet quod dum dico *album* importo solum exercite cognitionem quia hoc dicere est cognoscere: dum dico *cognitum* importo signate cognitionẽ; quia ipsa cognitio venit ex parte obiecti, & terminat cognitionem reflexam: quod autẽ ex parte obiecti veniat singularitas dum dico *Petrus* est doctrina communis apud aduersarios.

Præterea aduertendum est facile esse labi

in

in æquiuocationem in hac materia. Certum eſt eſt hanc propoſitionem: *Petrum eſt homo*, eſſe veram non per omnes homines: ſed per illum ſolum, qui Petrus eſt: nec enim Paulus, aut Franciſcus verificat hanc propoſitionem: *Petrus eſt homo*: ſed aliud eſt hanc propoſitionem non verificari, niſi per illum hominem, qui Petrus eſt; aliud per hanc propoſitionem non repræſentari, niſi illum hominem, qui Petrus eſt. Hæc propoſitio: *Petrus eſt vel Petrus, vel Paulus*: eſt vera, & verificatur per Petrum ſolum: nemo tamen dixerit per hanc propoſitionem repręſentari Petrum ſolum. Propoſitio diſiunctiua repræſentat vtrumq. ex diſiunctis, quamuis verificetur per vnicum, vt diximus in loco. Denique concluſio ſupra poſita probabitur vlteriùs per argumenta aduerſariorum.

ARTICVLVS II.

Satisfit nonnullis obiectionibus.

OBijcies primò, cum Scotiſtis *Si homo* in hac propoſitione: Petrus eſt homo retinet vniuerſalitatem, ſeqnitur de Petro prędicari hominem vt ſic; conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Sequela maioris probatur, quia *Si homo* retinet vniuerſalitatem prædicatur homo vniuerſalis: homo vniuerſalis eſt homo vt ſic; ergo prædicatur homo vt ſic.

Reſp. concedendo totum. Dices, ergo vera eſt hæc propoſitio: *Petrus eſt homo vt ſic*; ergo & hæc alia: *Petrus eſt ſpecies*. Probatur hæc vltima conſequentia, quia homo vt

sic est species: sed Petrus est homo vt sic; ergo Petrus est species.

Resp. negando totum. Nego totum, & eo per singula. Non valet: prædicatur de Petro homo vt sic; ergo Petrus est homo vt sic, appellando ly *Vt sic* signate, & non purè exercite. Prædicari de Petro hominem vt sic, nihil aliud est, quam quod hoc prædicatum, *Homo* dicatur absolute, simpliciter, & sine addito de Petro: & de facto ita dicitur: prędicari hominem vt sic, ponendo ly *Vt sic* signate, ex parte prædicati, est quod de Petro dicatur, quod sit natura humana, prout substans tali conceptui; qui conceptus non solùm exerceatur circa ra. ionem, quæ dicitur, sed etiam ipse prædicetur de subiecto: Nostra autem sententia est, quod homo etiam dum dicitur de Petro substat conceptui vniuersalizanti, & hoc est prædicari hominem vt sic exercite; non autem quod hic ipse conceptus vniuersalizans importetur ex parte obiecti, dum prædicatur homo; quod esset prædicari hominem vt sic signate. Adeoq; Scotistæ committunt hic fallaciam accidentis de qua diximus in Summulis, dum cognitionem ipsam prædicari inferunt ex eo, quod prædicetur res substans cognitioni.

Hinc habes, quod in aliquo sensu species prædicatur de indiuiduo, in alio non: prædicatur species secundum id, pro quo supponit, non autem secundum id omne, quod significat. Cæterum hæc propositio species prædicatur de indiuiduo est simpliciter vera, cum hoc ipsum importetur in definitione speciei, quod videlicet sit prædicabile de pluribus indiuiduis; non autem prædicatur

vt

vt species si ly *Vt* reduplicet supra rationé, qua res constituitur in esse speciei, tamquam supra rationem prędicatam : prædicatur autem vt species, si ly *Vt* reduplicet supra talem rationem tamquam supra rationem, cui res substet dum actu prædicatur. Homo prędicatur de Petro vt species, siue vt homo vt sic : ly *Vt*, reduplicante supra conceptum tamquam supra rationem prædicatam: nego: ly *Vt*, reduplicante supra conceptum, tamquam rationem cui substat natura humana, dum actu prædicatur de Petro:concedo:& ex his patet ad reliqua.

Obijcies secundo, si ly *Homo* in propositione prædicta manet vniuersalis, sequitur propositionem esse falsam : consequens est absurdum ; ergo & antecedens, sequela maioris probatur, quia si homo est vniuersalis prædicantur de Petro omnes homines ; ergo propositio est falsa. Probatur consequentia, quia ad veritatem propositionis affirmatiuæ debet dari identitas inter rectum subiecti, & rectum prædicati : in propositione autem prædicta rectum subiecti, est Petrus, & rectum prædicati sunt omnes homines ; imò nihil venit in prædicta propositione ex parte obiecti, nisi Petrus, & omnes homines in recto:non datur autem identitas inter Petrū, & omnes homines,vt est manifestum.

Resp.hoc eodem argumento probari hanc propositionem Petrus est, vel hic, vel ille homo esse falsam : nam neque in hac datur identitas inter subiectum, & prædicatum, cum pro prædicato veniant hic, & ille homo in recto. Dic igitur dari identitatem inter subiectum, & prædicatum in propositio-

ne prædicta, sed inadæquatam, ex quo patet ad argumentum in forma. Neganda est enim sequela maioris, ad probationem concesso antecedenti; nega consequentiam. Ad probationem huius vtere distinctione prædicta: concede non dari identitatem adæquatam; nega non dari nec inadæquatam: quæ sufficit ad veritatem.

Atq; hic aduertendum est sæpissimè falli nonnullos, dum ad veritatem, vel falsitatem propositionis indagandam nihil aliud attendunt, quam id, quod venit ex parte obiecti; cum tamen maximopere aduertendum sit admodum, quo attinguntur obiecta. Tres istæ propositiones. *Petrus est homo. Petrus est aliquis homo. Petrus est omnis homo*; non differunt ex obiecto, cum omnes habeant pro subiecto Petrum, & pro prædicato omnes homines: sunt tamen inter se valde diuersæ; prima attingit omnes homines conceptu præcisiuo, & non discernente, an sint plura vel vnum. Secunda attingit omnes homines exprimendo pluralitatem, & æquiualenter disiungendo per singulos: *Aliquis* enim non dicitur, nisi vbi est pluralitas: tertia attingit omnes collectiuè, & omnes collectiuè affirmat de Petro. Prima, & secunda est vera, tertia est falsa. Præterea hæc ipsa propositio: *Petrus est homo*, non habet obiectum diuersum à sua contradictoria: *Petrus non est homo*; cum tamen impossibile sit vtramq; esse veram; ineptum est igitur sic arguere: hæc propositio habet idem obiectum, quod hæc alia; ergo est æque vera, ac hæc alia. Prima est vera, quia est affirmatiua prædicati conuenientis subiecto; Secunda

est

eſt falſa, quia eſt negatiua eiuſdem: affirmare autem, & negare non eſt in obiecto, ſed in propoſitione.

Dices. Si ad veritatem propoſitionis ſufficit identitas inadæquata inter prædicatum, & ſubiectum ſequitur hanc propoſitionem: *Scipio eſt exercitus*, eſſe veram. Conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Minor eſt manifeſta. Sequela maioris probatur: quia inter Scipionem, & Exercitum datur identitas inadæquata. Scipio enim eſt pars exercitus: ſed ſufficit identitas inadæquata; ergo propoſitio erit vera.

Reſp. negando ſequelam maioris. Aliud eſt, quòd in aliqua propoſitione ſufficiat ad veritatem identitas inadæquata, aliud quod in omni, inter prædicatum, & ſubiectum. In hac propoſitione: *Petrus eſt homo*, ſufficit talis identitas: non ſufficit in hac alia: *Scipio eſt exercitus*. Diſparitas inter vtramq; eſt, quod hoc prædicatum: *Homo*, eſt virtualiter diſiunctiuum, ſeu reſolubile per particulam *Vel*, excurrendo per ſingulos. In hac autem alia: *Scipio eſt exercitus*, prædicatum eſt formaliter collectiuum, adeoq; nequit verificari de vno, qui eſt ſolum pars talis collectionis. Hanc propoſitionem: *Petrus eſt homo*, benè reſolues per *Eſt, vel hic, vel ille, vel ille homo*. Hanc autem: *Scipio eſt exercitus*, malè per: *Eſt vel hic, vel ille exercitus*.

Obijcies tertiò. Ad hoc vt fiat hæc propoſitio: *Petrus eſt homo*, debet præcognoſci identitas inter prædicatum *Homo*, & ſubiectum *Petrus*; ergo vel identitas adæquata, vel inadæquata: ſed ſiue cognoſcatur adæ-

qua-

quata, siue inadæquata hoc prædicatum, *Homo*, recedit ab vniuersalitate; ergo in hac prædicatione: Petrus est homo, ly *Homo*, non retinet vniuersalitatem. Probatur minor subsumpta, quia si cognoscatur identitas adæquata, cognoscitur solum ille singularis homo, qui est Petrus: nam solum cum illo homine, qui Petrus est, Petrus identificatur adæquatè: si autem cognoscitur identitas inadæquata, eo ipso intelligitur, quod præter illum hominem, qui Petrus est dantur alij, & consequenter repræsentatur formaliter multiplicitas ex parte obiecti. Cognoscere enim, quod ly *Homo*, inadæquatè identificatur cum Petro, est cognoscere, quod per ly *Homo*, significantur plures homines; quorum aliquis est, & aliquis non est Petrus: hoc autem est cognoscere, quod homo repræsentat aliquem, & aliquem; quod est attingere formaliter pluralitatem.

Resp. primò hoc argumentum non militare contra actualem prædicationem, sed contra cognitionem, quam aduersarius dicit præire prædicationi, & mediare inter simplices apprehensiones subiecti, & prædicati, & eorumdem compositionem intentionalem per affirmationem vnius de altero. An re ipsa huiusmodi cognitio præcedat iudicium; an non: est controuersia alterius loci. Est autem nobis valde probabile, vt alibi indicauimus, intellectum per apprehensionem extremorum sibi conuenientium sufficienter determinari ad affirmationem vnius de altero. Quidquid tamen sit.

Resp. secundò transmisso ante[illegible]. distinguendo consequens: debet cognosci identitas

tas

tàs adæquata, vel inadæquata realiter: concedo conſequentiam, debet cognoſci formaliter adæquata, vel inadæquata, nego conſequentiam. Illa identitas, quæ cognoſcitur, re ipſa eſt adæquata, vel inadæquata; non propterea eſt neceſſe, vt cognitio illam attingens, exprimat illam formaliter vt adęquatam, aut vt inadęquatam; aut ſub diſiunctione adęquatę, vel inadęquatę. Animal, quod vides à longè, re ipſa eſt, vel rationale, vel irrationale: implicat enim animal, quod neutrum ſit, vel vtrumq; Non tamen quęlibet cognitio illud attingens repręſentat ipſum vt rationale, aut vt irrationale, aut cum formali diſiunctione inter rationale, & irrationale: Datur enim conceptus formaliter ab vtraq. ratione pręſcindens. Sic etiam identitas eſt ratio indifferens ad inadęquatam, & adęquatam, ſufficitq. illam concipi conceptu præſcindente ab vtraque differentia, etiam ſi neceſſe ſit illam concipi.

ARTICVLVS III.

Reſpondetur alijs obiectionibus.

OBijcies 4. Si vniuerſale, dum actualiter prędicatur de inferiori, manet vniuerſale, ſequitur Equum, Bouem, & Aſinum prædicari de homine: conſequens eſt abſurdum; ergò & antecedens. Sequela maioris probatur, quia de homine prædicatur animal ſecundum totam vniuerſalitatem, animal autem ſecundum totam ſuam vniuerſalitatem continet Equum, Bouem, & Aſi-

Asinum. Minor autem videtur manifesta, cum nequeat dari identitas inter hominem, & huiusmodi animalia.

Resp. concessa maiori; negando minorem. Hæc propositio: *Petrus est vel homo, vel equus*, est vera; & tamen nequit dari identitas inter Petrum, & equum. Si quando prędicatur animal de homine prædicarentúr solum Equus, Bos, Asinus: falsa esset propositio: sed quia simul prædicatur illud animal, quod est homo, & propositio est resolubilis disiunctiuè per omnes species animalium; ideò est vera. Non magis identificatur Paulus cum Petro, quam equus cum homine: & tamen vidimus supra & Paulum, & quemlibet alium hominem prædicari de Petro.

Obijcies quintò. Si vniuersale retinet vniuersalitatem in actuali prædicatione sequitur idem cognosci clarè, & non cognosci clarè per eundem indiuisibilem actum: consequens repugnat: ergo & antecedens. Sequela maioris probatur, quia in hac propositione: *Petrus est homo*; attingis clarè Petrum, & simul non attingis clarè: quia per ly *Homo* attingis obscurè omnia indiuidua naturæ humanæ: si autem omnia, etiam Petrum; ergo per eandem cognitionem attingis clarè, & obscurè Petrum. Sed eo ipso, quod attingis obscurè non attingis clarè: ergo eundem Petrum attingis clarè, & non attingis clarè.

Explicatur hoc. Per hunc actum: *Petrus est homo*, discernis Petrum ab omni eo quod non est Petrus: sed per eumdem actum non discernis Petrum ab omni eo, quod non est

Pe-

Petrus; ergo per eundem actum discernis,& non discernis Petrum ab omni eo quod non est Petrus. Minor probatur: quia per prędictum actum facis vniuersale, sed implicat fieri vniuersale per actum discernentem vnū indiuiduum ab omni alio; ergo per prædictum actum non discernis Petrum ab omni eo quod non est Petrus. Rursus quod implicet eandem cognitionem eiusdem obiecti esse simul claram & obscuram facile probatur: quia implicat in terminis, non habere vllam claritatem & habere aliquam claritatem: sed esse obscurum est non habere vllam claritatem esse clarum est habere saltem aliquam claritatem: ergo implicat eundem actum esse simul clarum & obscursum. Explicatur hoc esse obscursum cubiculum non est quod cubiculum non recipiat lucem ab hac vel illa fenestra, sed est quod ex nulla parte recipiat lucem: vndecunque enim veniat lux tollit obscurum; & vicissim obscurum negat omnem lucem.

Resp. ordine retrogrado incipiendo ab hoc vltimo. Explicatio illa luminis cubicularis tam facit ad rem quā si explicares hic quidditatem lactucæ vel Pimpinellæ. Verum est quod ex quacunque parte lux ingrediatur cubiculum, tollit obscuritatem falsum est quod tollat omnen obscuritatem. Quod autem in cognitione claritas, & obscuritas simul reperiantur ostenditur demonstratiue. Nam cum cognitione non repugnat obscuritas; ergo cum charitate stat obscuritas. Antecedens est manifestem, nam datur cognitio obscursa, adeoque ratio obscuri non pugnat cum ratione cognitionis. Probatur

iam

iam consequentia: quia repugnat in terminis cognitio quæ non sit repræsentatio alicuius obiecti: repræsentatio autem sine aliquo lumine, adeoq; sine aliqua claritate est imperceptibilis. Hinc est quod aduersarius media nocte nihil videt;accedente aurora videre incipit,& cresente die,melius & melius,hoc est clarius & clarius videt:cæterū vbi incipit videre ibi aliquid est luminis,adeoq;claritatis.

Hoc idem aduersarius dicit, si sapit, vbi de gradibus metaphysicis. Animal videtur clare, in famosa illa hypothesi Petri visi à longe; & rationale videtur obscure: animal & rationale sunt idem; ergo idem videtur clare & obscure: concede totum, nam cognoscere clare est quod cognitio prædita sit aliqua claritate: cognoscere simul obscure est quod careat vlteriori claritate: vnde eadem claritate qua cognoscitur animal cognoscitur rationale: & eadem obscuritate qua cognoscitur rationale cognoscitur animal. animal cognoscitur tanta claritate vt discernatur ab omni non animali: hac eadem claritate cognoscitur rationale. Rationale cognoscitur tanta obscuritate vt non discernatur ab omni non rationali,hac eadem obscuritate cognoscitur animal: neutrum autē cognoscitur clare & non clare: obscure & non obscure: hinc habes quod respondeas ad hoc: Idem cognoscitur clare & obscure;ergo clare & non clare: concede antecedens; & nega consequentiam:non clare:negat omnem claritatem,adeoque non stat cum clare. Nō obscure: negat omnem obscuritatem;adeoq; non stat cum obscure.

Ad id quod secundo loco dicebatur, videlicet

licet diſcerno Petrũ ab omni nõ Petro & ſimul non diſcerno. Reſp. cum diſtinctione: diſcerno ſubiectiue, & non diſcerno ſubiectiue: nega; diſcerno ſubiectiue & non diſcerno prædicatiue: concedo; quid autem repugnantiæ eſt quod illud idem quod diſcernis vno genere diſcretionis, non diſcernas alio. Etiam aduerſarius determinat ſubiectiue Petrum in propoſitione prædicta, & ſimul indeterminat vel diſiungit prædicatiue. Ecce diſiungit & non diſiungit. Diſcernere ſubiectiue eſt quod ſubiectum propoſitionis ſit hoc & non aliud indiuiduum: non diſcernere prędicatiue eſt quod ex vi talis prædicationis, ſeu talis prædicati hoc ipſum non appareat quod videlicet ſubiectum ſit hoc & non aliud.

Ad primam obiectionem in forma. Nega maiorem. Ad probationem patet ex dictis. Quod diximus de diſcretione ſubiectiua & prædicatiua, dic de claritate. Hoc ipſum eſt quod alijs terminis dici poſſet: cognoſco clare ſiue diſcerno, ex parte ſubiecti, non cognoſco clare ſiue non diſcerno ex parte prædicati.

Dices. Si iudicium eſt indiuiſibilis actus non conſtat ex vno & altero extremo; ergo implicat quod per vnum extremum diſcernat & per alterum non diſcernat. Conſequẽtia eſt euidens.

Reſp. nos non dixiſſe hunc actum: *Petrus eſt homo* conſtare duobus extremis per quorum alterum diſcernat, & per alterum non diſcernat. Diximus hunc indiuiſibilem actũ diſcernere ſubiectiue, nõ autem prædicatiue. Idem autem indiuiſibilis actus eo ipso quod

est iudicium est subiectiuus & prædicatiuus attingens vel idem diuersi mode, vel etiam diuersa. Hic actus: *Petrus est homo*, attingit diuersa; repræsentat enim non solum Petrum sed etiam omnia alia indiuidua naturæ humanæ: adeoque quamuis hic actus non constet extremis formalibus, hoc est constiuentibus ipsummet actum: habet tamen extrema obiectiua: Petrum videlicet qui est subiectum propositionis & Petrum simul cum omnibus alijs indiuiduis naturæ humanæ quæ sunt prædicatum. Hic alius: *Homo est animal rationale* attingit idem tam ex parte subiecti quã ex parte prædicati; sed diuersimode. Debent hoc fateri etiam aduersarij apud quos hæc propositio: *homo est animal rationale*, non est identica, sicut esset hæc: *Homo est homo*: ideo autem non est identica quia quamuis repræsentet idem ex parte prædicati quod ex parte subiecti, repręsentat tamen diuerso modo. Potest igitur idem actus repręsentare idem obiectum vno, & alio modo.

Propterea hic actus: *homo est animal rationale* recte dicitur æquiualere duobus actibus quorum vnus sit hic: *homo*; alius auté sit: *animal rationale*. Ratione autem talis ęquiualentiæ idem per eundem actũ diuersimode apparet vni eidemque intellectui juxta doctrinam Philosophi quod videlicet quotiescunqne idem sibi ipsi idem esse dicimus eodem ceu pluribus vtimur: hoc est per illum eundem actum perquem idem de se ipso affirmamus, idem induit apparentiam duorum. Quod idem est ac si diceres huiusmodi actus ita repręsentat illud obiectum,

ac

ac ſi eſſet non vna, ſed duplex forma extrinſeca ipſius : ſi autem eſſet duplex forma extriuſeca non eſt dubium quin per vnam alio modo repræſẽtaretur quam per aliam: igitur poteſt vna eademque forma idem obiectum diuerſimode repræſentare. Quod dixi de hac propoſitione : *homo eſt animal rationale* dic proportionaliter de hac alia : *Petrus eſt homo*.

Hinc intelliges quem ſenſum faciat propoſitio qua ſic loquimur : hic actus : *Petrus eſt homo* vniuerſalizat,quatenus eſt attingẽtia prædicati,non autem quatenus eſt attingentia ſubiecti. Item hic actus : eſt clara attingentia Petri, quatenus eſt tendentia in ſubiectum ; non eſt clara attingentia Petri quatenus eſt tendentia in prædicatum : Per huiuſmodi *quatenus* explicatur prædicta æquiualentia & redditur ratio propter quam poſſit idem diuerſimode attingere. Vbi aduerte eſſe valde diuerſas duas haſce propoſitiones: *hic actus non eſt clara attingentia Petri*, & ; *hic actus non eſt clara attingentia Petri, quatenus eſt tendentia in prædicatum*. Vt prima ſit vera non debet eſſe vllo modo clara attingentia Petri : vt ſit vera ſecunda;ſufficit non eſſe claram attingentiam Petri, ſecundum rationem, ſecundum quam æquiualet actui non clare attingenti Petrum.

Inſtabis. Actus intellectus vt vniuerſalizet non debet vllo modo eſſe clara expreſſio vllius indiuidui. ſed hic actus : *Petrus eſt homo*, eſt aliquo modo clara expreſſio vnius indiuidui, videlicet Petri; ergo hic actus nequit vniuerſalizare.

Reſp.

Resp. negando maiorem; quę vera est solum de actu ita simplici vt non æquiualeat modo supra explicato pluribus. Dixi: *modo supra explicato* quia non quęlibet æquiualentia sufficit ad intentum.

Obijcies vltimo. Terminus magis vniuersalis positus cum minus vniuersali restringitur: sed animal in hac propositione: *Homo est animal*, est terminus magis vniuersalis positus cum minus vniuersali; ergo in hac propositione restringitur. Maior patet ex dictis in summulis vbi de restrictione. Minor est euidens; *animal* enim est terminus magis vniuersalis, quam *homo*.

Resp. certum esse etiam apud aduersarios hanc propositionem: *homo est animal*, non esse de prædicato restricto: cũ euidens sit esse de prædicato simplici & non cõplexo. Hinc habes ad argumentum distinguendo maioré: terminus minus vniuersalis restringit vniuersaliorem si coalescat cum eo in vnitatem termini, seu in terminum complexum: concedo maiorem; si vnus ponitur pro subiecto, alter pro prædicato nego maioré, & eodem modo distincta minori; nega consequentiam. Quando dicũt summulistę terminum minus vniuersalem restringere magis vniuersalem; dicunt rationem complexam, hoc est significatam per terminum complexum, constantem ex magis & minus vniuersali, non posse dici de ijs omnibus de quibus dicitur ratio vniuersalior per se accepta. Puta: *homo sapiens* nequit dici de ijs omnibus de quibus dicitur *homo* hoc modo non restringi animal in propositione supradicta manifestum est, ex eo quod esset mala illatio; homo est ani-

mal

mal; ergo eſt riſibilis; quod tamen liceret inferre ſi pro animali poneres animal rationale. Recte enim argueres: *homo eſt animal rationale; ergo eſt riſibilis*, inferendo ex eſſentia primam paſſionem eſſentiæ.

ARTICVLVS VLTIMVS,

Expediuntur reliqua.

EX ijs quæ diximus ſuperiori articulo aliqua hic colligere oportet Primum, eſt in hac propoſitione: *Petrus eſt homo:* idem dic de hac alia: *Homo eſt animal* venire aliud ex parte ſubiecti, aliud ex parte prædicati. Ex parte ſubiecti in prima propoſitione venit ſolus Petrus, ex parte prædicati veniunt omnes homines. In ſecunda ex parte ſubiectr omnes homines; ex parte prædicati õnia animalia. In prima propoſitione vniuerſalizãtur omnes homines, non autem Petrus, qui neque per hanc neque per vllam aliam cognitionem poteſt vniuerſalizari; ſingulare enim eſt incapax vniuerſalizationis, cum hæc dicat exparte obiecti multiplicitatem. In ſecunda vniuerſalizatur & natura humana, quæ eſt ratio ſpecifica; & ratio animalis, quæ eſt generica, vnde in prima propoſitione vere ſpecies dicitur de indiuiduo; in ſecunda genus de ſpecie. Ex eo autem quod prædicta cognitio vniuerſalizet omnia inferiora naturæ humanæ, non autem vniuerſalizet Petrum, vide ne inferas: ergo idem actus vniuerſalizat & non vniuerſalizat: quæ conſequentia non magis valet quã hæc: homo habet articulas in capite & non

habet

habet articulas in pedibus; ergo habet & non habet auriculas.

Secundum est quod hæc propositio: & *Pe-Petrus & Paulus est homo* idem sibi vindicat quo ad vniuersalitatem sui prædicati quod ista *Petrus est homo* : de pluralitate apparentium ex parte subiecti, idē dic, quod dixisti de singularitate siue vnitate apparentis ex parte subiecti, in alia: vniuersalizatio enim vtrobique se tenet ex parte prædicati: Vbi aduerte quod quemadmodum ex hac: *Petrus est homo*, male inferres vnitatem Petri; cum ex prædicato non appareat an sit vnum, vel multiplex subiectum: ità ex hac alia, *Et Petrus, & Paulus est homo*, malè inferres esse duos homines; cum hoc non appareat ex vi prædicati indifferentis, vt dicatur de vno, vel de pluribus. Ex hoc ipso patet discrimen inter hanc propositionem: *Petrus est homo*: & hāc aliam: *Petrus est aliquis homo*. Per hanc: *Petrus est homo*, non apparet pluralitas ex parte prædicati, apparet per hanc aliam: *Petrus est aliquis homo*: cum hoc syncategorema *Aliquis*, denotet pluralitatem significatorum per terminum quem afficit: vnde aiunt Summulistæ: nō poni, nisi cum terminis communibus.

Tertium est, quod ad tuendam vniuersalitatem in actuali prædicatione malè recurrūt nōnulli ad hoc, quod iudiciū reflectat formaliter supra præuias apprehensiones: puta hoc iudicium: *Petrus est homo*, supra duas apprehensiones *Petrus*, & *homo*. Nam iudicium indiuisibiliter reflectit supra vtrumq & consequenter clarè exprimit singularitatem subiecti: si autem clara expressio talis

sin-

singularitatis officit vniuersalitati, parum refert an sit in cognitione formaliter reflectente, an non formaliter reflectente supra prçuias rationes. Quod si esset reflexio supra apprçhensionem prædicati dumtaxat, esset tolebalilius audire quod vniuersalizat quatenus est reflexio.

Qui sic Philosophantur nihil aliud dicere possunt quam actum iudicatiuum esse reflexiuum supra duos actus, alterum vniuersalizantem, alterum non vniuersalizantem: esse autem reflexiuum huiusmodi, non est vniuersalizare, sed præsupponere cognitionem vniuersalizantem sibi cœxistentem, quod non negant aduersarij. Fatentur enim quod cum actu iudicij stat in intellectu bina apprehensio quarum vna facit, altera non facit vniuersale.

Insuper per hoc præcise quod vna cognitio attingat aliam cognitionem obscure repræsentantem Petrum, non constituitur formaliter obscure attingens Petrum. Patet hoc: quia diuina cognitio cognoscit cognotionem per quam ego dico: *homo* & confuse mihi repræsento omnia indiuidua naturæ humanæ: nec tamen diuina cognitio attingit confuse eadem indiuidua: quia videlicet est expressio non solum cognitionis confusę, sed etiam eorum omnium quæ per cognitionem confusam attinguntur; expressio, inquã, claritatis infinitæ: vnde quamuis intellectus diuinus cognoscat cognitionem vniuersalizantem, non tamen vniuersalizat.

Hinc ex hoc præcise quod vna mea cognitio attingat aliam item meam cognitionẽ obscure repræsentantem Petrum, non sequi-

tur quod & ipsa obscure repræsentet Petrũ: Nam si simul habeat esse expressionem claram eiusdem Petri, ex prædicto capite non euadet obscura. Diximus alibi cognitionem reflexam supra cognitionem vniuersalizantem vniuersalizare & ipsam; & recte diximus, dummodo hæc eadem non sit clara & distincta expressio repræsentatorum, si esse claram expressionem huiusmodi pugnat cum vniuersalizatione. Hæc dicta sunt vt pateret quam inaniter ad vniuersale in actuali prædicatione recurratur ad reflexionẽ actus indicatiui supra apprehensiones.

Dices esse disparitatem inter intellectum diuinum & humanum, vtrunque videntem cognitionem obscure expressiuam Petri: nam intellectus diuinus videt Petrum non in cognitione obscura quam videt, sed in se ipso; adeoque ex hoc quod videat actum obscure expressiuum Petri, dici nequit quod ipse sibi Petrum obscure repræsentet. Intellectus autem humanus ita videt cognitionem obscure expressiuam Petri, vt in tali cognitione videat Petrum; adeoque potest dici obscure sibi repręsentans Petrum per hoc formaliter quod reflectat supra cognitionem prædictam.

Resp. hanc disparitatem non facere ad rẽ. Nam ideo intellectus diuinus non cognoscit obscure per cognitionẽ terminatam ad cognitionem obscuram, quia ipsius cognitio est indiuisibiliter clara expressio obiecti: ergo etiam si cognitio humana terminetur ad cognitionem obscuram, non habebit ex hoc præcise cognoscere obscure, si simul sit clara expressio obiecti vndecunque tandem habeat huius-

huiuſmodi claritatem: ſed vt vidimus actus reflexiuus attingit indiuiſibiliter & appræhenſionem claram, & appræhenſionem obſcuram eiuſdem obiecti; ergo per reflexionem, ſeu per rationem reflexiui nequit ſaluari vniuerſalitas, ſi hæc aliunde repugnet; videlicet ex capite claritatis qua idem obiectum repræſentatur.

Denique tenendum eſt quod ſuprà diximus eundem vnum & indiuiſibilem actum æquiualere in genere formæ extrinſecæ pluribus actibus quorum alius vno, alius alio modo idem repræſentet iuxta illud: *eodem ceu pluribus vtimur*, quod non debet intelligi ſolum de præuijs appræhenſionibus; ſed de ipſomet iudicio: & per hanc æquiualentiam difficultates præcipuæ diſſoluuntur vt patet.





DISPVTATIO IV.

In *Aristotelis prædicamenta.*

QVAESTIO I.

De Vniuocis AEquiuocis & Analogis.

ARTICVLVS I.

De Vniuocis.

PRAEDICAMENTA quorum hic explicationem aggredimur nihil aliud sunt, quã classes quædam, seu quædam capita rerum, ad quę omnia reducuntur, seu sub quibus omnia continentur. Hæc autem prædicamenta quæ Grecis Categoriæ dicuntur, sunt omnino decem, enumerata à Philosopho in lib. Prædic. capit. 5. videlicet. *Substantia. Quantitas. Qualitas. Relatio. Vbi. Quando. Situs. Habere. Actio. Passio.* Quidquid enim est vel est substantia vel accidens; si substantia pertinet ad primum caput, videlicet ad substantiam; si accidens; ad vnum ex nouem alijs prędicamentis.

Prius quam autem prædiiamentá tradamus

mus oportet rationem entis quæ omnia prædicamenta transcendit, inuestigare; quærendo an hæc sit vniuoca, an æquiuoca, an analoga respectu inferiorum: & consequenter de Vniuocis, AEquiuocis & Analogis dicendum est,

Vniuoca, vt habetur ex Philosopho pluribus in locis, sunt quorum nomen commune, & ratio per nomen importata, eadem: puta homo dicitur vniuoce de Petro & Paulo. Animal de homine & bruto: quia hæc habent vnitatem non solum nominis, sed etiam rationis importatæ per nomen.

Porro per vnitatem seu identitatem, quæ ponitur in definitione vniuocorum, non aliã vnitatem intelligas, quam præcisionis de qua & dictũ est, & dicetur in sequentibus. *Hanc* autem vnitatem oportet esse in ratione significata per nomen quod dicitur vniuocum: etiamsi enim in alijs rationibus plura dissimilentur, non obstat hoc prædictæ vniuocationi; ita Petrus & Paulus, alter albus, & alter niger, vniuoce conueniunt in homine. Item etiamsi aliqua habeant similitudinem in alijs; dissimilentur autem in ratione importata per nomen: hoc nomen non erit vniuocum: erunt autem vniuoca nomina importantia alias rationes, in quibus hæc inter se conueniunt. Ita hoc nomen *animal* & hoc aliud: *corpus* sunt vniuoca respectu canis terrestris & canis marini: non autem respectu eoruudum, hoc nomen: *canis*.

Vniuoca autem alia dicuntur vniuocata, alia vniuocantia, vniuoca vniuocata sunt res ipsæ inter se similes in ratione significata per nomen: puta Petrus, Paulus,

& alia indiuidua significata per hoc nomen: *homo*. Vniuoca vniuocantia sunt nomina ipsa, quæ omnia vocant, seu significant per modum vnius: puta *homo*, respectu suorũ significatorum. Item vniuoca dicuntur alia participata, alia participantia: vniuoca partipicipata sunt ipsæ met rationes communes participatę inferioribus, vt ratio hominis participata à Petro à Paulo & alijs indiuiduis: Participantia sunt ipsa met inferiora quę participant huiusmodi rationes: puta Petrus & Paulus & alia huiusmodi quæ participant rationem hominis.

Denique alia sunt essentialia, alia accidentalia; provt ratio importata per nomen est essentialis vel accidentalis inferioribus. Ita nix & columba: Petrus & paries vniuoce conueniunt, sed accidentaliter in ratione albi; quia his omnibus accidentaliter conuenit esse alba. Homo & equus vniuoce & essentialiter conueniunt in animali: quia & homini & equo essentiale est esse animal.

Dices: ad vniuocatatiunem requiritur vt res significatæ sint eiusdem substantiæ; sed nix & columba; paries & homo significata per hoc nomen: *album* non suut eiusdem substantiæ; ergo nec vniuoca. Minor est euidens: maior probatur ex definitione Philosophi. Vniuoca ea dicuntur quorum & nomen commune & ratio substantiæ nomini accomodata eadem est.

Resp. negando maiorem. Ad probationé dic à Philos. non requiri identitatem substantiæ simpliciter, sed identitatem substantiæ nomini accomodatæ: hoc est similitudinem & conuenientiam in quidditate seu ratione

tione significata per nomen. In ratione autem albi, siue in eo quod est esse album, quæ est ratio substans huic nomini *album* nix & colũba, & quælibet alia &c. similia sunt. Est enim eadem ratio albedinis, in his omnibus.

ARTICVLVS II.

De Aequiuocis.

ARistoteles librum Categoriarum sic exorditur. *Aequiuoca dicuntur ea quorum nomen solum commune est, ratio vero substantiæ nomini accomodata, diuersa: vt animal dicitur & ipse homo & id quod est pictum: horum enim nomen commune tantummodo est; ratio vero substantiæ nomini accomodata diuersa.* Reddit autem rationẽ Philosophus cur hoc nomen *animal* respectu hominis & animalis picti dicatur æquiuocũ: quia si *quisquiam*, inquit, *quenã sit vtriusque ratio animalis*, veri scilicet & picti, *voluerit assignare; rationem utrisque profecto propriam assignabit.* puta si voluerit assignare quid sit animal, dicit esse viuens sentiens: si autem quid sit pictura animalis, seu animal pictum, dicet esse talem colorum inter se hoc & illo modo dispositorum complexionem.

Oppositum accidit in vniocis. Horũ enim si quispiam rationem voluerit assignare, puta quæ in homine, & in equo sit ratio animalis; eandem omnino rationem reddit dicens tam hominem, quam equm esse viuens sentiens: adeoque & animal quod est in homine, & animal quod est in equo, per

vnam eandemque rationem definiet.

Dices. Aequiuoca nequeunt vnica definitione definiri: ergo definitio allata non subsistit. Antecedens probatur quia quæ habent diuersam essentiam nequeunt vna definitione definiri: sed æquiuoca habent diuersam essentiam; ergo, &c.

Resp. disting. ant. Aequiuoca primo intentionaliter accepta nequeunt vnica definitione definiri: conc. ant. secundo intentionaliter accepta: nego ant. & consequentiam: res illæ de quibus idem nomen æquiuoce dicitur,non definiuntur vna definitione,cum habeant dissimilem quidditatem. Ita non eadem definitione definies hominem & statuā hominis. Aequiuoca autem sub ratione æquiuocorum conueniunt & definibilia sunt, quatenus talia, vnica definitione,quia in ratione æquiuoci, æquiuoca vniuoce conueniunt. Puta hoc nomen *canis* respectu canis marini & canis terrestris est æquiuocum. Et hoc aliud nomen *homo* respectu hominis, & statuæ est æquiuocum: hæc autem duo nomina inter se vniuoce conueniunt in ratione æquiuoci, cum propter eandem rationem vtrunque dicatur æquiuocum: quia videlicet vtrunque significat res inter se dissimiles. Ad probationem dic æquiuoca non habere diuersam essentiam in ratione æquiuoci: vt patet ex dictis.

Inter æquiuoca alia dicuntur à casu, alia à consilio. Aequiuoca à casu sunt, quæ cum habeant idem nomen, non sortiuntur illud propter aliquam habitudinem seu connexionem, quam habeant inter se. Exemplum habes in hac voce *plaga* quę & regionem, &

rete,

rete, & vulnus significat. Hæc tamen omnia idem nomen sortiuntur independenter ab omni speciali habitudine quam habeant inter se.

Aequiuoca à consilio dicuntur ea, quorum diuersa quidem est ratio; nomen tamen commune propter aliquam specialem habitudinem aut connexionem quam habeant ad inuicem v. g. hoc nomen *animal* non temere & casu animali vero, & picto animali commune est; sed propter habitudinem quæ est inter prototipum & imaginem. Sunt infinita æquiuoca à consilio quę Rhetoribus magnam dicendi Segetem præbent.

Animaduertendum est autem quod ex veteribus multi & inter eos Aristoteles, frequenter huiusmodi æquiuoca à consilio confundunt cum analogis. Vnde est quod apud Philosophum de eodem etiam respectu eorundem, puta de ente respectu suorum inferiorum dicitur aliquando quod sit æquiuocum, aliquando quod sit analogum.

Ex ipsamet definitione æquiuocorum cõstat significata per nomen æquiuocum non conuenire in vnum conceptum: adeoque ęquiuocationem cõsistere in hoc quod eidem nomini competant significationes diuersæ. Hinc oritur dubiolum quoddam videlicet quomodo dicantur æquiuoca sortiri idem nomen. Puta quomodo canis cælestis, terrestris & marini sit idem nomen. Nam, aiūt, nomen in ratione nominis constituitur per significationem, & quidem ad placitum, vt constat ex ijs quæ diximus in summulis: sed huius nominis *canis* prout est ad cęlestem, terrestrem & marinum; est multiplex signi-

ficatio : ergo hoc nomen canis respectu terrestris, cælestis & marini non est vnum.

Ad hoc dubiolum, dic ęquiuocationem consistere in hoc quod huic voci *canis* impositæ sint diuersæ significationes, adeoque hanc vocem *canis* pure materialiter dici vnum nomen : hoc est vnam vocem ; cui ex hominum placito competunt plures & diuersæ significationes.

ARTICVLVS III.

De Analogis.

INter vniuoca & æquiuoca mediant analoga : de vtrisque enim aliquid participant. Hinc à multis sic definiuntur : *Analoga sunt quorum nomen commune & ratio substantiæ nomini accomdata partim eadem, & partim diuersa.* Melius tamen sic defines: *Analoga sunt quorum nomen commune est & ratio substantiæ nomini accomodata diuersa, cum habitudine & conuenientia inter illa.* Exemplum habes in hac voce: *sanum* quæ analogice dicitur de animali, medicina, pulsu, *&c.* Ratio sani quę significatur in animali est recta humorum temperies. Ratio sani quæ significatur in medicina, quando dicitur medicina sana, est vis effectiua vel conseruatiua talis temperiei. Ratio sani quæ significatur in pulsu quando dicitur pulsus sanus, est vis indicatiua eiusdem temperiei in animali. Ex pulsu enim tangunt medici tamquam ex signo sanitatem animalis.

Has rationes in significatis per sanum: videlicet,

delicet, in animali medicina & pulsu vides esse diuersas. Aliud enim est esse bene temperatum in suis qualitatibus, aliud esse effectiuum, aliud esse signum talis temperamenti. Hæc tamen omnia habeāt quandam habitudinem inter sese. Est enim eadem omnino sanitas quæ possidetur ab animali; ac ea quæ causatur à medicina, & indicatur à pulsu, à deoque licet aliud sit possidere sanitatem, hoc est esse recte temperatum in suis humoribus, aliud hoc ipsum causare, aut indicare; tamen & medicina dicitur sana, per habitudinem ad sanitatem animalis, per modū causæ; & pulsus dicitur sanus, per habitudinem ad eandem. per modum signi.

Diuiduntur autem Analoga in analoga attributionis, & analoga proportionis; seu proportionalitatis. Analogum attributionis est quod dicitur de pluribus per ordinem vel vnius ad aliud, vel plurium ad vnum. Dixi: per ordinem vel vnius ad aliud, vel pluriū ad vnum; quia, vt ait D. Thomas prima parte quæst. 13. art. 5. corp. dupliciter contingit vnum nomen analogice dici de pluribus: videlicet, vel quia multa habeant proportionem ad vnum: ita sanum dicitur de medicina, & de pulsu, in quantum vtrunque habet ordinem & proportionem ad sanitatē animalis, cuius hoc quidem signum est, illud vero causa; vel ex eo quod vnum habeat proportionem ad alterum, sicut sanum dicitur de medicina & animali, in quantum medicina est causa sanitatis, quæ est in animali. Vbi aduertendum est aliam proportionem habere inter se medicinam & pulsum, aliam medicinam & animal in hoc nomine: *sanum*.

Nam de medicina & pulsu dicitur analogice sanum; quia vtrunque ad aliquod tertiũ, nempe ad animal ordinatur: de animali autem & medicina dicitur item analogice; quia vnum ad alterum; medicina scilicet ad animal ordinatur.

Inter hæc Analoga vnum dicitur primum, seu principale analogatum: illud scilicet, ad quod cętera ordinantur: vt in exemplo allato, animal est primum & principale analogatum huius nominis *sanum* reliqua vero quę dicuntur per ordinem ad animal: puta medicina, pulsus & alia, vocantur minus principalia analogata. Hinc docet D. Thomas quæst. citata art. 6. principale analogatum poni debere in definitione aliorũ, quę dicuntur per attributionem ad ipsum: puta si definire volueris sanitatem medicinę dices esse vim effectiuam sanitatis seu debitæ temperiei in animali; & sic de cęteris. Dicitur etiam communiter quod nomen analogum absolute prolatum stat pro principaliori analogato; hoc est semper inducit in cognitionem principalioris analogati. Verum stare pro principaliori analogato, est aliquid plus quam inducere in cognitionem ipsius; nam etiam quando dicitur de minus principali inducit in cognitionem principalioris: Puta quando sanum dicitur de medicina, inducit in cognitionem animalis per ordinem ad quod medicina dicitur sana. Stare igitur pro principaliori analogato est non solum ipsum repræsentare, sed etiam pro ipso supponere.

Analoga proportionis, seu proportionatus sunt, quæ dicuntur de pluribus diuer-

sis

sis quidem inter se, sed propter specialem aliquam similitudinem, seu comparabilitatem inter eadem. Hoc modo ridere dicitur, & de homine, & de prato: dicitur enim: *Homo ridet*, & : *Prata rident*; quia sicut se habet risus ad hominem, ita proportionaliter floriditas, quæ est risus prati ad pratum: sicut enim facies hominis per risum fit iucundior, & amœnior spectantibus; ita etiam facies prati per floriditatem; vnde hæc per metaphoram eleganter dicitur risus prati.

Huiusmodi analogia exercetur per illas metaphoras, quibus etiam sacræ paginæ abundant in exornanda persona Christi Domini. Dicitur enim Lapis angularis: quia quemadmodum lapis, qui ponitur in angulo parietis, vtrumq. parietem vnit, ita Christus Dominus vnit naturam humanam, & diuinam: & fortasse magis ad litteram, populum Iudaicum, & Gentilem, in vnitatem fidei, & religionis: vnde dicitur facere vtraque vnum. Item dicitur Agnus, Leo, &c. quia quemadmodum Agnus coràm tondente se; ità Christus Dominus coràm crucianti-bus se obmutuit: & ità se habuit mansuetudo Christi ad crudelitatem Iudæorum, sicut se habet lenitas agni ad sæuitiam laniorum. Et quemadmodum Leo fortitudine sua hostes suos vincit, & conterit: ità etiam Christus hostes suos, infernum, videlicet, & diabolum vicit, atq. contriuit, iuxtà illud: *Vicit Leo de Tribu Iuda*.

Præter analoga attributionis, & proportionis Caietanus de analogia nominum, cap. 1.2. & 3. inducit tertiam speciem analogorum, quæ vocantur ab ipso analoga inæqua-

lita-

litatis. Consistit autem hæc analogia in eo, quod in pluribus communi nomine significatis, ratio communis siue generica contrahatur per differentias inæquales, v. g. ratio animalis, quæ est generica respectu hominis, & bruti, contrahitur in homine per rationale, in bruto per irrationale: illæ autem differentiæ sunt inter se inæquales. Manifestum est enim rationale esse quid irrationali perfectiùs.

Hæc analogia à plerisq. & cum plerisq. à nobis reijcitur: quia quamuis differentiæ contrahentes rationem genericam sint inter se dissimiles, & inæquales; ratio tamen ipsa generica, quæ per illas conrrahitur est perfectè vna, nec huiusmodi dissimilitudinem, aut inæqualitatem in suis inferioribus repręsentat. Ad rationem autem vniuoci hoc ipsum est, quod requiritur, & sufficit, vt scilicet & nomen sit vnum, & ratio nomini accomodata sit vna: vnde Philosophus vniuoca postquam definiuit, illorum exemplum veluti omnium clarissimum ponit in animali, quod & de homine dicitur, & de bruto; habetq. in vtroq. rationem perfectè vnam: inæqualitas igitur in differentijs contrahentibus nullo modo officit perfectæ vnitati rationis contractæ.



QVAE-

QVAESTIO II.

De uniuocatione Entis respectu substantiæ, & accidentis.

ARTICVLVS I.

Præmittuntur aliqua.

AD resoluendam quæstionem hic agitari solitam de vniuocatione, vel analogia entis respectu substantiæ, & accidentis: præmittenda sunt aliqua, quæ ad perfectam huius controuersiæ intelligentiam requiruntur. Sciendum est primò hanc vocem *Ens* posse multipliciter accipi. Primò participialiter, Secundò nominaliter. Quando sumitur participialiter, idem sonat, ac actu existens, significatq. solum ea, quæ simpliciter, & absolutè sunt: hoc est existunt. Est enim participium verbi *Sum, es, est*, quod dictum absolutè, hoc est formans propositionem de secundo adiacente ponit actu rem, seu obiectum de quo dicitur. Propterea hęc propositio: *Antichristus est*, est falsa: cum hæc alia: *Antichristus est homo*, fit vera, quia prima non absoluitur, vt aiunt, à tempore, dum affirmat Antichristum esse: secunda absoluitur dum affirmat, non quidem esse, sed esse hominem.

Quando autem ens sumitur non participialiter, sed nominaliter non solùm signifi-

cat

cat id, quod actu est; sed insuper id omne quod esse potest; vnde dicitur continere sub se actum, & potentiam, hoc est simpliciter omnia tam quæ actu, quàm quæ potentia sunt. Duplicem hanc entis acceptionem omnes, vel fere omnes admittunt: certe ij etiam qui recusant admittere, vt ait Suarius, tamen admittunt, sed sub alijs terminis.

Preter hanc duplicem acceptionem communem apud omnes; censemus etiam tertio modo posse accipi hanc vocem *Ens*. Et primò quidem supponendum est in secunda acceptione, per quam videlicet ad ea omnia pertinet quæ sunt, quæq; esse possunt, extendi tam ad substantiam, quàm ad accidens, siue vtrumq. significet vniuoce, siue analogice; de quo infrà: nam tam accidens, quàm substantia vel est, vel esse potest in rerum natura; igitur prout significat omne id, & quod est, & quod esse potest, extenditur, & ad substantiam, & ad accidens. Ens restrictum ad id, quod est, & esse potest, seu significans solum id quod est, & id quod esse potest simpliciter, accipitur pro ente reali: Id enim quod nec est, nec esse potest, non est ens reale; cum reale dicatur solum de eo, quod non includit repugnantiam ad esse. Omne enim quod huiusmodi repugnantiam includit, ex ipso sui conceptu formali, seu ex ipsa sui quidditate se ipsum destruit, hoc est excludit ab esse simpliciter, & consequenter contineri nequit inter significata nominis pertinentis dumtaxàt ad ea, quę vel sunt, vel esse possunt.

Secundum tertiam illam acceptionem, quam ponimus, putamus ens adeò ample significare

gnificare posse, vt non solùm ad ea, quæ sunt aut esse possunt; sed etiam ad ea, quibus repugnat esse extendatur. Hoc modo habebit eandem in significando amplitudinem, quam habet hæc alia vox: *Obiectum*: da enim verum esse, quod multi pro vero admittunt, intellectum reprę sentare sibi non solùm possibilia, sed etiam impossibilia; tam hęc, quàm illa habebunt rationem obiecti respectu potentiæ intellectiuæ: & consequenter ratio obiecti erit communis possibili, & impossibili. Igitur si rationem entis adeò extendas, vt æque latè pateat, ac ratio obiecti, ratio entis communis euadet possibili, & impossibili. Quod autem sic accipi possit ostenditur: quia hic terminus *Ens* potest æque late patere, atque hic: *Aliquid*; hic autem tam latè patet, vt sumatur non solùm pro possibili, sed etiam pro impossibili; igitur ens tam latè potest patere vt accipiatur non solùm pro possibili, sed etiam pro impossibili; minor probatur quia etiam qui cogitat de impossibili, non dicitur nihil cogitare, sed dicitur cogitare de aliquo: implicat enim cogitare, & non cogitare de aliquo; cum repugnet in terminis cogitatio, quæ nullius, hoc est de nullo sit cogitatio, hoc est cogitatio nihil reprę sentans. Huic acceptioni entis fauent quicumque dicunt notissimum esse quid sit ens; quia nomine ensis venit id in quod primo resoluitur omnis conceptus: hoc est ens est prima ratio, quæ cuicumq. cogitanti obijcitur: vbi nota nos frequentissimè cogitare de aliquo, & de illo aliquo, de quo cogitamus, agitare animo, an sit possibile, an impossibile: vbi apparet

paret prius nos certos esse, nos de aliquo cogitare, quam, illud aliquid, habere, vel nõ habere repugnantiam ad esse.

Sciendum est secundo sermonem esse hic non de ente secundum primam, neque secundum tertiam acceptionem: dum enim quærimus, vtrum ens sit vniuocum, an analogum respectu substantiæ, & accidentis; loquimur de ente accepto pro ente reali, hoc est prout significat id, cui non repugnat existere realiter: secundum quam acceptionem dicitur transcendere omnia prædicamenta, & diuidi proxime in substantiam, et accidens. Retinendum autem est hic id quod alibi insinuatum est: videlicet quid sit præscindere vnam rationem ab alia: nam ad hoc vt ens dicatur vniuocum respectu substantiæ, et accidentis oportet, vt ab vtroq. præscindat: præscindere autem est in sua ratione formali non explicare vllam ex differentijs: hoc est neque illam, per quam contrahitur ad substantiam, neque illam, per quam contrahitur ad accidens: prima dicitur perseitas; secunda inaleitas: nam substantia dicitur ens per se, accidens autem ens in alio. Hoc modo diximus animal præscindere ab homine, et bruto: quia in sua ratione formali nec rationalitatem, nec irrationalitatem explicat, quorum altera contrahit illud ad hominem, altera ad brutum.

Sciendum est tertio, quod quemadmodum dubitatur, vtrum ens perfectè præscindat à differentijs ità etiam dubitatur, an differentiæ ipsæ: putà perseitas, & inaleitas præscindant ab ente: sicut autem præscindere ens à perseitate, & inaleitate, nihil aliud

est

eſt, quàm in ratione quidditatiuâ entis non apparere formaliter neque perſeitatem, neque inaleitatem: ità præſcindere tam inaleitatem, quàm perſeitatem ab ente nihil aliud erit, quam in ratione quidditatiua perſeitatis, ac inaleitatis, non apparere formaliter rationem entis realis. Dixi *Entis realis*, quia non apparere rationem entis ſecundum terriam acceptionem eſt impoſſibile. Dubitatio autem eſt, an differentiæ entis realis præſcindant formaliter ab ente reali.

Denique ſciendum eſt ſermonem eſſe hic non de præciſione obiectiua, quam ſatis reiecimus, ſed de formali, quam admiſimus vbi de gradibus metaphyſicis.

ARTICVLVS II.

Eſt poſſibilis præciſio formalis non mutua.

POnitur à nobis concluſio, quàm pro titulo ſcribimus, contra eos præcipuè, qui negant ens pręſcindere à differentijs ex eo quod putent differentias ipſas non poſſe ab ente præſcindere: Loquunturq. de ſeparatione formali vnius rationis ab alia, ſicut de ſeparatione locali vnius rei ab alia: & quemadmodum intelligere nequeũt Petrum ſeparari localiter à Paulo, quin Paulus etiã localiter ſeparetur à Petro: adeoq. aiunt implicare ſeparationem localem non mutuam: ità intelligere nolunt ex duabus rationibus vnam poſſe ab alia ſeparari mentaliter, quin eo ipſo altera viciſſim ſit ab hac mentaliter ſeparabilis. Qui in Philoſophando paritates

tes sectantur; alia paritate magis obuia coärgui possunt, à voluntate ad intellectum: possibile est dari separationem affectiuam non mutuam; ergo etiam possibile est dari separationem intellectiuam non mutuam. Antecedens probatur, quia contingere potest, & quotidiè contingit aliquem erga alium vehementissimo amore affici; à quo non solùm non redametur mutuo, sed odio habeatur, & contemnatur. His tamen paritatibus nihil probatur, nec à nobis, nec ab aduersarijs.

Probatur autem conclusio suprà posita: quia certum est posse concipi animal non concepto formaliter homine, seu conceptu præscindente formaliter ab homine, non posse autem concipi formaliter hominem non concepto formaliter animali; seu conceptu præscindente formaliter ab animali; ergo inter animal, & hominem datur præcisio formalis non mutua. Consequentia est euidens. Antecedens negari nequit ab aduersarijs, qui vltrò concedunt animal præscindere ab homine, & à bruto.

Explicatur hoc idē. Toties vna ratio prescindit formaliter ab alia, quoties explicatur per ordinem ad aliqua connotata per ordinem, ad quæ non explicatur altera: vel non explicatur per ordinem ad eadem connotata per ordinem, ad quæ explicatur altera: animal autem non explicatur per ordinem ad ea connotata, per ordinem ad quæ explicatur homo: homo nequit non explicari per ordinem ad ea connotata per ordinem, ad quæ explicatur animal: animal explicatur per ordinem ad sensationem, nō autem

tem per ordinem ad ratiocinationem. Homo autem & per ordinem ad ſenſationem,& per ordinem ad ratiocinationem, igitur homo non præſcindit ab animali, cum animal præſcindat ab homine.

Dices, comparationem inter animal, & hominem eſſe comparationem inter genus, & ſpeciem, non autem inter genus, & differentiam. Patet hoc, quia homo non eſt differentia, ſed ſpecies animalis: cæterum ſi comparatio fiat inter animal, & rationale, quæ eſt inter genus, & differentiam; inuenietur eſſe mutuą pręciſio: & in hac mutua præciſione fundatur pręciſio non mutua inter animal, & hominem, hoc eſt inter genus, & ſpeciem. Animal explicatur per ordinem ad ſenſationem; rationale per ordinem ad ratiocinationem. Ecce neutra ex iſtis rationibus attingit in ſui explicatione obliquum alterius; & conſequenter vtraq. præſcindit formaliter ab altera. Quia autem in ſpecie includitur differentia per hoc ipſum, quod genus non attingat obliquum differentiæ, non attingit obliquum pertinens ad cōſtitutiuum ſpeciei, ſeu reſpectum à conſtitutiuo ſpeciei; contrahitur enim genus ad ſpeciem per differentiam: eo ipſo autem, quod non attingit obliquum huiuſmodi, dicitur præſcindere à ſpecie: quia pręſcindit ab vno, & fortaſſe præcipuo conſtitutiuo eiuſdem.

Reſp. nihil hic dici ab aduerſario contra poſitam concluſionem, ſed ſolum reddi rationem cur inter aliquas rationes realiter identificatas detur præciſio non mutua, inter alias autem huiuſmodi præciſio non detur.

Po-

Poteſt ſecundum aduerſarios dari præciſio non mutua inter genus & ſpeciem; ergo vbi differentia alcuius rationis ſuperioris erit neceſſario ſpecies, poterit dari huiuſmodi præciſio; eſto non detur vbi differentia non eſt ſpecies. Quod autem præciſio huiuſmodi neceſſario fundari debeat in præciſione mutua duarum rationum, numquam probabitur; etiam ſi probetur dari huiuſmodi præciſionem mutuam inter genus & differentiam quibus conſtat ſpecies, à qua etiam per aduerſarios genus præſcindit. Numquam enim valebit hoc argumentum: animal præſcindit ab homine, & in homine ipſo tam rationale præſcindit ab animali, quam animal à rationali; ergo ideo animal præſcindit ab homine quia in homine animal & rationale muto à ſe ipſis præſcindunt. Vera ratio cur animal præſcindat ab homine, homo autem non præſcindat ab animali, eſt quia animal non explicatur per ordinem ad obliqua hominis; homo autem explicatur per ordinem ad obliqua animalis: & vbicunque dabitur huiuſmodi ratio inter duo extrema, dabitur præciſio non mutua.

Dari autem inter aliqua extrema huiuſmodi rationem patebit infra, vbi de diuerſis ſpeciebus differentiarum.

ARTICVLVS III.

Ens præcindit formaliter à differentijs.

PRobatur concluſio ex conceptu præciſionis formalis. Vnam rationem præſcindere formaliter ab alia, eſt vnam rationẽ

non

non attingere in suo conceptu quidditatiuo obliqua seu connotata alterius: ens in suo conceptu quidditatiuo non attingit obliqua seu connotata suarum differentiarum; ergo ens perfecte præscindit à differentijs. Maior est ipsamet definitio præcisionis formalis. Minor probatur per conceptum quidditatiuum entis, videlicet: id cui non repugnat existere physice. Vides in hoc conceptu nihil apparere, per quod contrahatur ad perseitatem, aut ad inaleitatem: & consequenter in huiusmodi conceptu datur perfecta præcisio formalis.

Explicatur hoc idem comparando ex vna parte animal cum rationali & irrationali: & ex altera ens cum perseitate & inaleitate. Animal ideo præscindit à rationali & irrationali: quia per conceptum sui quidditatiuum qui est: *uiuens sentiens* non attingit obliquum rationalitatis, nec obliquum irrationalitatis: igitur si ens per conceptum sui quidditatiuum videlicet: *id cui non repugnat existere physice*, non attingat obliquum neque perseitatis neque inaleitatis; æque ens præscindet à perseitate, & inaleitate, ac animal à rationali & irrationali. Quod autem nòn attingat manifestum est ex eo quod etiam sciens hoc obiectum non habere repugnantiam ad existendum, plane ignoras an hoc obiectum sit substadtia vel accidens. Tam enim accidens quam substantia est id cui non repugnat existere physice; ergo per hoc precise quod scias alicui obiecto conuenire talem non repugnantiam, non propterea scis an sit substantia an accidens

Dices rationale & irrationale aliter se ha-

habent respectu animalis quam perseitas & inaleitas respectu entis: ergo ex præcisione animalis à rationali & irrationali male arguitur præcisio entis a perseitate & inaleitate. Antecedens probatur: quia perseitas cum ratione entis constituit id, cuius gratia est inaleitas cum ratione entis; hoc est perseitas cum ratione entis constituit substantiam, cuius gratia est accidens, quod propterea non dicitur simpliciter ens, sed entis ens. At vero animal cum rationali non constituit id cuius gratia & per ordinem ad quod cætera quæ sustinent denominationem animalis, huiusmodi denominationem sustineant. Vno verbo accidens quod est ens in alio, est ens substantiæ seu ens entis simpliciter; animal autem irrationale, non est animal animalis rationalis quod solum simpliciter & absolute dicatur animal; tam enim proprie brutum est animal, quam homo.

Resp. disparitatem hanc non facere ad rē. Aliud est quod accidens reipsa sit in bonum substantiæ, & ordinetur ad substantiam, aliud quod hoc ipsum appareat in conceptu quidditatiuo entis: non quærimus hic quid conueniat realiter accidenti, per quod discriminetur à substantia: sed an in conceptu Entis appareat aliquid per quod substantia & accidens à se inuicem discriminentur Negamus autem apparere quid tale. Ex eo enim quod hoc aut illud sit id cui non repugnat existere, non intelligis an existentia illa quæ illi nō repugnat sit existentia in se, an in alio. Ad argumentum in forma distingue antecedens: Aliter se habent quoad rem præsenten: nega; quo ad alia: omitte antecedens

dens ; & nega consequentiam. Ad cætera patet ex dictis. Non enim sufficit vt re ipsa detur talis diuersitas, sed requiritur vt appareat: tam autem non apparet in conceptu entis, diuersitas inter perseitatem & inaleitatem ; quam non apparet in conceptu animalis, diuersitas inter rationalitatem & irrationalitatem.

Sunt qui loco conceptus quidditatiui entis à nobis relati: *id cui non repugnat existere physice*: ponunt hunc alium: *oppositum chimeræ* ; aiuntque chimeram esse obliquum per ordinem ad quod explicatur ens reale. Huiusmodi conceptu admisso stat eadem doctrina quam supra tradidimus. Nam etiam sub ratione oppositi cum chimera nõ apparet perseitas aut inaleitas, & tam accidens quam substantia est quid oppositũ chimeræ; ergo etiam sub tali conceptu ens reale perfecte præcindit a differentijs. Appareret autem aut perseitas aut inaleitas, si in conceptu entis vt sic appareret dependentia, vel independentia à subiecto: quod autem non appareat manifestum est; cum manifestum sit ineptam esse hanc illationem: Albedo est ens; ergo est quid dependens à subiecto; quę est similis huic: Homo est animal, ergo est rationalis.

Ex hoc quod ratio entis perfecte pręscindat à substantia & accidente, cum tamen & substantiæ conueniat & accidenti, recte inferes esse vniuocum ens respectu substantiæ & accidentis. Patet hoc quia illa ratio est vna respectu plurium quæ cum in pluribus sit, perfecte præscindit à rationibus plurificantibus: hoc modo se habet ratio entis re-

spectu substantię & accidentis; ergo est vna in substantia & accidente. In hac controuersia de vniuocatione & analogia entis aduersarij plerũque transitum faciunt ab esse reali, ad esse intentionale; seu ab esse obiectiuo, ad esse formale: & considerantes id quod realiter conuenit accidenti, & quod realiter conuenit substantię; putant id omne repræsentari formaliter in conceptu rationis tam accidens, quàm substantiam continentis; non animaduertentes se omnem omnino vniuocationem destruere, cum quodlibet genus contrahatur per differentias inter se dissimiles.

ARTICVLVS IV.

Satisfit obiectionibus.

OBijcies primò, ratio entis non est perfecte vna in substantia & in accidente; ergo ens non perfecte præscindit à substantia & accidente. Antecedens probatur: quia quod est in vno extremo proprie, & in altro improprie, non est perfecte vnũ in vtroq; sed ratio entis est in substantia proprie, in accidente improprie; ergo non est perfecte vna in substantia & accidente. Maior probatur. Risus qui est proprie in homine, improprie in prato, non est vnus in homine & prato, & sic de cæteris.

Resp. negando antecedens, ad probationem, concessa maiori: nego minorem. Propriè, & proprijssimè accidens est oppositum chimeræ. Est id, cui non repugnat existere physice. Vno verbo accidens æque propriè su-

sustinet conceptum quidditatiuum entis, ac substantia. Ad illud de risu dic conceptum quidditatiuum risus non sustineri à prato, adeoq. paritatem non valere. Est enim risus quædam vitalis iucundatio, quæ procul dubio non conuenit prato; imò nec alij ab homine. quia nascitur ex discursu.

Obijcies secundò. Quotiescumq. vna ratio dicitur de aliquo solum per attributionem ad aliud, toties non est vna respectu vtriusq. sed ratio entis dicitur de accidente solum per attributionem ad substantiam; ergo non est vna respectu substantię, & accidentis. Maior probatur exemplo ab Aristotele adducto in hoc nomine *Sanum*: nàm quia ratio sani dicitur de medicina solum per attributionem ad animal· *Sanum*, non est vniuocum respectu animalis, & medicinæ: adeoq. ratio sani non est vna in animali, & medicina. Minor autem probatur, quia ens, seu ratio entis, non dicitur de accidente, nisi per attributionem ad substantiam. Confirmatur hoc ex ipsamet natura accidentis, quod non est gratia sui, nec expetibile propter se, sed gratia substantiæ, & expetibile dumtaxàt, vt bonum substantiæ, putà dulcedo non datur in natura, nisi vt detur substantia dulcis, v. g. mel, aut saccharum. Albedo non datur, nisi vt detur album, & sic de cæteris.

Resp. manifestam esse disparitatem inter sanum, & ens, hoc comparatum cum accidente, & substantia, illud comparatum cum medicina, & animali. Quando dicitur medicinā dici sanam per attributionem ad animal; sensus est veram rationem sani, quæ

dicitur absolute, & simpliciter de animali, dici non posse de medicina, cui solum conuenit esse medium ad talem rationem. Sanitas quæ conuenit animali, quæq. est simpliciter sanitas, est recta humorum temperies; quæ proculdubio prædicari nequit de medicina. Ratio entis simpliciter, & absolutè est nō repugnātia ad esse physice; quæ ratio simpliciter, & absolutè prædicatur de quolibet accidente: quam igitur manifestum est veram esse orationem: albedini non repugnat esse in rerū natura; falsam autem hanc aliam: hæc medicina est rectè temperata in suis humoribus: tam est euidens discrimen inter *Sanum*, & *ens* respectu eorum, quibus cum hic etiam ab aduersario comparatur. Ad argumentum in forma omissa maiori: nega minorem. Ad probationem dic te non negare, quod accidens sit in bonum substantiæ; sed quod, ex eo quod sit in bonum substantiæ, nequeat de ipso simpliciter, & propriè dici conceptus quidditatiuus entis. Et prætereà quod hæc ipsa naturalis ordinatio accidentis ad substantiam tibi appareat, aut aduersario in conceptu entis vt sic.

Obijcies tertiò, Philosophum multis in locis, & præcipuè 4. metaphys. textu 2. vbi comparat ens cum sano. *Ens* (ait ille) *multipliciter quidem dicitur, verùm ad vnum vnamq. quamdam naturam, & non æquiuoce; sed quemadmodum omne salubre ad sanitatem; quoddam eo quod conseruat, quoddam eo quod facit, &c. ità & ens multipliciter quidem dicitur, sed totum ad vnum principium. Quædam enim, quoniam sub-*

stan-

stantiæ, entia dicuntur; quædam, quoniam passiones substantiæ. Vbi ostendit Aristoteles, quod quemadmodum multa sustinent denominationem sani, eo quod faciant, conseruent, aut indicent sanitatem eius, quod dicitur simpliciter sanum: ità etiam multa sustinent denominationem entis; eo quod faciant, conseruent, exornent, aut alia aliqua ratione respiciant id, quod dicitur simpliciter ens. Hinc sic argues. Ens, ex Philosopho respectu substantiæ, & accidentis se habet, sicut sanum respectu animalis, & pulsus: hoc est analogum, ergo etiam illud.

Resp. breuiter Philosophum ibi non loqui de ente secundum præcisam rationem entis realis: sed cum aliqua restrictione, secundum quam non est dubium posse accipi ens. Nomina enim, vt vidimus, sunt ad placitum significatiua, & consequenter potest vel ex primæua institutione, vel ex vsu eorum significatio ampliari, vel restringi. Imò contingere potest vt nomen aliquod ex primæua institutione æquiuocum respectu plurium, euadat ex consuetudine vniuocum respectu, eorundem; consuetudo enim est noua quædam institutio, iuxtà illud: consuetudo habet vim legis.

Obijc. quartò. Accidens participat rationem entis dependenter à substantia, ergo non conuenit ei ratio entis simpliciter. Consequentia probatur, quia eo ipso quod est ens per suum esse petens pendere à substantia attingit in suo conceptu formali substantiam. Sed si attingit in suo conceptu formali substantiam, eo ipso non dicitur ens proprie; ergo &c. Probatur minor, quia quod est tale so-

lum prout ordinatum ad aliud, non eſt ſimpliciter tale, ſed ſolum diminutè. Hinc dicit D. Thomas multis in locis accidens non eſſe ens, ſed entis ens.

Reſp. conceſſo antecedenti negando conſequentiam. Etiam inter accidentia datur dependentia vnius ab alio: & tamen ratio accidentis, vt ſic, præſcindit ab hoc, & illo accidente. Ad probationem maioris, dic accidens in ſuo conceptu quidditatiuo adæquato attingere quidem ſubſtantiam, non tamen ſub conceptu præciſo entis. Quærimus autem hic an ens præſcindat à ſubſtantia, & accidente, non autem vtrum conceptus accidentis attingat, vel non attingat ſubſtantiam. Ex eo quod accidens in conceptu quidditatiuo ſui adæquato attingat ſubſtantiam malè infert aduerſarius non eſſe ens ſimpliciter: etiam ſi ſubſtantia ſit ens ſimpliciter: quid enim vetat vnum ens ſimpliciter ab alio ente ſimpliciter pendere: ſicut vnum accidens ſimpliciter, pendet ab alio accidente ſimpliciter. Ad illud de D. Thoma dic ens dici de accidente ſine vllo addito ſecundum conceptum præciſum entis realis: quidquid ſit, an etiam dicatur cum addito, putà albedo dicitur ſimpliciter ens reale, quamuis etiam dicatur ens columbæ, & niuis. Præterea quod accidens attingat ſubſtantiam per conceptum ſui adæquatum non probat rationem communem ipſi, & ſubſtantiæ non præſcindere ab vtroq;

Obijcies quintò. Differentiæ entis non præſcindunt formaliter ab ente; ergo ens non præſcindit formaliter à differentijs. Probatur conſequentia, quia differentia, quę non

præſcindit formaliter ab ente, eſt formaliter ens ,ergo ens eſt formaliter ipſa: probatur hæc vltima conſequentia, primò à pari:quia implicat vnam rem ſeparari ab alia realiter, quæ ſit inſeparabilis ab ipſa; ergo implicat vnam rationem ſeparari formaliter ab alia, quæ ſit formaliter inſeparabilis ab ipſa. Secundò: quia, ens eſt formaliter omne id, quod formaliter eſt ens:quælibet differentia entis eſt formaliter ens;ergo ens eſt formaliter quælibet differentia ſui. Tertiò,repugnat diſtinctio realis nō mutua;ergo & formalis.

Confirmatur hoc, & explicatur: quia, ſi differentia entis, puta perſeitas, eſt formaliter ens, eo ipſo nihil ſuperaddit enti: ſi enim aliquid ſuperaddat, continet aliquid præter ens, hoc autem aliquid præter ens erit differentia, quæ non erit formaliter ens: ſi enim hoc aliquid eſt etiam ens nihil differentiæ ſuperadditur enti: quia quidquid ſuperaddis vt modifices, vel contrahas eſt formaliter ens, & nihil vlteriùs. Propter hoc argumentum ſunt multi, qui negent vniuocationem entis, & præciſionem eiuſdem à differentijs. Alij cum toto hoc argumento vniuocationem retinent, & præciſionem; quam tamen negant eſſe perfectam. Nos & vniuocationem, & præciſionem perfectiſſimam retinemus. Qui ſunt in ſecunda claſſe, ſi nomine præciſionis perfectæ, intelligunt præciſionem mutuam; rectè opinantur, dum opinantur præciſionem entis à differentijs non eſſe perfectam; ſiquidem negant differentias ab ente præſcindere. Sed in hoc ipſo malè opinantur, quod præciſionem, eo quod non ſit mutua, putent non eſſe perfectam:

ratio enim mutuæ, vel non mutuæ, impertinenter se habet ad præcisionem, vt constat ex conceptu formali ipsius. Certè animal perfectissimè præscindit ab homine, cum homo non præscindat ab animali. Quod autem replicant præcisionem animalis ab homine esse præcisionem generis à specie, non autem generis à differentia, non facit ad rem, imò facit contra ipsos: nàm: præcisio generis à specie est perfecta: præcisio generis à specie non est mutua; ergo præcisio non mutua est perfecta. Ad argumentum in forma.

Resp. transmisso antecedenti; quod alibi negabitur: negando consequentiam. Ad probationem, omisso antecedenti: nega iterum consequentiam. Ad primam probationem consequentiæ, nega iterum anteced. paritas potius facit contra aduersarium, possunt enim duo habere separabilitatem realem nō mutuam: putà possum ego existere cum hac, & sine hac mea visione: hæc visio nequit existere sine me: & vniuersaliter loquendo quodlibet subiectum est separabile à suis modis, quamuis modi ipsius sint ab ipso essentialiter inseparabiles, loquendo de separatione, qua existant diuisi ab ipso. Aduersarius ipse posset existere in rerum natura, sine hoc suo argumento, quamuis hoc ipsius argumentum nequeat existere sine ipso. Ad secundam probationem eiusdem: nega mai. quod videlicet ens sit formaliter quidquid est formaliter ens. Ratio est, quia ex eo quod differentia nequeat intelligi absque eo quod intelligatur vt aliquid, non propterea non poterit aliquid intelligi, quin intelligatur vt differentia. Ratio vlterior est

quia

quia ex transcédétia vnius rationis nô sequitur transcendétia alterius ipsâ modificantis. Ad tertiam respódeo 1. per instantiâ. Nequit idé distingui à se ipso realiter; ergo neq; formaliter. Quis non neget consequentiâ? nequit *A* distingui à seipso realiter; quia nequit nô esse *A*. potest à se ipso formaliter, quia idem *A*. sortiri potest duas formas extrinsecas, putà duos conceptus nô solùm distinctos, sed dissimiles: vt dictum est alibi. Respondeo 2. conc. antec. neg. côseq. nequit dari distinctio realis nô mutua, quia res nequit idétificari cum re distincta, hoc est nequit esse aliud à se, vt patet ex terminis. Potest tñ dari distinctio formalis non mutua, quia idem potest stare sub duobus conceptibus altero alterum includéte; quâuis nô è conuerso. Hinc distinctionem realé definiuimus per mutuâ negabilitaté; distinctioné auté rationis per diuersâ apparétiâ eiusdé rei; nô implicat auté apparentiam *A*. monstrare id, quod monstratur per apparentiâ *B*, quâuis apparétia *B*. nô vicissim môstret omne id, quod môstratur per apparétiam *A*.

Ad confirmationem omitte perscitatem nihil dicere quod non sit ens; nega nihil superaddere enti. Non enim valet: nihil superaddit quod non sit formaliter ens; ergo nihil superaddit. Valet autem: ergo nihil superaddit quod non includat rationem entis: hoc est nihil superaddit separabile formaliter ab ente. Etiamsi autem modus entis sit formaliter inseparabilis ab ente, nô propterea præter ens nihil est, sed præter ens est ipsa met modificatio entis. Vbi aduerte hanc propositioné: *modus entis est formaliter ens*, esse æquiuocam. Si facit hunc sensum hic

conceptus formalis: *modus entis*, seu *perseitas*, est idem ac hic conceptus: *ens*, est proposito falsa: nam conceptus modi seu differentiæ entis non est conceptus entis vt sic. Si facit hunc alium: conceptus formalis modi seu differentiæ entis, includit ipsamet rationem entis: omittitur à nobis vt verum, contendentibus nimirum quod etiam negata præcisione differentiarum ab ente, sustineatur præcisio entis à differentijs.

Dices: modus entis nihil est præter ens: ens non præscindit ab ente; ergo ens non præscindit à modo entis. Probatur maior quia quidquid modus entis superadderet enti esset formaliter ens; ergo superadderet ens enti: superaddere autem ens enti & nihil aliud est formalissime nihil esse præter ens.

Resp. negando maiorem. Ad probationẽ distinguo: quidquid superaddit enti est formaliter ens, sic modificatum: concedo; est formaliter ens vt sic & sine addito: iterum subdistinguo: est formaliter ens solum: nego; est formaliter ens secũdum talem rationem determinantem ens. concedo. Breuiter etiam respondebis; est formaliter ens per modum includentis: concedo; per modum inclusi: nego. Hoc est modus ipse entis includit formaliter rationem entis; non tamen ipse met includitur in ratione entis vt sic. Posse autẽ vnam rationem includere aliam in qua vicissim non includatur adeo manifestum est, vt negari non possit nisi à negante in toto includi partem; non autem in parte totum.

Quod autem ad rationem præcisionis, rationis superioris ab inferiori, non requiratur quod sit mutua constat ex antiqua diui-

diuisione differentiarum in extrahentes & imbibentes. Vocantur differentiæ extrahentes illæ quæ non includunt rationem genericam quam contrahunt: imbibentes vero quę illam eandem includunt : vnde primæ dicuntur esse exrra genus, seu extrahere extra genus rationem quam significant: secũda vero dicuntur non extrahere, sed rationem ipsam quam significant continere intra ipsam rationem genricam quam contrahunt seu modificant. Exemplum differentiarum extrahentium habes in differentijs animalis, puta in rationali & irrationali, inquibus nõ apparet ratio generica vt constitutiua ipsarum. Exemplum aliarum habes in differentijs huius rationis genericæ *color*, quales sũt *nigredo*, *albedo*, *viriditas*, & aliæ huiusmodi quæ non pręscindunt à colore sed imbibunt formaliter rationem coloris. Et sicut esset mala hæc argumẽtatio: differentia coloris nõ præscindit à colore; ergo neque color à differentia : ergo quem ad modum viriditas est formaliter color; ita etiam color est formaliter viriditas; sic etiam est mala hæc alia perseitas non pręscindit ab ente; ergo neque ens à perseitate: & consequenter quemadmodum perseitas includit formaliter ens, ita ens includit formaliter perseitatem.

Quod si replicet aduersarius viriditatem albedinem, & alia huiusmodi non esse differentias sed species coloris ; dic neque differentias entis esse pure, & pręcisè differentias, sed species: & hoc idem dicendum esse de omnibus ijs differentijs, quas Philosophi vocant imbibentes. Certum est enim ideò viriditatem dici speciem, & non puram dif-

ferentiam, quia præter talem modum coloris, imò quia talis modus coloris est formaliter color: ergo eodem modo si perseitas sit formaliter ens; non erit pura differentia, sed species, adeoq. quæstio erit, vtrum ens modificari possit per puras differentias, an non. In qua quæstione dicemus non posse.

QVAESTIO III.

An differentiæ entis præscindant ab ente.

ARTICVLVS I.

Statuitur uera conclusio.

AD perfectam vnitatem entis in suis inferioribus non requiri præcisionem inferiorum ab ipso constat tum ex ijs quæ diximus; tum quia Aduersarij ipsi nequeunt sustinere omnem præcisionem esse necessario mutuam, nisi incidentes in circulum vitiosum, probantes videlicet quod & animal præscindit à rationali, quia rationale præscindit ab ipso; & rationale ab animali, quia animal à rationali. Da enim me velle, quod omnis præcisio sit mutua; quomodo probabit aduersarius rationale præscindere ab animali? certè non probabit, nisi per præcisionem animalis ab ipso, quam præcisionem rursus probabit per præcisionem rationalis ab animali, adeoq. nihil probabit; rectè autem probabis tu animal præscindere à rationali,

ex

ex hoc. quod animal in sui explicatione non attingat obliquum rationalis, & rursus quod rationale præscindat ab animali, ex eo quod non attingat obliquum animalis: dum enim vtriq. rationi obliqua assignans, facilè est ostendere vnam non explicari per obliquum alterius, afferendo conceptum quidditatiuum ipsius. Quia tamen non solùm de præcisione entis à differentijs, sed etiam de præcisione differentiarum ab ente controuertitur.

Dicendum est differentias entis præscindere ab ente. Hæc conclusio cum antecedenti ponit mutuam præcisionem vt vides, non tamen ex necessitate ad præcisionem vtriuslibet extremi; vt vidisti; vtramq; esse veram mox videbis.

Probatur igitur conclusio eodem argumento, quo supra. Illa ratio præscindit ab alia, quæ in sui conceptũ quidditatiuo non attingit obliqua alterius: neque perseitas, neque inaleitas in sui conceptu quidditatiuo attingit obliqua entis realis; ergo tam perseitas, quàm inaleitas præscindit ab ente reali. Hoc idem ferè argumentum aliter sic proponi posset Illa ratio præscindit formaliter ab alia, quæ explicatur per ordinem ad obiqua, per ordinem ad quæ non explicatur alia: perseitas: & inaleitas explicantur per ordinem ad obliqua, per ordinem ad quæ non explicatur ens reale: ergo perseitas, & inaleitas præscindunt formaliter ab ente. Minor intelligenda est de ente sub conceptu præciso entis. *Probatur* autem tum per conceptum quidditatiuum entis, tum per conceptum quidditatiuum, tam perseitatis, quàm ina-

inalieitatis, conceptus quidditatiuus entis est duplex, saltem quoad voces. *Id cui non repugnat existere physice.* Et: *Oppositum chimeræ*; ecce obliqua per ordinem ad quæ explicatur ens reale, sunt, vel chimera, cui opponitur, vel existentiá physica, cui non repugnat, Conceptus quidditatiuus perseitatis est independétia à subiecto, conceptus quidditatiuus inalietatis, dependentia à subiecto seu si mauis: conceptus quidditatiuus inalietatis est exigentia inhærentiæ; perseitatis vero exigentia non inhærentiæ, Obliqua igitur perseitatis sunt vel subiectum à quo independeat; vel inhęrentia quam excludat; obliqua vero inalietatis sunt vel subiectum quod petat, vel iehærentia quam exigat: cópara iam vtramque rationem cnm obliquis alterius, & probatum habes tam differentiã entis præscindere ab ente, quam ens præcindit à differentijs.

Probatur secundo eadem conclusio. Quotiescunque in conceptu quidditatiuo vnius rationis nihil apparet per quod certificemur de alia ratione, toties vna ratio præscindit ab altera: in conceptu inalietatis nihil apparet per quod certificeris de ratione entis realis; ergo inalietas præscindit ab ente reali, idem dic de perseitate, & quaqunque alia huiusmodi differentia. Maior quia intelligenti est euidens solum explicatur. Conceptus quidditatiuus hominis est animal rationale: admisso hoc conceptu dubitare non licet neque an homo sit animal, neque an homo sit rationalis: & quia ipse met conceptus animalis est esse principium sentiendi: conceptus vero rationalis est esse principium dis-

discurrendi ; ideo dubitare non licet hominem non esse aut principium sentiendi , aut principium ratiocinandi : hoc est certificaris quod quidquid homo est, est de sua quidditate & principium sentiendi, & principium discurrendi. Eodem modo quo conceptus hominis quidditatiuus est, animal rationale, conceptus quidditatiuus entis realis est , id cui non repugnat existere : quotiescunque igitur dabis aliquod obiectum esse ens reale, si intelligas quid des , dabis esse id cui non repugnat existere: igitur si de aliquo obiecto concedas alium quidem conceptum quidditatiuum , sed in hoc conceptu non relucet hæc ratio:*id cui non repugnat existere* dabis quidem esse hoc vel illud : non tamen esse ens reale. Exemplo rem explico. Accipe conceptum infiniti creati,seu extensionis infinitæ , extensio infinita est extensio interminata ; ecce conceptum quidditatiuum extensionis infinitæ. Impossibile est te admittere huiusmodi obiectum quin des in ipso rationem extensionis , cum ratione interminatæ ; non tamen eo ipso admittis in huiusmodi obiecto rationem entis realis : quia statuto conceptu quidditatiuo magnitudinis infinitæ, disputatur an hæc sit ens reale , an chimericum & impossibile: quia videlicet in huiusmodi quidditate non apparet formaliter neque repugnantia,neque non repugnantia ad existendum.

Quemadmodum autem de innumerabilibus obiectis huiusmodi. puta de infinitio,de creatura æterna · de præcisione obiectiua & alijs disputatur inter Peripateticos an sint possibilia, an non : alijs aientibus alijs negan-

gantibus; ita ex veteribus multiq. ex recentioribus disputant de possibilitate accidentis sunt enim qui acriter negant dari accidentia saltem realia: & tamen admittunt conceptum quidditatiuum accidentis videlicet: *ens per suam essentiam petens esse in alio*: igitur in hoc conceptu non includitur ratio entis realis, cum de nullo obiecto nagari possit vlla ratio in ipsius quidditate inclusa.

Quemadmodum autem Philosophamur de conceptu quidditatiuo accidentis, ita philosophandum est de conceptu quidditatiuo substantiæ, vtroque inadæquato; si enim tam accidens quam substantiam adæquate definias: dices hoc esse ens reale in alio, illam vero ens reale per se: vtrobique includens rationem entis realis: sed vt vides, neutrum definis secundum rationes præcise differentialès. Non est autem dubium quin ens reale, quale est, & substantia, & accidens, si definitione adæquata definiatur, includat rationem entis realis. Controuersia est an dari possit conceptus explicans rationem propriam substantiæ & rationem propriam accidentis, quin eo ipso explicet rationem entis; sicut v. g. datur conceptus explicans rationem rationalis, absque eo quod includat rationem animalis; cum tamen in sententia satis communi implicet rationale quod non sit animal.

ARTICVLVS II.
Respondetur obiectionibus.

OBijcies primo. Ratio entis repræsentatur formaliter in quolibet obiecto, quod

quod attingatur per quemlibet actum intellectus; ergo differentię entis non pręscindunt ab ente. Consequentia est euidens: nulla enim ratio præscindit ab illo prædicato quod in ipsa repræsentatur; ergo si in qualibet differentia entis repræsentatur ratio seu prædicatum entis, nulla differentia entis præscindit ab ente: repræsentatur autem in qualibet differentia, si repræsentatur in quolibet obiecto: cum quęlibet differentia sit obiectum actus ipsam attingentis. Antecedens autem probatur quia omnis actus intellectus exprimit aliquid, seu repræsentat aliquid, de quo dici possunt aliqua prędicata: repræsentare autem aliquid, est eo ipso repræsentare ens; ergo in quolibet obiecto repræsentatur formaliter ratio entis.

Explicatur hoc argumentum. Qui concipit perseitatem non concipit nihil: interrogatus enim an de aliquo cogites cum cogitas de exigentia non inhærendi alteri; non respondes te nihil cogitare, imo dicis te cogitare de aliquo obiecto, quod non indigeat altero, in quo subiectetur. Idem dic proportionaliter de inalietate, & quacunque alia differentia huiusmodi.

Resp. huic obiectioni obuiatum esse quādo dictum est quam ample sumatur li *aliquid*. Qui cogitat de Hyrcoceruo, interrogatus an de nullo cogitet, an de aliquo, an aliquid concipiat, an nihil; non respondebit se de nullo cogitare, se nihil concipere: aliter diceret se dum cogitat de Hyrcoceruo incogitantem esse: sed dicet se cogitare de aliquo quod est Hyrcus & non Hyrcus, ceruus & non ceruus; adeoque de obiecto ipso

de

de quo cogitat rationem reddet, ipsius prædicata assignans: ecce cogitat de aliquo, & tamen non cogitat de ente reali; ergo potest cogitare de aliquo, non cogitando de ente reali. De quocunque igitur obiecto cogites de aliquo cogitas, quamuis non cogites de vllo ente reali. Quod si hoc nomen ens ad eandem amplitudinem extenderis ad quam extendis li *aliquid*: poteris etiam cogitare de ente, absque eo quod formaliter cogites de ente reali: ens enim in tam ampla significatione acceptum non solum est terminus transcendens, sed etiam supertranscendens, adeoque indifferens ad possibile & impossibile, sicut est indifferens ad vtrumque ratio obiecti. Ex his patet ad argumentũ. In forma nega antecedens si aduersarius per rationem entis intelligat solum ens reale. Ad probationem concessa maiori nega minorem. Nã *aliquid* dicitur etiam de *non ente*, vt patet in instantia allata de obiecto impossibili. Posses etiam distinguere antecedens: ratio entis repræsentatur formaliter in quolibet obiecto, si accipiatur transcendentaliter solũ nega; si supertranscendentaliter: concede. Quodlibet igitur obiectum concipias, concipis aliquid quod est vel aliquid rei, siel aliquid obiecti: esse autem aliquid obiecti est commune possibili, & impossibili: adeoque ex eo quod aliquid sit obiectum actus intellectui male inferes esse quid possibile.

Ad explicationem patet ex dictis, Qui concepit perseitatem non concipit nihil formaliler, nihilitate obiecti; concipit enim aliquod obiectum. sed non propterea concipit aliquid formaliter & in tali conceptu

oppo-

oppositum chimeræ : dum enim non attingis nisi rationem independentiæ à subiecto, manifestum est te non concipere tale obiectũ per ordinem ad obliqua seu connotata propria entis realis.

Obijcies secundo substantia recte definitur ens reale per se; accidens vero ens reale in alio : neuter ex istis conceptibus præscindit ab ente reali ; ergo neque substantia neque accidens in suo conceptu quidditatiuo prescindit ab ente reali.

Resp. concessis maiori, & minori : disting. consequens : neque substantia neque accidens in illo conceptu qui ponitur in obiectione præscindunt ab ente reali : conc. conseq; in vllo conceptu præscindunt ab ente reali : nego consequentiam. Conclusio nostra non est, non posse dari vllum conceptum substantiæ aut accidentis qui non præscindat ab ente reali. Certum est enim quod si vtrũque definias definitione adæquata neutrum præscindet, cum certum sit vtrumque esse realiter ens reale. Controuersia est an rationes differentiales substantiæ & acccidentis possint sub aliquo conceptu prescindere ab ente reali, & hoc est quod affirmamus. Quod si definias solum substantiam: ens per se : accidens vero : ens in alio : & teneas illam entis acceptionem quam tertio loco retulimus, vtrisque ente vt termino supertranscendente : tunc disputare poteris an substantia & accidens sint entia realia, necne : examinando videlicet an ratio perseitatis stet cum ratione entis realis, an contra illi repugnet; adeoque an ens quod ponitur in definitione substantiæ sit ens reale an chimericum : sicut

qui-

quicunque negant accidentia, dicunt rationem inalcitatis destruere rationem entis realis, quamuis admittant hunc conceptum accidentis quidditatiuum: *ens in alio*, vsurpantes videlicet li *ens* tam ample quam acciperent li *id* si dicerent: accidens est id quod exigit semper esse in alio. Li autem *id* posse dici etiam de impossibili patet ex eo quod ens rationis metaphysicum communiter definiatur: id quod habet esse tantum obiectiue in intellectu.

Dices. Demonstrari potest quod neque independentia à subiecto neque dependentia à subiecto pugnant cum ratione entis realis; ergo demonstrari potest quod ens per se, & ens in alio sunt entia realia; ergo neque ens per se, neque ens in alio præscindit ab ente reali.

Resp. concedendo totum, præter vltimã consequentiam. Etiam demonstrari potest quod ratio animalis non pugnat cum rationali, & quod rationale, non pugnat cum animali; ergo nec animal à rationali, nec rationale ab animali pręscindit? vides falsam esse consequentiam.

Obijcies tertiò. Ens dicitur transcendens respectu eorum omnium quæ sunt entia: imo hoc ipsum est esse transcendens continere sub se omnia entia: sed differentię sunt entia; ergo ens continet sub se differentia: ergo differentiæ non pręscindunt ab ente.

Resp. ens esse transcendens respectu omnium rerum, adeoque conuenit omnibus rebus adeoque etiam suis inferioribus seu suis differentijs: sed aliud est quod differentię sint realiter ens, aliud quod sint illud idem

for-

formaliter; primum est verũ secundum falsum; vnde ad argumentum in forma concedo totum, præter vltimam consequentiam.

Obiicies quarto. Aliqua differentia entis non præscindit ab ente; ergo nulla. Consequentia probatur quia non est potior ratio de vna quam de alia. Antecedens probatur, differentia per quã ens contrahitur ad Deum non præscindit ab ente; ergo aliqua, &c. Probatur hoc secundum antecedens; quia huiusmodi differentia est aseitas: quemadmodum enim substantia dicitur ens per se, & propterea ratio propria substantiæ est perseitas, ita Deus dicitur ens à se, ipsiusque ratio propria aseitas: sed hæc non præscindit ab ente; ergo, &c. Minor probatur quia ex ipsa infertur necessitas existendi ergo ipsa non præscindit ab ente.

Resp. rationem posse inferri à ratione præscindente formaliter à se. Possibilitas potest inferri ex inalietate hoc pacto: omnis ratio non inuoluens contradictoria est possibilis: inalietas est huiusmodi; ergo est possibilis. Non propterea inalietas non præscindit ab ente seu a possibili: adeoque eadem est ratio quoad rem præsentem de inalietate, quæ de aseitate. Item in sententia communissima, & ab aduersarijs recepta rationale infert necessario animal: implicat enim rationale non animal, & tamen apud eosdem rationale præscindit ab animali: & sæpissime contingit in hoc decipi arguentes quod putent idem esse vnam rationem esse formaliter in alia, ac inferri necessario ex ipsa: cũ tamen nullum consequens sit formaliter in antecedenti, ex quo infertur.

Ad

Ad argumentum in forma nega antec. Ad probationem dic etiam aseitatem præscindere ab quauis illud inferat. Est autem aseitas formalissime independentia à quocunque alio: qui conceptus, vt vides, non attingit obliqua entis realis: quamuis ex independentia recte inferas necessitatem essendi.

Obijcies vltimo. Differentiæ quæ præscindunt ab ente vel sunt differentiæ entis realis, vel entis præscindentis à reali & chimerico: Neutrum dici potest; ergo differentiæ entis non præscindunt ab ente. Minor probatur quia si dicas esse differentias entis præscindentis à reali & chimerico, canis extra chorum, non enim controuertitur hic an rationes contrahentes rationem præscindentem à reali & chimerica, præscindant & ipsæ à reali & chimerica. Si dicas alterum: contra est: quia impossibile est intelligere differentias entis realis quin intelligas differentias reales: quis enim intelligat à ratione non reali contrahi ad hanc vel illam speciē, rationem realem?

Resp. rationale quod dicis præscindere ab animali vel est rationale quod sit animal, vel rationale quod sit indifferens ad animal & non animal: neutrum dici potest; ergo, &c. Minor probatur. Si enim dicas secundum saltas extra choream; non enim quærimus hic an rationale huiusmodi præscindat ab animali. Si primum contra est: quia rationale quod non sit animal impossibile est quod contrahat animal.

Dices rationale quod non sit formaliter animal contrahere animal, non autem rationale quod non sit realiter animal. Hoc idem dicen-

dicendum est de quacunque differentia contrahente rationem genericam, cum inter rationes genericas & differentiales non detur vlla distinctio intrinseca ex dictis alibi.

Resp. Idem etiam dici à nobis de differentijs entis. Hæ enim sunt realiter, non vero formaliter ens. Ad argumentum igitur informa. Resp. concessa maiori: negando minorem; & dico differentias quæ præscindũt, esse differentias entis realis:ex eo autẽ quod sub hoc cõceptu: *differentiæ entis realis* non præscindant ab ente reali, non magis inferes neque præscindere sub alio, quam ex hoc, quod subſtent huic conceptui, inferres non posse substare alteri.

QVAESTIO IV.

Vtrum ens respectu substantiæ & accidentis respectu Dei & Creaturæ sit genus.

ARTICVLVS I.

Ens respectu Dei & Creaturæ est vninocum.

Onclusionem pro titulo positã idem argumentum probat, quod probauit superiores. Nam in hoc conceptu: *id cui non repugnat existere*: vel: *oppositum chimeræ*, non apparet formaliter differentia creati aut increati, dependentis aut independentis: hæc autem ratio: *id cui non repugnat existere* est realiter & in creato & increato, in creatũra & Deo; ergo ens est vni-

vniuocum respectu Dei & creaturę.

Obijcies primò. In Deo est ens simpliciter, in creatura non est ens simpliciter sed solum secundum quid & diminute: sed ratio quæ in vno extremo reperitur simpliciter, & in altero secundum quid, non est vna in vtroque; ergo ratio entis non est vna in Deo & creatura. Maior probatur per illud Augustini: Domine tu es qui es, ego sum qui non sum: quod dictum fundatur in eo quod Deus ipse loquens seruo suo Moysi dixit: *Ego sum qui sum*: ex quo inferunt, quod esse, sit proprium Dei; & consequenter non sit vnum in Deo & creatura. Confirmatur: quia ens non est vnum in ente & non ente: Deus est ens, creatura non ens; ergo ens non est vnum in Deo & creatura. Maior videtur ex terminis euidens. Quomodo enim potest eadem esse ratio in duobus contradictorijs: hoc est quomodo potest idem esse sui contradictorium: puta eadem ratio in homine & non homine, & quidem ratio hominis; hoc est idem omnino homo non homo. Minor autem probata est per illud Augustini: *tu es qui es, ego sum qui non sum*, quod non esse, ita de se dicit Augustinus vt illud intelligat de omni omnino re creata.

Resp. negando maiorem. Ens dicitur simpliciter & absolute, non autem diminute aut abusiue de creatura. Ad probationem dic Deum esse ens indefectibile, & essentialiter existens: creaturam autem esse ens defectuosum, & contingens. Et propterea comparata ad Deum potius non est quam est. Hæc autem comparatio nec apparet in hoc con-

ceptu

ceptu *ens*, nec à creatura, tollit rationem entis simpliciter. Ex hoc patet ad Augustinum.

Ad confirm. omiss. ma. neg. mi. cuius falsitas patet ex dictis. Ad illud: non potest eadem ratio esse in duobus contradictorijs. Roga Aduersarium an *rationale* & *non rationale* sint contradictoria? si neget: ergo neque *ens* & *non ens* sunt contradictoria non enim magis opponuntur ens & non ens, quam rationale & non rationale. Si affirmet: ergo eadem ratio potest esse vna in duobus contradictorijs: quia *animal* est vnum in homine & bruto, quorum alterum est rationale, alterum non rationale: vna, in quam, non re, sed intellectu; quod nihil est aliud quam opposita in aliqua ratione, posse in alia conuenire, quod accidit vbi genus contrahitur per differentias oppositas. Non tamen valet, ergo poterit idem homo esse simul homo & non homo. Ex hoc enim quod homo & non homo conuenire possint in aliqua ratione, non sequitur posse conuenire in ratione hominis. Poterit autem homo & non homo conuenire in aliqua ratione, quæ præscindat formaliter ab homine, & non homine; adeoque ratio quę neque sit formaliter homo, neque formaliter non homo identificari realiter & cum eo quod est homo, & cum eo quod non est homo.

Verum: quod non contingit in homine alijsue rationibus huiusmodi, haberi potest in aliqua alia magis vniuersali. Puta ratio obiecti potest esse communis obiecto & non obiecto: per hoc enim ipsum quod dicis non obiectum constituis obiectum: sicut per

hoc quod dicis: non cognitum:constituis cognitum: sed de hoc alibi, vbi videlicet de ente rationis. Ad argumentum enim propositum ista non requiruntur. Ens in ea ratione in qua dicitur ens, non est non ens: puta si non ens habet rationem entis in ratione intelligibilis, & ideo dicatur ens, quia est intelligibile, in illa eadem ratione non caret ratione entis, hoc est non est nō ens. Atq; hic indicatur difficultas alibi etiam explicanda: quomodo videlicet *non intelligibile* intelligatur, non cognoscibile cognoscatur, quæ sunt apparenter contradictoria; de quibus vbi de ente rationis.

Obijcies secundò. Ens provt est in Deo est essentialiter independens, provt in creatura est essentialiter dependens; ergo ens in Deo & creatura non est vnum. Consequentia probatur quia implicat idem esse dependens & independens.

Resp. quod ens quod est in Deo non semper apparet vt in Deo; neque quod est in creatura, semper apparet vt in creatura: adeoque quamuis in hac sit essentialiter dependens, in illo essentialiter independens; concipitur ab vtraque ratione præcisum, dū præcise sub ratione entis concipitur. In forma responde primò concesso antecedenti, negando consequentiam: secundo: disting. consequens: non est vnum sub ratione entis: nega; sub omni ratione: concede. Ad probationem dic, dependens & independens, posse esse idem, non sub ratione pendentis aut independentis; sed sub ratione communi vtrique, videlicet sub ratione entis.

Dices. Creatura in ipsamet ratione entis

est

est dependens à Deo : Deus in ipsamet ratione entis omnino independens; ergo differunt Deus & creatura in ratione entis.

Resp. primò disting. ant. in ipsamet ratione entis realiter concedo, formaliter nego antec. Resp. secundo negando antecedens quia præcisa ratio entis non dicit neque dependentiam neque independentiam ; sed in quocunque obiecto sit, si præcise secundum se consideretur, ab vtraque præscindit.

Obiicies vltimo. Magis dissimilantur inter se Deus & Creatura, quam substantia & accidens; ergo ex eo quod ens sit vniuocum respectu substantiæ & accidentis, non sequitur esse vniuocum respectu Dei & creaturæ.

Resp. concedendo totum. Non probamus ens esse vniuocum respectu Dei & creaturæ, ex eo quòd sit vniuocum respectu substantiæ & accidentis. Sed per illam rationem per quam probamus esse vniuocum respectu substantiæ & accidentis ; probamus esse vniuocum respectu Dei & & Creaturæ : quia videlicet tam Deus & Creatura sunt id cui nō repugnat existere, quam substantia & accidens : & hic conceptus : *id cui non repugnat existere* tam præscindit à Deo & creatura quam a substantia & accidente,

ARTICVLVS II.

Resoluitur quæstio.

ESse rationem vniuocam respectu pluriū plures pro eodem habent ac esse genus: non tamen omnes. Igitur quamuis statuerimus ens esse vniuocum respectu substantiæ &

accidentis, Dei & creaturæ: non propterea deerit qui neget hanc consequentiam: ergo est genus; rationes quibus nituntur qui negant; sunt plures. Prima est quia ad rationem generis requiritur vt differentiæ ipsum contrahentes aliquid ipsi superaddant, quod non sit formaliter ipsum: sed differentiæ, inquiunt, quibus ens contrahitur, nihil ipsi superaddunt quod non sit formaliter ens; ergo ens non est genus. Maiorem probant ex dictis vbi de differentia, quam videlicet Philosophus sic definit: *id quo species abundat à genere.* De minori dictum est alibi.

Alij peculiarem difficultatem inueniunt in ente vt sit genus respectu Dei & creaturæ; quamuis facile dent esse genus respectu substantiæ & accidentis. Vt ens sit genus, inquiunt respectu Dei & creaturæ debet Deus esse species entis: Deus non est species entis; ergo ens non est genus respectu Dei & Creaturæ. Maior patet ex definitione generis. Minor probatur quia species est vnum aptum prædicari de pluribus: Deus non est huiusmodi; ergo non est species.

Dicendum est primo contra hanc secundã sententiam. Ad rationem speciei non requiritur prædicabilitas de pluribus. Patet hæc nostra conclusio ex dictis: vbi de specie. Diuisimus enim speciem in speciem prædicabilem & in speciem pure subijcibilem: primam diximus non saluari sine multiplicitate: secundam saluari cum vnicitate. Etiamsi enim species rerum immaterialium constituerentur singulæ per singula indiuidua, essentialiter immultiplicabilia intra suam rationem, adhuc essent veræ species, & sustinerent

nerent hanc Philosophi definitionem; *species est quæ collocatur sub assignato genere:* posset igitur Deus quantum est ex hoc capite esse species entis, cum tota sua immultiplicabilitate & vere subijci rationi entis. Subijci, inquam subiectione pure logica, quo etiam genere subiectionis subijcitur quoties dicis: *Deus est ens à se* quod subijci nihil est aliud quam esse subiectum propositionis aliquid dicentis de ipso. Vbi aduerte me non ponere in Deo vllam compositionem obiectiuam, neque ex esse & essentia, neque ex genere & differentia, sed puram compositionem rationis quæ diuinæ simplicitati non officit; immo vt ait D. Thom. in 2. scrip. super 4. lib. sent. lib. 1. dist. 2. art. 2. ad 1. fundatur in ipsa. Docet enim ibi S. Doctor quod Deus quanto est simplicior, tanto est virtuosior, & tanto habens rationem plurium perfectionum. Deum igitur subijci enti modo explicato, nihil aliud est, quam *ens* dici de Deo, & infinitis alijs Deo dissimilibus.

Dicendum est secundo contra primam. Etiamsi de ratione generis sit quod differentiæ aliquid ipsi supperaddant, quod non sit formaliter ipsum: ens poterit esse genus. Patet hæc conclusio ex supradictis, vbi ostensum est differentias entis non esse formaliter ens; ex quo sequitur etiam hanc definitionem; *differentia est id quo species abundat à genere*, stare cum hac conclusione: *ens est genus*.

Dicendum tertio. Ad rationem generis non requiritur quod differentiæ aliquid ipsi superaddant quod non sit formaliter ipsum.

Probatur hæc conclusio item ex dictis: vbi cum veteribus summulistis diuisimus differentias in extrahentes & non extrahentes seu imbibentes: quæ etiam frequenter appellantur pure limitantes: dum enim ait summulista genus contrahi per vtramque speciem differentiarum dicit consequenter ad rationẽ generis, non requiri vt differentia non imbibat ipsum; adeoque posse ipsum contrahi per differentiam non contradistinctam ab ipso formaliter.

Queres an etiam tùm dici possit speciem per huiusmodi differentiã abũdare à genere?

Resp. affirmatiuè. Etiamsi enim modus entis sit formaliter ens, est tamen aliquid formaliter præter ens: nec dubitari potest hunc conceptum: *ens per se*, esse diuersum ab hoc: *ens*: quamuis hic secundus includatur in primo. Petere autem quod assignetur aliquid quod non sit formaliter ens, est inepte petere ab aientibus modum entis non posse præscindere ab ente; adeoque conceptũ formaliter expressiuum modi entis differre à conceptu expressiuo entis vt sic, solum per hoc quod vnus vel eandem rem abundantius explicet quam alter, vel per hoc quod per vnum aliquid plus realiter sed minus explicite concipiatur quam per alterum. v.g. hic conceptus: *perseitas* seu *modus essendi per se* explicat rationem substantiæ, quæ etiam realiter attingitur per hunc conceptum *ens*. Sed illã explicat, cũ nõ explicetur per li *ens*. Ens tamen plus aliquid dicit quam perseitas, quia realiter dicit & perseitatem & inalietatem & quamcunque aliam differentiam huiusmodi.

Cæterum quod etiamsi differentiæ non præscindant ab ente, adhuc tamen aliquid includant supra ens, ostenditur sic. Perseitas & inalietas etiamsi ambæ includant rationẽ entis, tamen inter se differunt: quis enim dicat nullam esse diuersitatem inter perseitatem & inalietatem? Non autem differunt secundum hanc rationem præcisam *ens*; ergo per aliquid aliud. Minor probatur quia *ens* & *ens* non sunt duo conceptus diuersi: quod enim est formaliter ens per præcisam rationem entis non differt ab eo quod est formaliter ens. Quid autem erit illud aliud nisi modus ipse seu modificatio entis aliter expressa per vnum quam per alium conceptum?

Dicendum est vltimo. Ens est genus respectu substantiæ & accidentis, Dei & creaturę. Probatur conclusio ex dictis hic & alibi: nam primo ostẽsum est ad rationem generis non requiri quod species ipsi subditæ omnes sint prędicabiles: adeoque immultiplicabilitas entis increati non obstat rationi generis in ratione ipsum & alia entia comprehendente. Secundò ostensum est quod differentiæ entis præscindunt ab ente, adeoque etiamsi necessaria esset ad rationem generis mutua præcisio ipsius à differentijs & differentiarum ab ipso, adhuc ex hoc capite tenetur in ente ratio generis. Tertiò ostensum est ad rationem generis non requiri præcisionem mutuam; cum genus diuidi possit per differentias alias extrahentes, alias non, extrahentes: & consequenter ex triplici capite impugnata conclusio, ex nullo expugnabilis est. Atque hic obiter nota decisam hic à nobis litem alibi intentatem; an videlicet

delicet ratio transcendens possit esse generica.

ARTICVLVS III.

Colliguntur aliqua ex dictis.

COllige primo rationem entis aliquando adeo vniuersalem esse vt dici possit de non ente. Patet hoc quia negatio est non ens, puta negatio lucis est non esse lucis: da autem dari negationes huiusmodi quod aliqui volunt, poterunt concipi & consequenter esse obiectum alicuius actus nostri intellectus: si igitur ens tam ample patet quam ratio obiecti, ens dicetur de non ente, sed ens amplissime acceptum, de non ente, accipiendo ens negatum per li *non* in significatione minus ampla.

Collige secundo. Quod quemadmodum diuisit Philosophus ens in substantiam & accidens, accipiendo ens pro ente reali: ita etiam ens in ampliori acceptione diuiditur in possibile & impossibile: quam diuisionem satis frequenter inuenies, etiam apud eos qui negant ens in tam ampla significatione vsurpari posse vt sit, non modo transcendens, sed etiam supertranscendens. An cohærenter ita diuidant & negent, ipsi viderint. Tu in rem tuam trahe quod ita diuidant, & quotiescunque indiges prædicta entis acceptione tam ampla dic te vsurpare hoc nomen *ens* secundum illam rationem, secundum quam diuiditur in possibile & impossibile: quam rationem conuertis cum intelligibili.

Quod si aduersarius dicat ens diuidi in

possi-

possibile & impossibile non vt nomen vniuocum sicut diuiditur animal in rationale & irrationale; sed vt nomen æquiuocum: quo pacto diuiditur homo in realem & fictum; dic quod agentes de homine numquam præmittunt hanc diuisionem, assignantes eidem scientiæ speculationem vtriusque: cum agentes de ente prædictam diuisionem præmittāt vtpote tribuentes eidem potentiæ examen seu considerationem tam impossibilis quam possibilis. Quis enim tractaturus de homine sic incipit: sciendum est hominem diuidi in realem & pictum. Cum ipsi aduersarij tractaturi de ente, sic exordiantur: ens diuiditur in possibile & impossibile.

QVAESTIO V.

De Possibili.

ARTICVLVS I.

Quid sit possibilitas.

Postquam diuisimus ens amplissime acceptum in possibile & impossibile; operæ pretium facturi sumus, si de vtroque in hac logicæ parte egerimus. Et primo quidem de possibili dicendum est.

Opiniones de possibili omnes recensere vix est possibile. Præcipuas delibabimus, nostram statuemus. Pro quo supponendum est, inter obiecta quæ intelligimus, & de quibus loquimur, aliqua de facto existere, aliqua non existere sed extitura; aliqua nec exi-

Ad argumentum in forma nega antec. Ad probationem dic etiam aseitatem præscindere ab quāuis illud inferat. Est autem aseitas formalissime independentia à quocunque alio : qui conceptus , vt vides , non attingit obliqua entis realis : quamuis ex independentia recte inferas necessitatem essendi .

Obijcies vltimo. Differentiæ quæ præscindunt ab ente vel sunt differentiæ entis realis, vel entis præscindentis à reali & chimerico : Neutrum dici potest; ergo differentiæ entis non præscindunt ab ente . Minor probatur quia si dicas esse differentias entis præscindentis à reali & chimerico , canis extra chorum, non enim controuertitur hic an rationes contrahentes rationem præscindentem à reali & chimerica , præscindant & ipsæ à reali & chimerica. Si dicas alterum : contra est : quia impossibile est intelligere differentias entis realis quin intelligas differentias reales : quis enim intelligat à ratione non reali contrahi ad hanc vel illam speciē, rationem realem ?

Resp. rationale quod dicis præscindere ab animali vel est rationale quod sit animal, vel rationale quod sit indifferens ad animal & non animal: neutrum dici potest ; ergo, &c. Minor probatur. Si enim dicas secundum saltas extra choream; non enim quærimus hic an rationale huiusmodi præscindat ab animali. Si primum contra est : quia rationale quod non sit animal impossibile est quod contrahat animal .

Dices rationale quod non sit formaliter animal contrahere animal,non autem rationale quod non sit realiter animal. Hoc idem dicen-

dicendum est de quacunque differentia contrahente rationem genericam, cum inter rationes genericas & differentiales non detur vlla distinctio intrinseca ex dictis alibi.

Resp. Idem etiam dici à nobis de differentijs entis. Hæ enim sunt realiter, non vero formaliter ens. Ad argumentum igitur in forma. Resp. concessa maiori: negando minorem; & dico differentias quæ præscindũt, esse differentias entis realis:ex eo autẽ quod sub hoc cõceptu: *differentiæ entis realis* non præscindant ab ente reali, non magis inferes neque præscindere sub alio, quam ex hoc, quod substent huic conceptui, inferres non posse substare alteri.

QVAESTIO IV.

Vtrum ens respectu substantiæ & accidentis respectu Dei & Creaturæ sit genus.

ARTICVLVS I.

Ens respectu Dei & Creaturæ est vninocum.

Conclusionem pro titulo positã idem argumentum probat, quod probauit superiores. Nam in hoc conceptu: *id cui non repugnat existere*: vel: *oppositum chimeræ*, non apparet formaliter differentia creati aut increati, dependentis aut independentis: hæc autem ratio: *id cui non repugnat existere* est realiter & in creato & increato, in creatura & Deo; ergo ens est vni-

vnirocum respectu Dei & creaturę.

Obijcies primò. In Deo est ens simpliciter, in creatura non est ens simpliciter sed solum secundum quid & diminute: sed ratio quæ in vno extremo reperitur simpliciter, & in altero secundum quid, non est vna in vtroque; ergo ratio entis non est vna in Deo & creatura. Maior probatur per illud Augustini: Domine tu es qui es, ego sum qui non sum: quod dictum fundatur in eo quod Deus ipse loquens seruo suo Moysi dixit: *Ego sum qui sum*: ex quo inferunt, quod esse, sit proprium Dei; & consequenter non sit vnum in Deo & creatura. Confirmatur: quia ens non est vnum in ente & non ente: Deus est ens, creatura non ens; ergo ens non est vnum in Deo & creatura. Maior videtur ex terminis euidens. Quomodo enim potest eadem esse ratio in duobus contradictorijs: hoc est quomodo potest idem esse sui contradictorium: puta eadem ratio in homine & non homine, & quidem ratio hominis; hoc est idem omnino homo non homo. Minor autem probata est per illud Augustini: *tu es qui es, ego sum qui non sum*, quod non esse, ita de se dicit Augustinus vt illud intelligat de omni omnino re creata.

Resp. negando maiorem. Ens dicitur simpliciter & absolute, non autem diminute aut abusiue de creatura. Ad probationem dic Deum esse ens indefectibile, & essentialiter existens: creaturam autem esse ens defectuosum, & contingens. Et propterea comparata ad Deum potius non est quam est. Hæc autem comparatio nec apparet in hoc con-

ceptu *ens*, nec à creatura, tollit rationem entis simpliciter. Ex hoc patet ad Augustinum.

Ad confirm. omiss. ma. neg. mi. cuius falsitas patet ex dictis. Ad illud: non potest eadem ratio esse in duobus contradictorijs. Roga Aduersarium an *rationale* & *non rationale* sint contradictoria? si neget: ergo neque *ens* & *non ens* sunt contradictoria non enim magis opponuntur ens & non ens, quam rationale & non rationale. Si affirmet: ergo eadem ratio potest esse vna in duobus contradictorijs: quia *animal* est vnum in homine & bruto, quorum alterum est rationale, alterum non rationale: vna, in quam, non re, sed intellectu; quod nihil est aliud quam opposita in aliqua ratione, posse in alia conuenire, quod accidit vbi genus contrahitur per differentias oppositas. Non tamen valet, ergo poterit idem homo esse simul homo & non homo. Ex hoc enim quod homo & non homo conuenire possint in aliqua ratione, non sequitur posse conuenire in ratione hominis. Poterit autem homo & non homo conuenire in aliqua ratione, quæ præscindat formaliter ab homine, & non homine; adeoque ratio quę neque sit formaliter homo, neque formaliter non homo identificari realiter & cum eo quod est homo, & cum eo quod non est homo.

Verum: quod non contingit in homine alijsue rationibus huiusmodi, haberi potest in aliqua alia magis vniuersali. Puta ratio obiecti potest esse communis obiecto & non obiecto: per hoc enim ipsum quod dicis non obiectum constituis obiectum: sicut per

hoc quod dicis: non cognitum:constituis cognitum: sed de hoc alibi, vbi videlicet de ente rationis. Ad argumentum enim propositum ista non requiruntur. Ens in ea ratione in qua dicitur ens, non est non ens: puta si non ens habet rationem entis in ratione intelligibilis, & ideo dicatur ens, quia est intelligibile, in illa eadem ratione non caret ratione entis, hoc est non est nō ens. Atq; hic indicatur difficultas alibi etiam explicanda: quomodo videlicet *non intelligibile* intelligatur, non cognoscibile cognoscatur, quæ sunt apparenter contradictoria; de quibus vbi de ente rationis.

Obijcies secundò. Ens prout est in Deo est essentialiter independens, prout in creatura est essentialiter dependens; ergo ens in Deo & creatura non est vnum. Consequentia probatur quia implicat idem esse dependens & independens.

Resp. quod ens quod est in Deo non semper apparet vt in Deo; neque quod est in creatura, semper apparet vt in creatura: adeoque quamuis in hac sit essentialiter dependens, in illo essentialiter independens; concipitur ab vtraque ratione præcisum, dū præcise sub ratione entis concipitur. In forma responde primò concesso antecedenti, negando consequentiam: secundo: disting. consequens: non est vnum sub ratione entis: nega; sub omni ratione: concede. Ad probationem dic, dependens & independens, posse esse idem, non sub ratione pendentis aut independentis; sed sub ratione communi vtrique, videlicet sub ratione entis.

Dices. Creatura in ipsamet ratione entis est

est dependens à Deo: Deus in ipsamet ratione entis omnino independens; ergo differunt Deus & creatura in ratione entis.

Resp. primò disting. ant. in ipsamet ratione entis realiter concedo, formaliter nego antec. Resp. secundo negando antecedens quia præcisa ratio entis non dicit neque dependentiam neque independentiam; sed in quocunque obiecto sit, si præcise secundum se consideretur, ab vtraque præscindit.

Obiicies vltimo. Magis dissimilantur inter se Deus & Creatura, quam substantia & accidens; ergo ex eo quod ens sit vniuocum respectu substantiæ & accidentis, non sequitur esse vniuocum respectu Dei & creaturæ.

Resp. concedendo totum. Non probamus ens esse vniuocum respectu Dei & creaturæ, ex eo quód sit vniuocum respectu substantiæ & accidentis; Sed per illam rationem per quam probamus esse vniuocum respectu substantiæ & accidentis; probamus esse vniuocum respectu Dei & & Creaturæ: quia videlicet tam Deus & Creatura sunt id cui nō repugnat existere, quam substantia & accidens: & hic conceptus: *id cui non repugnat existere* tam præscindit à Deo & creatura quam a substantia & accidente,

ARTICVLVS II.

Resoluitur quæstio.

Esse rationem vniuocam respectu pluriū plures pro eodem habent ac esse genus: non tamen omnes. Igitur quamuis statuerimus ens esse vniuocum respectu substantię &

accidentis, Dei & creaturæ: non propterea deerit qui neget hanc consequentiam: ergo est genus; rationes quibus nituntur qui negant, sunt plures. Prima est quia ad rationem generis requiritur vt differentiæ ipsum contrahentes aliquid ipsi superaddant, quod non sit formaliter ipsum: sed differentiæ, inquiunt, quibus ens contrahitur, nihil ipsi superaddunt quod non sit formaliter ens; ergo ens non est genus. Maiorem probant ex dictis vbi de differentia, quam videlicet Philosophus sic definit: *id quo species abundat à genere.* De minori dictum est alibi.

Alij peculiarem difficultatem inueniunt in ente vt sit genus respectu Dei & creaturæ; quamuis facile dent esse genus respectu substantiæ & accidentis. Vt ens sit genus, inquiunt respectu Dei & creaturæ debet Deus esse species entis: Deus non est species entis; ergo ens non est genus respectu Dei & Creaturæ. Maior patet ex definitione generis. Minor probatur quia species est vnum aptum prædicari de pluribus: Deus non est huiusmodi; ergo non est species.

Dicendum est primo contra hanc secundā sententiam. Ad rationem speciei non requiritur prædicabilitas de pluribus. Patet hæc nostra conclusio ex dictis: vbi de specie. Diuisimus enim speciem in speciem prædicabilem & in speciem pure subijcibilem: primam diximus non saluari sine multiplicitate: secundam saluari cum vnicitate. Etiamsi enim species rerum immaterialium constituerentur singulæ per singula indiuidua, essentialiter immultiplicabilia intra suam rationem, adhuc essent veræ species, & sustinerent

nerent hanc Philosophi definitionem: *species est quæ collocatur sub assignato genere*: posset igitur Deus quantum est ex hoc capite esse species entis, cum tota sua immultiplicabilitate & vere subijci rationi entis. Subijci, inquam subiectione pure logica, quo etiam genere subiectionis subijcitur quoties dicis: *Deus est ens à se* quod subijci nihil est aliud quam esse subiectum propositionis aliquid dicentis de ipso. Vbi aduerte me non ponere in Deo vllam compositionem obiectiuam, neque ex esse & essentia, neque ex genere & differentia, sed puram compositionem rationis quæ diuinæ simplicitati non officit; immo vt ait D. Thom. in 2. scrip. super 4. lib. sent. lib. 1. dist. 2. art. 2. ad 1. fundatur in ipsa. Docet enim ibi S. Doctor quod Deus quanto est simplicior, tanto est virtuosior, & tanto habens rationem plurium perfectionum. Deum igitur subijci enti modo explicato, nihil aliud est, quam *ens* dici de Deo, & infinitis alijs Deo dissimilibus.

Dicendum est secundo contra primam. Etiamsi de ratione generis sit quod differentiæ aliquid ipsi supperaddant, quod non sit formaliter ipsum: ens poterit esse genus. Patel hæc conclusio ex supradictis, vbi ostensum est differentias entis non esse formaliter ens; ex quo sequitur etiam hanc definitionem: *differentia est id quo species abundat à genere*, stare cum hac conclusione: *ens est genus*.

Dicendum tertio. Ad rationem generis non requiritur quod differentiæ aliquid ipsi superaddant quod non sit formaliter ipsum.

Probatur hæc conclusio item ex dictis: vbi cum veteribus summulistis dimisimus differentias in extrahentes & non extrahentes seu imbibentes: quæ etiam frequenter appellantur purè limitantes: dum enim ait summulista genus contrahi per vtramque speciem differentiarum dicit consequenter ad rationē generis, non requiri vt differentia non imbibat ipsum; adeoque posse ipsum contrahi per differentiam non contradistinctam ab ipso formaliter.

Queres an etiam tùm dici possit speciem per huiusmodi differentiā abūdare à genere?

Resp. affirmatiuè. Etiamsi enim modus entis sit formaliter ens, est tamen aliquid formaliter præter ens: nec dubitari potest hunc conceptum: *ens per se*, esse diuersum ab hoc: *ens*: quamuis hic secundus includatur in primo. Petere autem quod assignetur aliquid quod non sit formaliter ens, est inepte petere ab aientibus modum entis non posse præscindere ab ente; adeoque conceptū formaliter expressiuum modi entis differre à conceptu expressiuo entis vt sic, solum per hoc quod vnus vel eandem rem abundantius explicet quam alter, vel per hoc quod per vnum aliquid plus realiter sed minus explicite concipiatur quam per alterum. v.g. hic conceptus; *perseitas* seu *modus essendi per se* explicat rationem substantiæ, quæ etiam realiter attingitur per hunc conceptum *ens*. Sed illā explicat, cū nō explicetur per li *ens*. Ens tamen plus aliquid dicit quam perseitas, quia realiter dicit & perseitatem & inalietatem & quamcunque aliam differentiam huiusmodi.

Cæterum quod etiamsi differentiæ non præscindant ab ente, adhuc tamen aliquid includant supra ens, ostenditur sic. Perseitas & inalietas etiamsi ambæ includant rationē entis, tamen inter se differunt: quis enim dicat nullam esse diuersitatem inter perseitatem & inalietatem? Non autem differunt secundum hanc rationem præcisam *ens*; ergo per aliquid aliud. Minor probatur quia *ens* & *ens* non sunt duo conceptus diuersi: quod enim est formaliter ens per præcisam rationem entis non differt ab eo quod est formaliter ens. Quid autem erit illud aliud nisi modus ipse seu modificatio entis aliter expressa per vnum quam per alium conceptum?

Dicendum est vltimo. Ens est genus respectu substantiæ & accidentis, Dei & creaturę. Probatur conclusio ex dictis hic & alibi: nam primo ostēsum est ad rationem generis non requiri quod species ipsi subditæ omnes sint prędicabiles: adeoque immultiplicabilitas entis increati non obstat rationi generis in ratione ipsum & alia entia comprehendente. Secundò ostensum est quod differentiæ entis præscindunt ab ente, adeoque etiamsi necessaria esset ad rationem generis mutua præcisio ipsius à differentijs & differentiarum ab ipso, adhuc ex hoc capite tenetur in ente ratio generis. Tertiò ostensum est ad rationem generis non requiri precisionem mutuam; cum genus diuidi possit per differentias alias extrahentes, alias non extrahentes: & consequenter ex triplici capite impugnata conclusio, ex nullo expugnabilis est. Atque hic obiter nota decisam hic à nobis litem alibi intentatem; an videlicet

delicet ratio transcendens possit esse generica.

ARTICVLVS III.

Colliguntur aliqua ex dictis.

COllige primo rationem entis aliquando adeo vniuersalem esse vt dici possit de non ente. Patet hoc quia negatio est non ens, puta negatio lucis est non esse lucis: da autem dari negationes huiusmodi quod aliqui volunt, poterunt concipi & consequenter esse obiectum alicuius actus nostri intellectus: si igitur ens tam ample patet quam ratio obiecti, ens dicetur de non ente, sed ens amplissime acceptum, de non ente, accipiendo ens negatum per li *non* in significatione minus ampla.

Collige secundo. Quod quemadmodum diuisit Philosophus ens in substantiam & accidens, accipiendo ens pro ente reali: ita etiam ens in ampliori acceptione diuiditur in possibile & impossibile: quam diuisionem satis frequenter inuenies, etiam apud eos qui negant ens in tam ampla significatione vsurpari posse vt sit, non modo transcendens, sed etiam supertranscendens. An cohærenter ita diuidant & negent, ipsi viderint. Tu in rem tuam trahe quod ita diuidant, & quotiescunque indiges prædicta entis acceptione tam ampla dic te vsurpare hoc nomen *ens* secundum illam rationem, secundum quam diuiditur in possibile & impossibile: quam rationem conuertis cum intelligibili.

Quod si aduersarius dicat ens diuidi in possi-

possibile & impossibile non vt nomen vniuocum sicut diuiditur animal in rationale & irrationale; sed vt nomen æquiuocum: quo pacto diuiditur homo in realem & fictum; dic quod agentes de homine numquam præmittunt hanc diuisionem, assignantes eidem scientiæ speculationem vtriusque: cum agentes de ente prædictam diuisionem præmittāt vtpote tribuentes eidem potentiæ examen seu considerationem tam impossibilis quam possibilis. Quis enim tractaturus de homine sic incipit: sciendum est hominem diuidi in realem & pictum. Cum ipsi aduersarij tractaturi de ente, sic exordiantur: ens diuiditur in possibile & impossibile.

QVAESTIO V.

De Possibili.

ARTICVLVS I.

Quid sit possibilitas.

POstquam diuisimus ens amplissime acceptum in possibile & impossibile; operæ pretium facturi sumus, si de vtroque in hac logicæ parte egerimus. Et primo quidem de possibili dicendum est.

Opiniones de possibili omnes recensere vix est possibile. Præcipuas delibabimus, nostram statuemus. Pro quo supponendum est, inter obiecta quæ intelligimus, & de quibus loquimur, aliqua de facto existere, aliqua non existere sed extitura; aliqua nec exi-

ſtere nec extitura, ſed tamen exiſtere poſſe. Nos omnes qui ſumus, de facto exiſtimus: Antichriſtus non exiſtit ſed extiturus eſt. Alter mundus nec exiſtit nec exiturus eſt. poſſet tamen exiſtere: neque enim dubium eſt quin Deus multa facere queat, quæ numquam faciet, adeoque quin multa ſint poſſibilia quæ numquam erunt.

Quæritur autem inter Philoſophos per quid habeatur poſſibilitas rerum. Aliqui poſſibilitatem rei quę dicitur poſſibilis exiſtimant haberi adæquate per diuinam omnipotentiam: aiuntque terminum illum, qui dicitur poſſibilis, puta alium mundum, eſſe poſſibilem per denominationem ipſi adæquate extrinſecam à diuina omnipotentia. Hanc poſſibilitatem quam actiuam vocabimus, meliuſque vocaremus potentiam; volūt etiam eſſe formalem; ita vt per hanc vnam & nullam aliam, res poſſibilis ſit & denominetur poſſibilis.

Alij non contenti poſſibilitate illa actiua, quam aiunt congruentius dicendam virtuté actiuam ſeu effectiuam; ponunt præterea poſſibilitatem paſſiuam, quam aiunt vere & proprie poſſibilitatem vocari. Denominatio enim rei poſſibilis; eſt denominatio paſſiua. Hi vero duas diuiduntur in Claſſes. Alij enim poſſibilitatem hanc paſſiuam ſeu intrinſecam rei poſſibili exiſtimant eſſe ens quoddam æternum, quod abuſiuum ſeu diminutum appellant, à quo terminus poſſibilis eſt, & denominatur poſſibilis: pu a muſca quæ hodie naſcitur in Apulia, habuit ante quam eſſet & ab æterno ens quoddam abuſiuum, ſeu diminutum, per quod conſtituebatur

tuebatur possibilis. Huiusmodi entia sunt & fuerunt antequam termini per ipsa denominati veram & physicam existentiam haberent.

Indicatum est à nobis alibi facile fuisse admittentibus huiusmodi entia deminuta decipi in hac voce: *diminutè*, transeundo ab vno sensu ad alium. Puta multi ijq. graues auctores aiunt in hac propositione: *alter mundus est possibilis*, li est importari diminute: hoc est non significare esse simpliciter: & hoc est verum; ab hoc sensu transeunt ad alium, dum putant dari aliquid physice ab æterno, quod sit ens diminutum illius rei quæ dicitur possibilis.

Alij nomine possibilitatis intrinsecæ nihil aliud intelligunt quam obiectiuam quandam seu logicam, termini qui dicitur possibilis, non repugnantiam ad physice & realiter existendum: hoc est non repugnantiam inter prædicata ex quibus constat terminus ille qui denominatur possibilis. Rem facile intelliges exemplificatam. Suppone Petrum possibilem: & in Petro possibili considera tres opiniones hactenus allatas. Prima opinio dicit Petrum denominari possibilem adæquate à diuina omnipotentia; sumendo li *adæquate* cum exclusione omnis alterius rationis à qua denominetur possibilis. Si enim solum diceret, ex eo quod Deus possit facere Petrum, sufficienter inferri Petrum esse possibilem recte quidem diceret; sed nō ad punctum pręsentis controuersiæ. Secunda opinio dicit Petrum esse possibilem per entitatulam quandam physice æternam, existentem extra Deum, quam vocauimus ens

diminutum, & ait esse possibilitatem intrinsecam Petri. Tertia dicit Petrum esse intrinsice possibilem per hoc præcise quod prædicata intrinsece constituentia Petrum non dicant inter se vllam repugnantiam.

Hæc vltima sententia est nostra & vera. Probatur autem primo reijciendo secundam quæ inter omnes est improbabilissima. Nam dari huiusmodi entia æterna & necessaria impossibile est nisi admittatur aliquid æternum & necessarium extra Deum: nihil autem huiusmodi debet admitti, ergo possibilitas non consistit in huiusmodi entibus. Maior probatur quia huiusmodi entia non sunt Deus ipse; sunt igitur aliquid distinctum à Deo: omne autem distinctum à Deo est quid creatum: sunt igitur aliquæ creaturæ ab æterno: sed hoc parum esset. Huiusmodi entia non solum sunt æterna sed sunt æque necessaria ac Deus ipse, possibilitas enim cuiuscunque rei possibilis est æque necessaria ac Deus; ergo si possibilitas muscæ habetur per huiusmodi ens diminutum: æque necessario datur huiusmodi ens diminutum ac Deus ipse. Id autem est inconueniens.

Neque quidquam proficit aduersarius dū entia huiusmodi diminuta ita deprimit vt sustineant solum nomen entis abusiue. Quo enim viliora sunt huiusmodi entia, eo sunt indigniora haberi pro necessarijs. Certe quid quid sint, aliquid sunt extra Deum; ergo præter Deum datur aliquid quod necessario necessitate metaphysica existit. Hanc eandem sententiam reijciemus in Physica, vbi de essentia & existentia rerum creatarum.

Probatur secundò nostra sententia quia

per illam habetur conceptus uere metaphysicus rei possibilis, vt talis, qui non habetur per primam. Explicatur hoc. Quotiescunque quærimus vtrum aliquid sit possibile, non inuestigamus, prædicata essentialia diuinæ omnipotentiæ; sed prædicata intrinseca, hoc est constitutiua rei, de qua quæritur an sit possibilis. Puta proponis Aduersario an sit possibilis Creatura independens? statim comparat ista duo prædicata videlicet prædicatum *creaturæ* & prædicatum *independentis*. Conceptus creaturæ ait ille, est conceptus accipientis esse ab alio; conceptus independentis est conceptus non habentis esse ab alio: habere esse ab alio, & non habere esse ab alio sunt prędicata inter se repugnātia; igitur prędicata constitutiua creaturæ independentis repugnant inter se: adeoque creatura independens est chimera. Rursus proponitur an sit possibilis creatura æterna: comparat rationem *æterni* cum ratione *creati*: & quia non est euidens repugnantia istarum rationum inter se, sed solum probabilis, ideo in scholis alij affirmant, alij negant creaturam æternam esse quid possibile.

Denique proponitur an sit possibilis creatura rationalis. comparamus conceptum *creaturæ* cum conceptu *rationalis*, intelligimus inter hunc & illum conceptum non dari repugnantiam; & affirmamus creaturam rationalem esse quid possibile.

Probatur rursus conclusio detegendo æquiuocationem qua decipiuntur qui negant possibilitatem intrinsecam. Fundatur autem huiusmodi æquiuocatio in hoc quod putent idem esse dicere possibilitatem intrinsecam,

ac possibiliiatem quæ vere & physice sit in rerum natura. Cum aurem antequam res sit nihil ipsius sit, sed solum sit potentia effectiua ipsius, nullam aliam possibilitatem agnoscunt quam potentiam rei possibilis effectricem, hoc est translatiuam rei à statu possibilitatis ad statum existentię. Nos autem dum dicimus rem possibilem esse per sua prædicata intrinseca possibilem, consideramus illa prædicata in esse obiectiuo, nec enim aliter sunt prædicata rei quam sit res; res est in esse obiectiuo; igitur & prædicata ipsius: in istis autem prædicatis hoc modo consideratis, non inuenimus vllam repugnãtiam, imo inuenimus non dari vllam repugnantiam, & propterea dicimus rem illam esse possibilem. Vnde eodem modo dicimus dari possibilitatem intrinsecam distinctam à diuina omnipotentia, quo aduersarij dicũt dari terminum diuinæ omnipotentiæ distinctum à diuina omnipotentia: & quemadmodum negant hominem possibilem secundum id pro quo supponit, esse ipsam met diuinam omnipotentiam, ita negamus possibilitatem formalem hominis possibilis esse ipsam met diuinam omnipotentiam; cum homo possibilis sit ipse sibi sua formalis possibilitas, atque rigorose, ac est sua prædicata: puta animal rationale; quæ non dicunt vllã inter se repugnantiam.

Confirmatur hoc idem ex modo quo aduersarij speculantur an aliquid sit possibile; hoc est an aliquid, sit terminus diuinæ omnipotentiæ. Si enim quæras ab ipsis an diuina omnipotentia terminari queat ad infinitum categorematicum faciendo magnitudinem

nem aliquam interminatam: statim examinant prædicata constitutiua talis obiecti: & si putent se inuenisse prædicata inter se pugnantia; puta: quod idem esset eidem æquale & non æquale: statim putant se per hæc prædicata demonstrasse impossibilitatem infiniti; si vero modum inueniant liberandi infinitum ab hac prædicatorum repugnantia, dicunt non esse impossibile infinitum categorimaticum; & consequenter ad ipsum terminari posse diuinam omnipotentiam. Igitur ex non repugnantia illa inter prædicata constitutiua rei arguunt dari possibilitatem, quam vocant actiuam. Nos autem dicimus per hoc ipsum eos ex possibilitate formali & intrinseca deduci in cognitionem possibilitatis actiuæ extrinsecæ. Denique patebit conclusio ex responsione ad obiectiones.

ARTICVLVS II.

Satisfit obiectionibus.

SOluendæ sunt obiectiones tam, quæ pro prima, quàm quæ pro secunda sententia militant aduersus nostrum. Et quia prima sententia variè à varijs sustinetur, ideò per hanc variè nostra veritas impugnabitur.

Obijcies primo. Hæc propositio: *Homo est est animal rationale*, & hæc alia: *Homo est quid possibile*; sunt propositiones æternæ veritatis; ergo sunt veræ antequam existat vllus homo, veræ etiam futuræ, etiam si nullus vnquam homo existeret: sed si sunt veræ eo ipso habent verificatiuum; ergo istarum propositionum datur verificatiuum ante-

quam existat vllus homo, & etiam si non existat vllus homo: sed hoc verificatiuum nequit esse aliquid distinctum à Deo; ergo Deus est verificatiuum istarum propositionum; istæ propositiones verificantur per possibilitatem hominis, ergo Deus est vera, & vna possibilitas hominis. Idem dic de possibilitate alterius mundi, aut cuiuslibet alterius obiecti.

Resp. quòd aliqui hoc argumento cohærenter, aliqui incohærenter vtuntur. Vtuntur cohærenter, qui in tractatu de propositionibus circà futurum contingens, negant alteram ex contradictorijs esse determinatè veram, vel determinatè falsam, ex eo quod, aiunt, desit verificatiuum, aut falsificatiuum existens. Vtuntur incohærenter, qui ad veritatem, vel falsitatem prædictarum propositionum, negant requiri existentiam verificatiui, aut falsificatiui.

Nos cohærenter ad ea, quæ dicturi sumus in libris Perihermenias dicimus hanc propositionem: *Alter mundus est possibilis*, esse necessario veram absque eo quod existat ipsius verificatiuum. Verificatur autem hæc propositio per obiectum ipsius, quod non est, sed potest esse: sicut v. g. hæc alia *Antichristus peccabit*, verificatur per peccatum quod non est, sed erit. Ipsa igitur non repugnantia prædicatorum, ex quibus constat mundus, est & verificatiuum propositionis *Mundus est possibilis*, & eiusdem mundi possibilitas.

Dices. Hæc repugnantia non est in rerum natura; ergo nequit esse verificatiuum propositionis. Antecedens probatur. Hæc non

repugnantia identificatur cum altero mundo: alter mundus non est in rerum natura; ergo, &c.

Resp. concesso antecedenti: negando consequentiam. Non valet Antichristus non est in rerum natura; ergo non est homo. Ad hoc vt aliquod obiectum sustineat aliquam denominationem, non est necesse quod sit;cum intellectus vocet, & ea quæ non sunt, & ea quæ sunt. Quando autem dicimus præter possibilitatem actiuam, quæ est potentia effectrix, admittendam esse possibilitatem passiuam: non intelligimus aliter dari hanc possibilitatem, quam detur terminus denominatus possibilis; quem etiam aduersarij fateri debent dari logice, & in esse obiecti;quamuis non detur physice,& in esse rei.

Instabis dari logice nihil est aliud, quam dari cognitionem ipsius; ergo hæc cognitio: *Alter mundus est possibilis*, vera est per seipsam. Probatur consequentia, quia hæc propositio vera est per esse logice alterius mundi: esse logice alterius mundi est hæc ipsa cognitio; ergo hæc cognitio vera est per seipsam.

Resp. In esse intentionali rei distinguendum esse id, quod intentionaliter est, & intentionem, seu formam, per quam res intentionaliter est. Forma per quam res intentionaliter est, est ipsa met cognitio, id quod intentionaliter est,est obiectum cognitionis. Rursùs ipsum met obiectum cognitionis,vel vel se habet sicut per cognitionem repræsentatur, vel secus: si primo modo:facit veram; si secundo: falsam propositionem. In

pro-

propositionibus æternæ veritatis obiectum necessario ità se habet, sicut repræsentatur per ipsas; quandoquidem datur necessaria connexio inter prædicatum, & subiectum ipsarum, quæ propterea dicuntur propositiones necessariæ. In forma dist. ant. nihil est aliud physicè: conc. nihil est aliud logicè: nego ant. & conseq. ad probat. cõseq. nego min. ipsummet obiectũ est esse logicè sui; quia est id, de quo aliquid dicitur, aut dici potest.

Obijcitur secundo. Si daretur possibilitas intrinseca rei possibilis, huiusmodi possibilitas vel esset quid productum, vel quid improductum; neutrum dici potest, ergo non datur. Sequela maioris probatur, quia inter ens productum, & non productum non datur medium. Minor etiam probatur, quia, si huiusmodi possibilitas est quid productum, cum sit æterna, datur aliquid productum ab æterno; si sit improductum, cum sit aliquid à Deo distinctum, datur aliquid improductum distinctum à Deo: vtrumq. autem absurdum est.

Resp. hoc argumentum non facere ad rem: Esse autem contra eos, qui possibilitatem rei constituunt in ente diminuto, quod ab æterno simpliciter sit. Nos autem per possibilitatem intrinsecam nihil aliud intelligimus, quàm obiectiuam non repugnantiam inter prædicata constituentia terminum, qui denominatur possibilis. Roga igitur aduersarios, an terminus ille, qui est possibilis, & vt aiunt, est quid distinctum à sua possibilitate; sit aliquid, vel nihil? Si nihil est, igitur possibilitas illius est possibilitas nihili; & consequenter terminus ip-

se

se possibilis est nihil possibile: si autem aliquid est, vt re ipsa est: pete quid sit, & dum definiunt quid sit, dant tibi id, quod vocas possibilitatem intrinsecam.

Certè non possunt dicere, quòd homo possibilis nihil sit distinctum à diuina omnipotentia. Nam homo possibilis est terminus ille, quem potest facere Deus: sed diuina omnipotentia non est terminus ille, quem potest facere Deus; ergo homo possibilis non est diuina omnipotentia. Roga iam aduersarios, an homo ille possibilis, seu terminus ille diuinæ omnipotentiæ sit aliquid productum, an aliquid improductum. Si sapiunt ridebũt interrogationem tuam: dicent enim terminum illum non esse simpliciter, quamuis sit obiectum diuinæ omnipotentiæ, adeoq. non esse quid productum; quod si inferas ergo est quid improductum. Rectè replicabunt: est quid improductum, & existens nego, improductum, & non existens concedo. Ità autem est improductum, vt sit producibile. Esse improductum, & existere solius Dei est, esse improductum, & non existere est etiam impossibilium, cum hæc non modo sint improducta, sed etiam improducibilia. Quemadmodum autem hic terminus, seu hoc obiectum diuinæ omnipotentiæ *Homo* est quid ab eterno possibile, quamuis non sit ab æterno: ità etiam non repugnantia inter hæc prædicata: *Animal rationale*, est ab æterno possibilitas huius termini *Homo*, quamuis re ipsa ab æterno non sit. Vnde habes ipsum terminum esse sibi suam possibilitatem, & consequenter non aliter dari possibilitatem termini, quam terminus

de-

detur: qui eodem modo est sui possibilitas, quo est sua prædicata intrinseca, & essentialia. Non valet autem: hic terminus non est simpliciter, ergo non est possibilitas sui: nam vt est certum apud Summulistas à propositione de secundo adiacente, non valet ad propositionem de tertio. In forma omissa mai. neg. min. dic esse quid improductum, sed producibile, sicut terminus, cum quo identificatur, & cuius est possibilitas. Ad probationem in contrarium dic improductum existens esse Deum, improductum verò non existens, adeò nō esse Deum, vt possit esse chimera.

Dices. Possibilitas rei identificatur cum existentia rei: ab æterno non datur existenstentia rei; ergo nec possibilitas. Minor est certa: implicat enim dari existentiam rei, & rem non existere: manifestum est autem Petrum non existere ab æternò; ergo manifestum est existentiam Petri non dari ad æterno. Maior probatur: quia possibilitas rei identificatur cum essentia rei: essentia rei identificatur cum existentia; ergo possibilitas rei identificatur cum existentia.

Resp. hanc obiectionem ingredi quæstionem agitandam in Physica, vbi de essentia, & existentia rerum creatarum. Est autem cōtrouersia, an in rebus creatis esentia, & existentia sint realiter idem; an distinguantur inter se? In qua Thomistæ plerumq. negant identitatem. Alij multi affirmant. Si essentia rei creatæ distinguitur ab existentia, vt inter cæteros docent P. Maurns, facilis est solutio argumenti, quod innititur identitati inter essentiam, & existentiam. Etiam si au-

autem des essentiam, & existentiam esse realiter idem, non propterea argumentum euadit solutionis difficilis. Ponamus igitur identificari. Ad argumentum in forma dic rei possibilitatem identificari cum existentia possibili: quamuis autem existentia non sit ab eterno, est tamen possibilis ab eterno. Quod dico de possibilitate, & existentia dic de essentia, & existentia. Possibilitas non est physice quamuis sit possibilitas. Nec essentia est physice quamuis sit essentia, nec existentia est physice, quamuis sit existentia; eodem igitur modo identificatur possibilitas cum existentia, quo est. Quærere autem an illa possibilitas, quæ actu, & physice non est, possit actu denominare terminum possibilem, est quærere, vtrum possint esse actu veræ aliquę denominationes, absq. eo quod detur actu forma denominans. In qua quæstione respondemus affirmatiuè. Imò non solum id quod nec est, nec erit, immò etiam quod nec est, nec esse potest sustinere, potest hanc, vel illam denominationem, v. g. chimera potest dici actu impossibilis.

Quomodo autem vna eademque entitas tribuat hanc, non autem illam denominationem actu, cum actu non sit, habetur ex diuerso modo, quo per diuersa nomina res eadem importatur. Exemplo rem explico. Hæc propositio: *Essentia hominis est æterna.* Item hæc alia. *Possibilitas hominis est æterna:* solet ab intelligentibus concedi: hęc autem alia: *Existentia hominis est æterna,* nequit concedi: cum tamen possibilitas, essentia, & existentia sint realiter idem. Vnde, hæc propositio: *Existentia hominis est æterna:*

na: posset distingui: existentia est æterna æternitate possibilitatis, & essentiæ; concedo: æternitate simpliciter: nego. aliter: est eterna, quidditatiue: concedo; est æterna, simpliciter: nego. Ratio est, quia quamuis sit eadem entitas, essentia, & existentia tamen quando dicitur dari existentiam, intelligitur dari rem simpliciter: quando autem dicitur æternam esse existentiam dicitur rem ab æterno esse: Quando autem dicis dari possibilitatem rei, non dicis rem esse simpliciter, sed solum in conceptu obiectiuo, seu in obiecto, quod concipis non dari repugnantiam ad existendum: hæc omnia clariùs patebunt vbi de essentia, & existentia rerum creatarum: interim nomine essentiæ nihil aliud intelligas, quam complexionem prædicatorum, ex quibus res constat; quam diximus alibi esse æternam: nomine autem existentiæ nihil aliud intelligas, quam rationem, per quam talis complexio physice est in rerum natura: quod si quælibet res per seipsam formaliter est, quando est, essentia, & existentia non sunt duæ res, sed vna. Porrò hanc complexionem dum dicimus esse æternam, intelligimus de esse logicè, non autem de esse physice; cum nihil sit æternum preter Deum.

Obijcitur tertiò. Si daretur possibilitas intrinseca rei possibili, sequeretur Deum ex se non esse sufficientem possibilitatem rei possibilis; consequens est falsum; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur, quia agens, quod requirit potentiam passiuam ad producendum terminum non est sufficiens possibilitas talis termini: ità agens

crea-

creatum non est, sufficiens possibilitas formæ, quā educit de potentia subiecti. Et consequenter hæc sententia derogat diuinæ omnipotentiæ; & agens increatum redigit ad conditionem agentis creati.

Resp. hoc argumentum laborare in supposito. Hujus infirmitas patet ex hoc discursu. Ad hoc, vt Deus creet aliquid, illud aliquid debet esse quid distinctum ab ipso; ergo Deus constituitur sufficiens ad creandum quidlibet per aliquid à se distinctum. Dic igitur diuinam omnipotentiam esse possibilitatem adæquatam, sed in genere causæ efficientis; & continere in se totam perfectionem cuiuslibet rei efficiendæ; non autem esse possibilitatem passiuam, sicut non est terminus. Sicut autem non est contra diuinam sufficientiam, quod non possit creare, nisi terminum à se distinctum, ità nec est contra eamdem, quod non possit nisi terminum intrinsecè non repugnantem: sicut autem non dicit aduersarius Deum constitui potentem, seu sufficientem creare per ipsummet terminum; ità nec nos dicimus constitui potentē creare per possibilitatem passiuā, quæ nihil aliud est, quam ipsemet terminus.

Ad id, quod dicitur de agente creato, ad cuius ignobilitatem videtur deprimi Deus, dum admittitur possibilitas passiua, dic Deum non præsupponere, imò nec supponere potentiam passiuam physicam, sed solum logicam. Potentia passiua physica supponitur ab agente creato, quia hoc ex nihilo nihil facit. Potentia passiua logica supponitur à Deo, quia Deus nihil facit, quod ex prædicatis repugnantibus consistit; hoc est

nihil

nihil facit impossibile. Ineptum est autem ex eo quod deficiente ista possibilitate intrinseca, arguas Deum non posse facere, existimare diuinam omnipotentiam per huiusmodi possibilitatem constitui: sicut ineptum est ex eo quod diuina omnipotentia nequeat hoc, & illud, arguere impossibilitatem huius & illius obiecti in diuina omnipotentia consistere. Et vniuersaliter loquendo, quæ se mutuo inferunt, & auferunt, non propterea mutuo se constituunt.

QVAESTIO VI.

De Impossibili.

ARTICVLVS I.

Quid sit Impossibile.

POSSIBILI opponitur impossibile, adeoq; per definitionem possibilis facile deuenitur in cognitionem impossibilis. Quemadmodum enim possibile est id, cuius prædicata non se mutuo destruunt, seu quod non inuoluit repugnantiam in prædicatis ipsum constituentibus: sic etiam impossibile rectè dicetur id, cuius prædicata se inuicem destruunt, seu quod in prædicatis ipsum constituentibus repugnantiam inuoluit.

Porrò quemadmodum sententia primo loco relata de possibili, ponit proadæquata, & vnica possibilitate termini possibilis, di-

uinam eſſentiam, ſic etiam, cohærenter philoſophando, pro impoſſibilitate rei impoſſibilis, ponit eandem diuinam eſſentiam, ſine vlla prorſus impoſſibilitate paſſiua, ſiue intrinſeca termino; qui dicitur impoſſibilis. Dicunt igitur hi, quod diuina eſſentia eſt, & poſſibilitas omnium poſſibilium, & impoſſibilitas omnium impoſſibilium.

Aduertendum eſt autem hic id, quod alibi diximus, videlicet aduerſarios vt ponant, ſeu probent diuinam omnipotentiam terminari non poſſe ad Hyrcoceruum, ſeu quod idem eſt Hyrcoceruũ eſſe impoſſibilem, oſtẽdere quod in Hyrcoceruo reperiuntur prædicata contradictoria: puta Hyrcum, & non Hyrcum, Ceruum, & non Ceruum. Hoc enim intelligunt Philoſophi nomine Hyrcocerui; ſiue enim hoc, ſiue alio nomine quodlibet impoſſibile appellent, ſemper intelligunt obiectum, quod inuoluat eſſe, & non eſſe eiuſdem prædicati. Hinc ridiculus eſſet qui probare vellet Hyrcoceruum non eſſe quod impoſſibile; eo quod poſſet per diuinam omnipotentiam in vna eademq. materia poni, & anima Hyrci, & anima Cerui: adeoq. idem eſſe, & Hyrcus, & Ceruus; & vno nomine Hyrcoceruus. Hic inquam ridiculus eſſet, nec diceret ad punctum præſentis controuerſiæ, in qua non quæritur an hoc, & illud obiectum ſit quid impoſſibile? ſed quid ſit impoſſibile?

Nos igitur quemadmodum diximus præter poſſibilitatem actiuam admittendam eſſe poſſibilitatem paſſiuam intrinſecam rei poſſibili, ipſam ſcilicet non repugnantiam inter prædicata rem conſtituentia: ſic etiam

dicimus præter impossibilitatem actiuam; nimirum præter repugnantiam, quæ in Deo est ad ponendum id, quod dicitur impossibile, seu ad ponendum, & non ponendum idem; admittendam insuper impossibilitatem passiuam intrinsecam rei impossibili. ipsam scilicet repugnantiam inter prædicata constituentia obiectum, quod dicitur impossibile. Imò D. Thomam secuti, dicimus non tam recte dici: Deus nequit facere hoc, & illud obiectum, quàm hoc, & illud obiectum fieri nequit à Deo Quia videlicet impossibilitas obiecti intelligitur ex prædicatis obiecti, ex quibus patet diuinam virtutem ad ipsum terminari non posse.

Propterea dicimus impossibile à possibili differre intrinsecè: quia alterum excludit, alterum includit repugnantiam inter prædicata ipsum constituentia. Ineptum autem est hic obiicere: neutrum intrinsece est, ergo neutrum ab altero intrinsece differt: quod idem diceres de duobus possibilibus specie diuersis, puta de homine, & equo: nam nec homo possibilis, nec equus possibilis intrinsece sunt; ergo homo, & equus possibiles non differunt intrinsece. Ineptum est inquam sic æquiuocari in hac voce *Intrinsece*, quasi verò per esse *Intrinsece* intelligeremus esse simpliciter, non autem esse in mera ratione obiecti includentis hæc & illa prædicata. Quamuis igitur simpliciter non sint, sunt tamen simpliciter dissimilia. & quamuis intrinsece non sint, sunt tamen intrinsece dissimilia: quia, vt sæpius dictum est; à non esse, non valet ad non esse hoc & illud: nos autem per esse intrinsece

hoc

hoc & illud, nihil aliud intelligimus, quam constare ex his, vel illis prædicatis, ità dicimus Antichristum esse intrinsecè hominem; dicere enim Antichristum esse hominem per denominationem extrinsecam, putamus absurdum ex terminis.

Habes ex dictis impossibile per suummet conceptum quidditatiuum esse rationem sui ipsius exclusiuam è rerum natura; quod enim per seipsum est id, quod non potest existere; habet de seipso excludere à se omnem existentiam physicam. An verò cum exclusione essentiali omnis existentiæ physicæ possit habere aliquam existentiam intentionalem quærendum est sequenti articulo.

ARTICVLVS II.

An detur ens rationis metaphysicum.

Impossibile adeò nequit existere, vt per hanc ipsam existendi impotentiam recte definiatur. Dum autem quæritur, an saltem existere possit intentionaliter, hoc est, an saltem concipi possit? quæritur, quod alij alijs terminis proponunt: an detur ens rationis metaphysicum: hoc est, an intellectui nostro ita repræsentari possit aliquid impossibile; vt obiectum terminans nostram cognitionem sit aliquid inuoluens prædicata sese mutuo destruentia.

In hac controuersia multi ex recentioribus negant dari ens rationis metaphysicum, seu vllum obiectum inuoluens contradictoria terminare vllum actum nostri intellectus. Aiunt autem hoc & illud obiectum denominari impossibile per tendentiam no-

propositionibus æternæ veritatis obiectum necessariò ità se habet, sicut repræsentatur per ipsas; quandoquidem datur necessaria connexio inter prædicatum, & subiectum ipsarum, quæ propterea dicuntur propositiones necessariæ. In forma dist. ant. nihil est aliud physicè: conc. nihil est aliud logicè: nego ant. & consequ. ad probat. cōseq. nego min. ipsummet obiectū est esse logicè sui; quia est id, de quo aliquid dicitur, aut dici potest.

Obijcitur secundo. Si daretur possibilitas intrinseca rei possibilis, huiusmodi possibilitas vel esset quid productum, vel quid improductum; neutrum dici potest, ergo non datur. Sequela maioris probatur, quia inter ens productum, & non productum non datur medium. Minor etiam probatur, quia, si huiusmodi possibilitas est quid productum, cum sit æterna, datur aliquid productum ab æterno; si sit improductum, cum sit aliquid à Deo distinctum, datur aliquid improductum distinctum à Deo: vtrumq. autem absurdum est.

Resp. hoc argumentum non facere ad rem: Esse autem contra eos, qui possibilitatem rei constituunt in ente diminuto, quod ab æterno simpliciter sit. Nos autem per possibilitatem intrinsecam nihil aliud intelligimus, quàm obiectiuam non repugnantiam inter prædicata constituentia terminum, qui denominatur possibilis. Roga igitur aduersarios, an terminus ille, qui est possibilis, & vt aiunt, est quid distinctum à sua possibilitate; sit aliquid, vel nihil? Si nihil est, igitur possibilitas illius est possibilitas nihili; & consequenter terminus ip-

se possibilis est nihil possibile: si autem aliquid est, vt re ipsa est: pete quid sit, & dum definiunt quid sit, dant tibi id, quod vocas possibilitatem intrinsecam.

Certè non possunt dicere, quòd homo possibilis nihil sit distinctum à diuina omnipotentia. Nam homo possibilis est terminus ille, quem potest facere Deus: sed diuina omnipotentia non est terminus ille, quem potest facere Deus; ergo homo possibilis non est diuina omnipotentia. Roga iam aduersarios, an homo ille possibilis, seu terminus ille diuinæ omnipotentiæ sit aliquid productum, an aliquid improductum. Si sapiunt ridebũt interrogationem tuam: dicent enim terminnm illum non esse simpliciter, quamuis sit obiectum diuinæ omnipotentiæ, adeoq. non esse quid productum; quod si inferas ergo est quid improductum. Rectè replicabunt; est quid improductum, & existens nego, improductum, & non existens concedo. Ità autem est improductum, vt sit producibile. Esse improductum, & existere solius Dei est, esse improductum, & non existere est etiam impossibilium, cum hæc non modo sint improducta, sed etiam improducibilia. Quemadmodum autem hic terminus, seu hoc obiectum diuinæ omnipotentiæ *Homo* est quid ab eterno possibile, quamuis non sit ab æterno: ità etiam non repugnantia inter hæc prædicata: *Animal rationale*, est ab æterno possibilitas huius termini *Homo*, quamuis re ipsa ab æterno non sit. Vnde habes ipsum terminum esse sibi suam possibilitatem, & consequenter non aliter dari possibilitatem termini, quam terminus;

de-

detur: qui eodem modo est sui possibilitas, quo est sua prædicata intrinseca, & essentialia. Non valet autem: hic terminus non est simpliciter; ergo non est possibilitas sui: nam vt est certum apud Summulistas à propositione de secundo adiacente, non valet ad propositionem de tertio. In forma omissa mai. neg. min. dic esse quid improductum, sed producibile, sicut terminus, cum quo identificatur, & cuius est possibilitas. Ad probationem in contrarium dic improductum existens esse Deum, improductum verò non existens, adeò nō esse Deum, vt possit esse chimera.

Dices. Possibilitas rei identificatur cum existentia rei: ab ęterno non datur existentia rei; ergo nec possibilitas. Minor est certa: implicat enim dari existentiam rei, & rem non existere: manifestum est autem Petrum non existere ab ęternò; ergo manifestum est existentiam Petri non dari ad æterno. Maior probatur: quia possibilitas rei identificatur cum essentia rei: essentia rei identificatur cum existentia; ergo possibilitas rei identificatur cum existentia.

Resp. hanc obiectionem ingredi quæstionem agitandam in Physica, vbi de essentia, & existentia rerum creatarum. Est autem cōtrouersia, an in rebus creatis essentia, & existentia sint realiter idem; an distinguantur inter se? In qua Thomistæ plerumq. negant identitatem. Alij multi affirmant. Si essentia rei creatæ distinguitur ab existentia, vt inter cæteros docent P. Maurus, facilis est solutio argumenti, quod innititur identitati inter essentiam, & existentiam. Etiam si

au-

autem des essentiam, & existentiam esse realiter idem, non propterea argumentum euadit solutionis difficilis. Ponamus igitur identificari. Ad argumentum in forma dic rei possibilitatem identificari cum existentia possibili: quamuis autem existentia non sit ab eterno, est tamen possibilis ab eterno. Quod dico de possibilitate, & existentia dic de essentia, & existentia. Possibilitas non est physice quamuis sit possibilitas. Nec essentia est physice quamuis sit essentia, nec existentia est physice, quamuis sit existentia; eodem igitur modo identificatur possibilitas cum existentia, quo est. Quærere autem an illa possibilitas, quæ actu, & physice non est, possit actu denominare terminum possibilem, est quærere, vtrum possint esse actu veræ aliquæ denominationes, absq. eo quod detur actu forma denominans. In qua quæstione respondemus affirmatiuè. Imò non solum id quod nec est, nec erit, immò etiam quod nec est, nec esse potest sustinere, potest hanc, vel illam denominationem, v. g. chimera potest dici actu impossibilis.

Quomodo autem vna eademque entitas tribuat hanc, non autem illam denominationem actu, cum actu non sit, habetur ex diuerso modo, quo per diuersa nomina res eadem importatur. Exemplo rem explico. Hæc propositio: *Essentia hominis est æterna.* Item hæc alia. *Possibilitas hominis est æterna:* solet ab intelligentibus concedi: hec autem alia: *Existentia hominis est æterna,* nequit concedi: cum tamen possibilitas, essentia, & existentia sint realiter idem. Vnde, hæc propositio: *Existentia hominis est æterna:*

na: posset distingui: existentia est æterna æternitate possibilitatis, & essentiæ; concedo: æternitate simpliciter: nego. aliter: est eterna, quidditatiue: concedo; est æterna, simpliciter: nego. Ratio est, quia quamuis sit eadem entitas, essentia, & existentia tamen quando dicitur dari existentiam, intelligitur dari rem simpliciter: quando autem dicitur æternam esse existentiam dicitur rem ab æterno esse: Quando autem dicis dari possibilitatem rei, non dicis rem esse simpliciter, sed solum in conceptu obiectiuo, seu in obiecto, quod concipis non dari repugnantiam ad existendum: hæc omnia clariùs patebunt vbi de essentia, & existentia rerum creatarum: interim nomine essentiæ nihil aliud intelligas, quam complexionem prædicatorum, ex quibus res constat; quam diximus alibi esse æternam: nomine autem existentiæ nihil aliud intelligas, quam rationem, per quam talis complexio physice est in rerum natura: quod si quælibet res per seipsam formaliter est, quando est, essentia, & existentia non sunt duæ res, sed vna. Porrò hanc complexionem dum dicimus esse æternam; intelligimus de esse logicè, non autem de esse physice; cum nihil sit æternum preter Deum.

Obijcitur tertiò. Si daretur possibilitas intrinseca rei possibili, sequeretur Deum ex se non esse sufficientem possibilitatem rei possibilis; consequens est falsum; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur, quia agens, quod requirit potentiam passiuam ad producendum terminum non est sufficiens possibilitas talis termini: ità agens

crea-

creatum non est; sufficiens possibilitas formæ, quā educit de potentia subiecti. Et consequenter hæc sententia derogat diuinæ omnipotentiæ; & agens increatum redigit ad conditionem agentis creati.

Resp. hoc argumentum laborare in supposito. Huius infirmitas patet ex hoc discursu. Ad hoc, vt Deus creet aliquid, illud aliquid debet esse quid distinctum ab ipso; ergo Deus constituitur sufficiens ad creandum quidlibet per aliquid à se distinctum. Dic igitur diuinam omnipotentiam esse possibilitatem adæquatam, sed in genere causæ efficientis; & continere in se totam perfectionem cuiuslibet rei efficiendæ; non autem esse possibilitatem passiuam, sicut non est terminus. Sicut autem non est contra diuinam sufficientiam, quod non possit creare, nisi terminum à se distinctum, ità nec est contra eamdem, quod non possit nisi terminum intrinsecè non repugnantem: sicut autem non dicit aduersarius Deum constitui potentem, seu sufficientem creare per ipsummet terminum; ità nec nos dicimus constitui potentē creare per possibilitatem passiuā, quæ nihil aliud est, quam ipsemet terminus.

Ad id, quod dicitur de agente creato, ad cuius ignobilitatem videtur deprimi Deus, dum admittitur possibilitas passiua, dic Deum non præsupponere, imò nec supponere potentiam passiuam physicam, sed solum logicam. Potentia passiua physica supponitur ab agente creato, quia hoc ex nihilo nihil facit. Potentia passiua logica supponitur à Deo, quia Deus nihil facit, quod ex prædicatis repugnantibus constat; hoc est

nihil

nihil facit impossibile. Ineptum est autem ex eo quod deficiente ista possibilitate intrinseca, arguas Deum non posse facere, existimare diuinam omnipotentiam per huiusmodi possibilitatem constitui: sicut ineptum est ex eo quod diuina omnipotentia nequeat hoc, & illud, arguere impossibilitatem huius & illius obiecti in diuina omnipotentia consistere. Et vniuersaliter loquendo, quæ se mutuo inferunt, & auferunt, non propterea mutuo se constituunt.

QVAESTIO VI.

De Impossibili.

ARTICVLVS I.

Quid sit Impossibile.

POSSIBILI opponitur impossibile, adeoq; per definitionem possibilis facile deuenitur in cognitionem impossibilis. Quemadmodum enim possibile est id, cuius prædicata non se mutuo destruunt, seu quod non inuoluit repugnantiam in prædicatis ipsum constituentibus: sic etiam impossibile rectè dicetur id, cuius prædicata se inuicem destruunt, seu quod in prædicatis ipsum constituentibus repugnàntiam inuoluit.

Porrò quemadmodum sententia primo loco relata de possibili, ponit proadæquata, & vnica possibilitate termini possibilis, di-

uinam essentiam, sic etiam cohærenter philosophando, pro impossibilitate rei impossibilis, ponit eandem diuinam essentiam, sine vlla prorsus impossibilitate passiua, siue intrinseca termino; qui dicitur impossibilis. Dicunt igitur hi, quod diuina essentia est, & possibilitas omnium possibilium, & impossibilitas omnium impossibilium.

Aduertendum est autem hic id, quod alibi diximus, videlicet aduersarios vt ponant, seu probent diuinam omnipotentiam terminari non posse ad Hyrcoceruum, seu quod idem est Hyrcoceruũ esse impossibilem, ostẽdere quod in Hyrcoceruo reperiuntur prædicata contradictoria: putà Hyrcum, & non Hyrcum, Ceruum, & non Ceruum. Hoc enim intelligunt Philosophi nomine Hyrcocerui; siue enim hoc, siue alio nomine quodlibet impossibile appellent, semper intelligunt obiectum, quod inuoluat esse, & non esse eiusdem prædicati. Hinc ridiculus esset qui probare vellet Hyrcoceruum non esse quod impossibile; eo quod posset per diuinam omnipotentiam in vna eademq. materia poni, & anima Hyrci, & anima Cerui: adeoq. idem esse, & Hyrcus, & Ceruus; & vno nomine Hyrcoceruus. Hic inquam ridiculus esset, nec diceret ad punctum præsentis controuersiæ, in qua non quæritur an hoc, & illud obiectum sit quid impossibile? sed quid sit impossibile?

Nos igitur quemadmodum diximus præter possibilitatem actiuam admittendam esse possibilitatem passiuam intrinsecam rei possibili, ipsam scilicet non repugnantiam inter prædicata rem constituentia: sic etiam

hoc & illud, nihil aliud intelligimus, quam constare ex his, vel illis prædicatis, ità dicimus Antichristum esse intrinsecè hominem; dicere enim Antichristum esse hominem per denominationem extrinsecam, putamus absurdum ex terminis.

Habes ex dictis impossibile per suummet conceptum quidditatiuum esse rationem sui ipsius exclusiuam è rerum natura; quod enim per seipsum est id, quod non potest existere; habet de seipso excludere à se omnem existentiam physicam. An verò cum exclusione essentiali omnis existentiæ physicæ possit habere aliquam existentiam intentionalem quærendum est sequenti articulo.

ARTICVLVS II.

An detur ens rationis metaphysicum.

IMpossibile adeò nequit existere, vt per hanc ipsam existendi impotentiam rectè definiatur. Dum autem quæritur, an saltem existere possit intentionaliter, hoc est, an saltem concipi possit? quæritur, quod alij alijs terminis proponunt: an detur ens rationis metaphysicum: hoc est, an intellectui nostro ità repræsentari possit aliquid impossibile; vt obiectum terminans nostram cognitionem sit aliquid inuoluens prædicata sese mutuo destruentia.

In hac controuersia multi ex recentioribus negant dari ens rationis metaphysicum, seu vllum obiectum inuoluens contradictoria terminare vllum actum nostri intellectus. Aiunt autem hoc & illud obiectum denominari impossibile per tendentiam no-

ſtri intellectus eſſentialiter indebitam in plura obiecta poſſibilia; putà quando concipis Hyrcoceruum nullum obiectum præter Hyrcum, & Ceruum, terminat hanc tuam cognitionem: tam autem *Hyrcus*, quàm Ceruus ſunt quid poſſibile. Quia tamen tali modo tendendi verſaris circa Hyrcum, & Ceruum, vt exercite vnias in identitatem quandam *Hyrcum*, & Ceruum, hoc eſt obiecta eſſentialiter inunibilia; propterea hoc obiectũ denominatur impoſſibile. Alijs terminis idem ſignificant, dum aiunt te cõcipere impoſſibile exercitè, nõ ſignate, intranſitiuè, non tranſitiue; hoc eſt verſari te circa obiecta modo eſſentialiter inuerificabili, non autem circa obiectum conſtans prædicatis inter ſe pugnantibus.

Alij aſſerunt verè, & propriè concipi ipſummet impoſſibile: ita vt ex parte obiecti reſpondeat actui noſtri intellectus aliquid inuoluens prædicata repugnantia: ſiue ita vt obiectum ad quod terminatur noſtra cognitio, ſit id cui repugnat exiſtere phyſice, adeoque aiunt dari ens rationis metaphyſicum; quod communiter definitur: *Id quod habet eſſe tantum obiectiue in intellectu.* Ly *Tantum* excludente non ſolùm actum, ſed etiam potentiam exiſtendi realiter, & phyſice.

Hæc ſecunda ſententia tenenda eſt. Probatur autem primo, quia illi ipſi, qui negant concipi impoſſibile, concipiunt impoſſibile; ergo impoſſibile concipitur, & ſit ens rationis. Obiter nota nos in definitione entis rationis omnino præſcindere ab hoc, an ſit fictitium vel ſecus; hoc enim quæremus poſtea. Interim probabis antecedens in-

ter-

terrogando aduersarios, an concipiant id quod negant, an non? Si concipiant, habes intentum; cum negent impossibile: si non concipiant, temere negant; non enim negari debet id, quod non intelligitur.

Explicatur hoc idem. Si id quod concipiunt quando concipiunt *Hyrcoceruum* nihil est distinctum à possibili nihil concipiunt esse, de quo dicere possint: est impossibile: sed dũ concipiunt *Hyrcoceruum* nihil concipiunt distinctum à possibili; ergo nihil concipiunt, de quo dicere possint. est impossibile: quomodo igitur dicunt: *Hyrcoceruus est impossibilis*: cum nec in obiecto quod attingunt, nec in modo quo attingunt quidquam reperiatur, quod non sit possibile. In obiecto nihil esse impossibile ipsi fatentur. In modo nihil esse impossibile, est euidens, quandoquidem de facto datur talis modus tendendi: & consequenter cóplexũ ex tali obiecto, & tali modo tendẽdinõ est quid impossibile: & tũ certũ est etiam aduersarios de multis dicere quod sint impossibilia.

Rem facile intelliges in hac alia propositione, Vnio, siue vnitas *Hyrci*, & non *Hyrci* èst impossibilis. Roga quæ nam sit illa vnio, de qua pronunciatur, quod sit impossibilis. Certè non est vnio intentionalis, hæc enim fit de facto, dum in hæc obiecta modo essentialiter indebito tendit intellectus: est igitur vnio obiectiua, ad quam videlicet terminatur actus nostri intellectus, de qua dicimus; quod sit impossibilis.

Denique probatur eadem conclusio ex definitione. Datur aliquod obiectum, quod ita est obiectum intellectus, vt nec existat,

nec existere possit; ergo datur ens rationis. Antecedens probatur ex non repugnantia huiusmodi obiecti, non datur necessitas, vt quidquid terminat tendentiam nostri intellectus possit realiter existere; ergo aliquid impotens existere, potest terminare aliquem actum nostri intellectus. Antecedens probatur respondendo obiectionibus, quibus conantur aduersarij probare nihil posse esse obiectiue in intellectu, quin possit esse realiter.

ARTICVLVS III.

Satisfit obiectionibus.

OBijcies primò. Nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu: sed impossibile nequit esse in sensu; ergo nec in intellectu. Maior habetur pro axiomate. Minor est manifesta, sensus enim non percipit nisi sensibilia.

Resp. disting. maior. nihil est, &c. quod prius non fuerit in sensu; vel per species proprias, vel per alienas: concedo maiorem; quod nò fuerit in sensu per species proprias: nego maiorem; & eodem modo distincta minori: nego consequentiam. Certum est obiectum impossibile non emittere species cum neque sit, neque esse possit; sed quammulta intelligimus sine proprijs speciebus mutuantes ab alienis obiectis species, quibus hęc & illa obiecta nostris mentibus objiciamus?

Objicies secundò. Chimera est extra obiectum adæquatum nostri intellectus: id quod est.

est extra obiectum adæquatum intellectus, nequit concipi; ergo Chimera nequit concipi. Minor est euidens; nulla enim potentia vltra suum obiectum suos actus extendit. Potentia visiua vltra coloratum nihil percipit; potentia auditiua nihil vltra sonorum. Maior probatur: quia obiectum adæquatum intellectus est ens: Chimera non est ens; ergo est extra obiectum adæquatum nostri intellectus.

Resp. neg maiorem. Ad probationem dic obiectum adæquatum intellectus esse ens, secundum illam latitudinem acceptum, secundum quam non solum possibilia, sed etiam impossibilia comprehendit, ex quo patet ad argumentum.

Obijcies tertio. Impossibile est id quod si esset, eo ipso non esset: id quod si esset eo ipso non esset nequit esse actu obiectum intellectus; ergo impossibile nequit esse actu obiectum intellectus. Maior probatur quia impossibile est id quod inuoluit contradictoria: sed quod inuoluit contradictoria, si esset, eo ipso non esset; ergo impossibile est id quod si esset eo ipso non esset. Confirmatur & explicatur hoc idem. Accipe Hyrco ceruum siue Hyrcum non Hyrcum; eo ipso quod est Hyrcus non Hyrcus, non est Hyrcus non Hyrcus; ergo non solum si esset eo ipso non esset, sed etiamsi esset id quod esset, eo ipso non esset id quod esset. Probatur quia eo ipso quod non est neque Hyrcus neque non Hyrcus, non est Hyrcus non Hyrcus: Hyrcus enim non Hyrcus est aliquid cõstans ex Hyrco & non Hyrco tamquam ex partibus constituentibus; deficientibus autem par-

tibus deficit totum; & consequenter deficiente vel Hyrco, vel non Hyrco, deficit totum ex Hyrco & non Hyrco compositum; si autem deficiente quolibet, à fortiori deficiente vtroque.

Quod autem eo ipso quod ponitur Hyrcus non Hyrcus, non ponatur neque Hyrcus neque non Hyrcus: probatur; quia ista duo sese mutuo destruunt, ita vt vnum extremū sit formale destructiuum alterius. Hyrcus enim est formale exclusiuū negationis Hyrci; & negatio Hyrci, formale exclusiuum Hyrci.

Resp. hac obiectione probari exercite quod impugnantur signate: dum enim Hyrcum non Hyrcum mente reuoluit Aduersarius, & identitatem inter duo sese mutuo destruentia: facit id quod negat fieri posse.

Potes igitur ad argumentum cōcedere maiorem vel potius omittere & negare minorem. Etiamsi enim impossibile sit id quod eo ipso quod est, se ipsum excludit ab esse, non propterea non potest terminare tendentiam nostri intellectus hoc ipsum affirmantis de ipso: neque enim difficilius est nostro intellectui concipere Hyrcoceruum non Hyrcoceruum, seu Hyrcum non Hyrcum qui neque sit Hyrcus neque non Hyrcus, neque Hyrcus non Hyrcus, quam concipere solum Hyrcum non Hyrcum, hoc est; non est difficilius intellectui nostro attingere identitatē inter chimeram & non chimeram, quam inter duo contradictoria: vtraque autem identitas est chimerica: tam enim implicat chimeram non esse chimeram, seu esse non chimeram, quam Hyrcum v. g. non esse Hyr-

cum, aut esse non Hyrcum. Itaque transeat quod si esset id quod esset, eo ipso non esset id quod esset: quid inde? an propterea hoc ipsũ non poterit attingi ab intellectu? Quod autem duo extrema ex quibus cõstituis Hyrcoceruum se mutuo destruant, non est cur laboret in hoc probando aduersarius, hoc enim ipsum ponis pro impossibili: videlicet quod prædicatis constet se mutuo destruentibus.

Dices: ex hac repugnantia in prædicatis obiecti arguitur repugnantia in cognitione; ergo cognitio terminata ad huiusmodi obiectum est impossibilis. Antecedens probatur: quia esse repræsentationem Hyrci & non Hyrci, & non esse repræsentationem neque Hyrci neque non Hyrci sunt prædicata contradictoria: hæc conuenirent cognitioni terminatæ ad Hyrcum non Hyrcum; ergo cognitioni huiusmodi conuenirent prędicata contradictoria. Maior videtur manifesta quia repræsentare vtrunque prædicatum, & neutrum, includit contradictoria. Minor autem probatur: quia eo ipso quod obiectũ non sit neque Hyrcus neque non Hyrcus; cognitio terminata ad ipsum non est repræsentatio neque Hyrci neque non Hyrci: sed eo ipso quod est Hyrcus non Hyrcus, non est neque Hyrcus neque non Hyrcus; ergo eo ipso cognitio terminata ad ipsum non est repræsentatio neque Hyrci neque non Hyrci: ex alio capite est repræsentatio Hyrci nõ Hyrci, adeoque Hyrci & non Hyrci; ergo est simul repræsentatio vtriusque & simul neutrius.

Confirmatur & explicatur hoc idem.

Quemadmodũ formalis realis inclusio Hyrci est formalis realis exclusio non Hyrci; ita formalis intẽtionalis inclusio Hyrci est formalis intentionalis exclusio non Hyrci; ergo quemadmodum per Hyrcum realiter excluditur realiter non Hyrcus; ita etiam per Hyrcum intẽtionaliter excluditur intentionaliter non Hyrcus. Et consequenter sicut existentia realis Hyrci est realis exclusio nõ Hyrci; ita etiam intentionalis existentia Hyrci est intentionalis exclusio non Hyrci: esse autem existentiam intentionalem & intentionalem exclusionẽ Hyrci & non Hyrci, est esse existentiam intentionalem & non existentiam intentionalem Hyrci.

Resp. neg. ant. Ad probat. dist. mai. esse repræsentationem Hyrci & non Hyrci & nõ esse repræsentationem neque Hyrci solius neque solius non Hyrci; sunt prædicata contradictoria: nego maiorem:. & non esse repræsentationem neque Hyrci. neque non Hyrci simul; concedo maiorem; & eodem modo distinctá minori: nego consequentiã. Ad cætera omnia quæ in obiectione, confirmatione & explicatione dicuntur, id vnum tene quod neque Hyrcum solum, neque solum non Hyrcum concipis, dum concipis Hyrcum non Hyrcum, sed vtrumque extremum, & identitatem inter vtrumque extremum: quod autem inclusio vnius extremi sit obiectiua exclusio alterius nihil probat nisi huiusmodi obiectum esse impossibile: ex hoc autem quod sit impossibile recto probatur non habere esse rei; non autem non habere esse obiecti, adeoque falsum est intentionalem existentiam Hyrci esse intentionalem

lem non existentiam non Hyrci, cum per vnam eandemque cognitionem existat Hyrcus non Hyrcus obiectiue in intellectu. Verum quidem est quod per huiusmodi conceptum non existit obiectiue in intellectu neque Hyrcus simpliciter, neque negatio Hyrci simpliciter, sed aliquid quod est indiuisibiliter & per modum vnius obiecti Hyrcus nō Hyrcus; seu identitas inter Hyrcum & negationem Hyrci. Ad id quod dicitur, eo ipso quod obiectum non est Hyrcus, neque non Hyrcus, repræsentatio non est neque Hyrci neque non Hyrci: sed obiectum non est neque Hyrcus, neque non Hyrcus; ergo, &c. adhibe distinctionem iam datam: eo ipso quod non est neque Hyrcus solum, neque solum non Hyrcus, repræsentatio non est neque Hyrci solius neque solius non Hyrci: concede; repræsentatio non est neque hyrci non Hyrci; neque non Hyrci Hyrci: nega, & sic ad reliqua. Obiectū neque est solum Hyrcus neque solū non Hyrcus, adeoque repræsentatio non est neque Hyrci neque nō Hyrci: sed est Hyrcus non Hyrcus, adeoque repræsentatio est Hyrci non Hyrci.

Obijcies quarto. Si posset concipi impossibile verificarentur nunc prædicata contradictori: consequens est absurdum; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur, quia de obiecto talis cognitionis verum est nunc: *esset & non esset*: esset & non esset, sunt contradictoria; ergo verificarentur nunc contradictoria. Maior probatur quia quodlibet impossibile, ex transmissis si esset, esset & non esset, esset ex suppositione: non esset quia ipsa suppositio est per impossibile. Præterea

non solum ipsum met obiectum impossibile per modum totius, concipitur, sed etiam quodlibet cònstitutiuum ipsius: si autem esset impossibile, puta homo non homo, eo ipso quælibet pars esset & non esset, quia cuiuslibet partis contradictorium esset.

Resp. disting. mai. verificarentur prædicata contradictoria absoluta: nego maiorem; conditionata: subdistinguo: per conditionem de possibili, nego; per conditionem de impossibili: omitto. Non est autem absurdum propositionem continentem contradictoria esse veram si affirmet contradictoria ex hypothesi per impossibile: cum nihil aliud sit quã affirmare quod si idem daretur & non daretur, idem daretur & non daretur.

Obijcies vltimo. Argumentum quod probat cognosci impossibile probat cognosci incognoscibile; ergo neque probat cognosci impossibile; neque probat cognosci incognoscibile. Probatur consequentia quia impossibbile est quod probet cognosci incognoscibile; ergo si non magis probet cognosci impossibile, neutrum probat. Probatur hoc secundum antecedens, quia cognosci incognoscibile est incognoscibile non esse incognoscibile; adeoque est cognosci & non cognosci incognoscibile: cognosci autem & non cognosci incognoscibile, sunt contradictoria non solum in obiecto, sed in cognitione, vt patet: cognitio autem sustinens contradictoria sicut, & quodlibet aliud huiusmodi est impossibilis; ergo cognitio attingens incognoscibile est impossibilis.

Probatur iam primum antecedens formãdo argumentum pro incognoscibili quod for-

formatum est pro impossibili. Dum negas cognosci incognoscibile: vel concipis quod negas, vel non concipis quod negas: si concipis quod negas, iam concipis incognoscibile: si non concipis, temere negas, ergo vel temere negas cognosci incognoscibile, vel cognoscis incognoscibile.

Circa incognoscibile varij varie. Alij dicunt obiectum incognoscibile eo modo dici incognoscibile quo Deus dicitur ineffabilis. Dicitur autem Deus ineffabilis, non quod omnino Deum effari non possis, sed quod Deum nequeas his nominibus compellare, quibus compellari meretur. Eodem modo, inquiunt, id quod incognoscibile dicitur, non ideo dicitur incognoscibile quod nullam omnino erga ipsum cognitionem exercere possis, sed quod talem non possis qua ipsius prædicata attingas. Si incognoscibile non aliter dicitur incognoscibile, quam quia est incapax terminare talem speciem cognitionis per quam ipsius quidditas explicetur: incognoscibile non est incognoscibile; quando quidem per particulam priuatiuam *in* non excluditur omnis, sed solum aliqua cognoscibilitas. Sed incognoscibile hoc modo acceptum non potest esse vllius roboris contra conclusionem positam.

Propterea contra sic accipientes instat aduersarius. Vel cognoscis incognoscibile omni genere cognoscibilitatis, vel nó cognoscis. Si cognoscis eo ipso incognoscibile omni genere cognoscibilitatis est cognoscibile aliquo genere cognoscibilitatis: hoc est nullo modo cognoscibile est aliquo modo cognoscibile; quæ sunt contradictoria: si autem non

non cognoſcis quomodo de ipſo dicis eſſe omnino incognoſcibile?

Non eſt dubium quin actus ipſe quo dicimus: *omnino incognoſcibile* ſit aliqua cognitio: ſed omnis cognitio eſt alicuius obiecti; ergo actus quo dicimus: omnino incognoſcibile habet aliquod obiectum: eſſe autem obiectum cognitionis ac eſſe cognitũ ſunt vnum & idem, ergo ſi incognoſcibile eſt obiectum talis cognitionis, incognoſcibile eſt cognitum.

Reuocandum eſt huc id quod ſæpe diximus diuerſos ſcilicet modos tendendi noſtri intellectus non dicere ex parte obiecti diuerſitatem neceſſario: ſed circa idem omnino obiectum diuerſas noſtri intellectus cognitiones verſari. Ita diximus has duas propoſitiones: homo eſt animal: & homo non eſt animal non differre ex obiecto, ſed ſolum ex modo tendendi in idem obiectum. Idem etiam apparet in actibus voluntatis quæ circa idem tam volendo quam nolendo verſatur: iſti enim duo actus: *volo librum*: & : *nolo librum* non differunt obiecto: ſermo eſt de obiecto materiali, ad quod vterque actus terminatur. Quod dicimus de affirmatione & negatione, de volitione & nolitione, dic proportionaliter de duabus apprehenſionibus quarum vna vno, alia alio modo verſatur circa idem: ita diximus duas haſce apprehenſiones: *omnia* & *nihil* non differre obiecto; & tam omnia concipere qui dicit: *nihil*, quam qui dicit: *omnia*: quamuis autem vterque idem concipiat non tamen concipit eodem modo: qui dicit *omnia*, omnia attingit quaſi proſequendo: qui dicit *nihil* omnia

omnia attingit quasi fugiendo. His positis poterit qui dicit incognoscibile habere idē obiectum ac qui dicit cognoscibile: vterque attingit circa obiectum cognoscibilitatem; alter vt formam in obiecto, alter vt formam quam remouet ab obiecto. Sed ecce aliquid mirabilius. Impossibile est vt formam cognoscibilitatis remoueat ab obiecto quin ponat cognoscibilitatem in obiecto; ergo vanum est dicere quod per hunc actum: *incognoscibile* tendimus in obiectum, remouendo ab ipso formam cognoscibilitatis, seu cognoscibilitatem. Antecedens probatur: quia per illum actū per quē remoues cognoscibilitatem ab ipso, ipsum attingis: per actum per quem ipsum attingis adstruis in ipso cognoscibilitatem; ergo per actum per quem remoues ab ipso cognoscibilitatem, ponis in ipso cognoscibilitatem.

Ad hoc respondeo non esse nouum, quod quis exercitè ad stua:, id quod signatè destruit. Hoc est quod quis exercite sibi contradicat. Hoc facit quicunque dicit *non loquor*. Hoc etiam facit quicunque dicit: *incognoscibile*. Nam euidens est hunc ipsum actum quo dicit: *incognoscibile* esse aliquam cognitionem. Dic igitur quod & qui concedit, & qui negat cognosci incognoscibile, eo ipso cognoscit incognoscibile. Quod si dicas: ergo incognoscibile non est incognoscibile dist, ergo signate incognoscibile non est signate incognoscibile nego, signate incognoscibile non est incognoscibile exercite concedo.

Quod si vrgeas: incognoscibile tam signatè quam exercite omni genere incognosci-

cibi-

cibilitatis est aliquod impossibile: incognoscibile huiusmodi non est vllo modo cognoscibile; ergo aliquod impossibile non est vllo modo cognoscibile. Resp. con. mai. neg. mi. cognoscis enim illud idem obiectum in quo tibi repræsentas omnimodam illam incognoscibilitatem tam exercitè quam signate. Hoc est, illud obiectum in quo apprehendis repugnentiam vt circa ipsum actus exerceas quos de facto exerces.

Instabis vlterius. Ergo incognoscibile tam signatè quam exercitè omni genere incognoscibilitatis, non est incognoscibile tam signatè quam exercitè omni genere incognoscibilitatis. Ergo hæc propositio identica: *incognoscibile tam signate quam exercitè omni genere incognoscibilitatis est incognoscibile tam signatè quam exercite omni genere incognoscibilitatis*: est falsa: hæc secunda consequentia est euidens. Probatur prima; quia de facto tale incognoscibile cognoscitur: ergo non est tam signatè quam exercite incognoscibile &c.

Resp. dist. primum conseq. incognoscibile tam signate quam exercite omni genere incognoscibilitatis, non est signate incognoscibile tam exercitè quam signatè omni genere incognoscibilitatis nego conseq. non est exercite incognoscibile tam signatè quam exercitè omni genere incognoscibilitatis cō. cons. ad prob. dist. cons. non est signatè tam signatè quam exercitè incognoscibile nego. non est exercite tam signate quam exercitè incognoscibile conc. cons. vbi aduerte quod quoties meum illud *exercitè* resumis vt reponas in argumento, toties veniet non pure exer-

exercitè sed signate. adeoque hic enties resumas meum *exercitè* & ponas cum tuo *incognoscibili.* Centies signate veniet & obiectiuè *exercite incognoscibile* hoc autem *exercite incognoscibile* toties exercitè cognoscam, quoties dicam: *exercite incognoscibile.*

Possum igitur in obiecto quod cognosco appræhendere repugnantiam ad cognosci, adeoque incapacitatem terminandi hunc ipsum actum quem terminat; nam *cognoscibile incognoscibile* non est maior chimera quàm: *homo non homo: cognitum non cognitum: cognitio non cognitio* & quamuis actu cognoscam id quod dico incognoscibile non propterea mea cognitione non fingo in ipsomet obiecto quod cognosco, essentialem repugnantiam ad cognosci, & quocunque genere cognitionis illud cognoscam, possum in eo fingere repugnantiam ad hoc modo cognosci. Decipitur arguens in hoc quod putet poni in aliquo obiecto realiter & physicè prædicatum incognoscibilis, & quia cum hoc prædicato implicat esse cognitionem eiusdem; propterea dicis non posse cognosci incognoscibile. Hinc: per hoc ipsum, in quit, quod tale obiectum terminet actum intellectus, nequit esse verum, quod simul non terminet actum intellectus. Quasi vero nos diceremus, quod re ipsa terminet, & non terminet actum intellectus. Dicimus quod illud idem obiectum quod terminat actum intellectus potest concipi à nobis non solum vt non terminans, sed vt terminans simul & non terminens actum intellectus, quod nihil est aliud quam concipere in illo obiecto duo contra-

dicto-

dictoria quorum incompossibilitatem ostendit ille idem actus, quo attinguntur.

Posito igitur quod possint in obiecto concipi duo repugnatia: putamus nullas esse rationes quantum libet repugnantes quæ non possint obiectiue combinari, & euadere in obiectnm intellectus. Puta: *possibile simul & impossibile*: *medium inter possibile & impossibile* & quælibet alia huiusmodi possunt esse obiectiuè in intellectu, & qui contra arguit facile est, vt ab impossibilitate talium in esse rei, arguat impossibilitatem in esse odiecti, quarum neutra maior est in illis; quam in quibuslibet alijs chimeris.

Dices vltimo. Dictum est quod qui dicit *nihil*: idem concipit ac qui dicit: *omnia*: ergo dici poterit quod qui dicit *impossibile* idem concipit, ac qui dicit. *possibilè* prob. conseq. quia sicut per li: *nihil*: remouet illà rationem entis quæ asseritur per li *omnia*; ita per li *impossibile*: remouet illam possibilitatem quæ assertur per li: *possibile*.

Resp. conc. ant. neg. cons. qui dicit: *nihil*: ita remouet rationem entis, vt non illà remoueat ab aliquo de quo dicat: *nihil*, puta dum dicis: *nihil habeo* non concipis aliquod obiectum de quo dicas quod sit illud nihil quod habes: sed concipis vera & realia entia quæ à te remoues dum dicis: *nihil habeo*- qui autem dicit *impossibile* remouet possibilitatem ab aliquo de quo dicit *impossibile* vnde est magna diuersitas inter duos hosce conceptus *impossibile* & : *nullum possibile*: per primum fit ens rationis, secus per secundum: videtur autem: *nullum possibile* esse idem ac: *nihil*: cæterum

si

si dicens *nihil*: aliquod obiectum attingat à quo remoueat omnem rationem entis, facit eo ipso ens rationis: nam obiectum carens omni ratione entis est impossibile accipimus enim hic *ens* nominaliter secundum transcendentiam ad omnia tam existentia quam possibilia, hoc est secundum rationem entis realis; non autem secundum illam supertranscendentiam de qua dictum est supra.

ARTICVLVS VLTIMVS.

An Deus faciat ens rationis.

Diuinum Intellectum facere ens rationis merito negant, & qui aiunt non aliter hoc fieri quam per modum tendendi essentialiter indebitum, seu improportionatum obiecto, & qui aiunt facere ens rationis nihil aliud esse, quam fingere. Deus enim non fingit, nec modo indebito tendit in obiecta; non fingit, quia non sibi repræsentat res aliter quam sint; nec tendit in obiecta modo indebito quia diuinus intellectus habet hoc de sua essentia; vt sit repræsentatio omnium obiectorum vt sunt in se. Nos autem in definitione entis rationis nullam fictionem inuoluimus, adeoque:

Decendum est: intellectum diuinum facere ens rationis. Hac conclusione aliã etiã resoluimus circa intellectum Angelicum: si enim diuinus, potest & Angelicus: cum ij qui negant hoc Angelico, id potissimum negent ratione perfectionis Angelicæ. Probatur autem conclusio quia facere ens rationis nihil aliud est quam dare esse obiectiue

alicui

alicui quod neque habeat neque habere possit vllum aliud esse: Potest intellectus diuinus hoc facere; ergo intellectus diuinus potest facere ens rationis. Minor probatur quia Deus potest dicere: alius Deus est impossibilis, & infinita alia huiusmodi quæ quilibet excogitare potest. Dum auté dicit: *alius Deus* dat esse obiectiue alteri Deo qui nec est nec esse potest; ergo potest dare esse obiectiue alicui quod nec sit nec esse possit.

Preterea dum tu concipis impossibile dicendo: Hyrcoceruus est imposfibilis: intellectus diuinus non solum cognoscit tuam cognitionem, sed obiectum tuæ cognitionis; & videt te de ipso vere dicere, quod sit impossibile, ergo tali obiecto Deus ipse dat esse obiectiue, seu dat esse in ratione obiecti; Hoc autem nullum aliud esse habet, nec habere potest; ergo intellectus diuinus facit ens rationis.

Dices ens rationis fit per compositionem vnius rationis cum alia: Deus nequit componere vnam rationem cum alia; ergo nequit facere ens rationis. Maior probatur quia facere ens rationis est identificare intentionaliter duo essentialiter distincta; hæc autem intentionalis identificatio est compositio. Minor probatur quia Deus, vt ait D. Thomas non habet modum cognoscendi compositiuum. Ratio est: quia modus cognoscendi sequitur modum essendi: cum igitur in Deo modus essendi sit simplicissimus, etiam modus cognoscédi est simplicissimus. Modus autem cognoscendi per compositionem vnius rationis cum alia deficit à perfectissima simplicitate.

Resp.

Resp. omissa maiori negando monorem. Ad probationem: explicandum est in quo consistat diuina simplicitas, tam in esse, quam in cognoscere: Deus enim & simplicissimus est, & cognitio Dei simplicissima. Est simplicissimus quia per suum esse est omnis sua perfectio, nec est aggregatum ex pluribus perfectionibus, vt sunt entia creata quæ perfectionibus sibi superadditis perfecta sunt. Puta homo est sapiens sapientia sibi supperaddita; bonus bonitate sibi supperaddita: misericors misericordia sibi superaddita, & sic de cęteris: Deus autem per suum met esse est sapiens, bonus, misericos &c. adeoq; summa ipsius simplicitas consistit in hoc quod vna indiuisibilis perfectio sit in ipso omnis perfectio. Modus cognoscendi sequitur modum essendi: propterea quemadmodum simplicitas in essendo consistit in hoc quod quælibet eius perfectio sit omnis eius perfectio; ita etiam simplicitas in cognoscendo consistet in hoc, quod quælibet eius cognitio sit omnis eius cognitio; & quęmadmodum ratione suæ perfectissimæ simplicitatis in essendo, non componit vnam perfectionem cum alia; imo non est in ipso alia, & alia perfectio, sic etiam ratione suæ perfectissimæ simplicitatis in cognoscendo, non componit vnam cognitionem cum alia; imo non est in ipso alia & alia cognitio. Hoc modo verum est Deum non habere modum cognoscendi compositiuum, compoositione videlicet formali, hoc est positione cognitionis cum cognitione; falsum est non habere modum cognoscendi compositiuum, compositione obiectiua hoc est repræsentando

do sibi obiecta simplicia vt simplicia, composita vt composita; ex quibus patet ad argumentum.

Quod si aduersarius negando modum cognoscendi compositiuum in Deo negare intendat vim iudicatiuam diuino intellectui: hoc male intendit: Deus enim dicere potest: *ego sum Deus*: *Petrus est homo*: *Hyrcoceruus est impossibilis*: Quod si dicat huiusmodi cognitiones in Deo non esse actus iudicatiuos, sed simplicissimos intuitus horum obiectorum per quos videlicet certificatur Deus se esse Deum, Petrum esse hominem, & Hyrcoceruum esse impossibilem: eodem iure dices es tu Deum habere actum per quem certificatur quod Hyrco ceruus est impossibilis, qui actus non sit iudicium, sed simplicissimus intuitus talis obiecti: æque autem fiet ens rationis per huiusmodi intuitum, ac per actum iudicatiuum: & consequenter si actus iudicatiuus, eo quod sit aliqualis compositio, repugnet diuino intellectui, non propterea repugnabit eidem facere ens rationis: cum ad faciendum ens rationis sufficiat ita repræsentari diuino intellectui Hyrco ceruum sicut repræsetatur homo: certumque sit Deum tam posse dicere, quocunq; tandem actu id dicat, Hyrcoceruus est impossibilis: quam dicit: homo est possibilis.

Dices repugnat perfectioni intellectus diuini identificare intentionaliter duo contradictoria: qui facit ens rationis identificat intentionaliter duo contiadictoria; ergo repugnat intellectui diuino facere ens rationis.

Resp.

Resp. distinguendo maiorem: identificare duo contradictoria per modum assensus, repugnat intellectui diuino: concedo; identificare per modum puræ repræsentationis: nego maiorem; & eodem modo distincta minori: nego consequentiam. Qui repræsentat sibi identitatem inter contradictoria putans esse veram identitatem facit ens rationis, & in faciendo huiusmodi ens rationis, decipitur, hoc modo dicipiebatur Arrius dum putabat Verbum esse creaturam, adeoq; repræsentabat sibi per modum veræ identitatis identitatem inter Deum & creaturam. Qui autem repræsentat sibi huiusmodi idẽtitatem repræsentatione quæ neque sit assensus quod sit identitas; neque inductiua in assensum quod sit identitas vera: facit etiam ens rationis, dum repræsentat sibi identitatem impossibilem; non tamen dicipitur; quia hanc identitatem non putat esse possibilem.

Ex his habes tam per iudicium verũ quam per iudicium falsum fieri ens rationis. Ratio est quia facere ens rationis nihil est aliud quam concipere aliquid impossibile: sed tam per iudicium verum quam per iudiciũ falsum potest concipi aliquid impossibile; ergo tam per iudicium verum, quam per iudicium falsum fit ens rationis. Minor probatur: tam hoc iudicium: *Hyrcoceruus est impossibilis*, quam hoc aliud: *Hyrcoceruus est possibilis*, concipit Hyrco ceruum; adeoq; tam vnum, quam alterum concipit impossibile: vnum autem est verum, & alterum falsum vt constat. Non tamen omnis intellectus æque vnum ac alterum iudicium elicere

po-

non cognoſcis quomodo de ipſo dicis eſſe omnino incognoſcibile?

Non eſt dubium quin actus ipſe quo dicimus: *omnino incognoſcibile* ſit aliqua cognitio: ſed omnis cognitio eſt alicuius obiecti; ergo actus quo dicimus: omnino incognoſcibile habet aliquod obiectum: eſſe autem obiectum cognitionis ac eſſe cognitũ ſunt vnum & idem, ergo ſi incognoſcibile eſt obiectum talis cognitionis, incognoſcibile eſt cognitum.

Reuocandum eſt huc id quod ſæpe diximus diuerſos ſcilicet modos tendendi noſtri intellectus non dicere ex parte obiecti diuerſitatem neceſſario: ſed circa idem omnino obiectum diuerſas noſtri intellectus cognitiones verſari. Ita diximus has duas propoſitiones: homo eſt animal: & homo non eſt animal non differre ex obiecto, ſed ſolum ex modo tendendi in idem obiectum. Idem etiam apparet in actibus voluntatis quæ circa idem tam volendo quam nolendo verſatur: iſti enim duo actus: *volo librum*: & : *nolo librum* non differunt obiecto: ſermo eſt de obiecto materiali, ad quod vterque actus terminatur. Quod dicimus de affirmatione & negatione, de volitione & nolitione, dic proportionaliter de duabus appræhenſionibus quarum vna vno, alia alio modo verſetur circa idem: ita diximus duas haſce appræhenſiones: *omnia* & *nihil* non differre obiecto, & tam omnia concipere qui dicit: *nihil*, quam qui dicit: *omnia*: quamuis autem vterque idem concipiat non tamen concipit eodem modo: qui dicit *omnia*, omnia attingit quaſi proſequendo: qui dicit *nihil*

omnia

omnia attingit quaſi fugiendo. His poſitis poterit qui dicit incognoſcibile habere idē obiectum ac qui dicit cognoſcibile: vterque attingit circa obiectum cognoſcibilitatem, alter vt formam in obiecto, alter vt formam quam remouet ab obiecto. Sed ecce aliquid mirabilius. Impoſſibile eſt vt formam cognoſcibilitatis remoueat ab obiecto quin ponat cognoſcibilitatem in obiecto; ergo vanum eſt dicere quod per hunc actum: *incognoſcibile* tendimus in obiectum, remouendo ab ipſo formam cognoſcibilitatis, ſeu cognoſcibilitatem. Antecedens probatur: quia per illum actū per quē remoues cognoſcibilitatem ab ipſo, ipſum attingis: per actum per quem ipſum attingis adſtruis in ipſo cognoſcibilitatem; ergo per actum per quem remoues ab ipſo cognoſcibilitatem, ponis in ipſo cognoſcibilitatem.

Ad hoc reſpondeo non eſſe nouum, quod quis exercitè ad ſtua:, id quod ſignatè deſtruit. Hoc eſt quod quis exercite ſibi contradicat. Hoc facit quicumque dicit *non loquor*. Hoc etiam facit quicunque dicit: *incognoſcibile*. Nam euidens eſt hunc ipſum actum quo dicit: *incognoſcibile* eſſe aliquam cognitionem. Dic igitur quod & qui concedit, & qui negat cognoſci incognoſcibile, eo ipſo cognoſcit incognoſcibile. Quod ſi dicas: ergo incognoſcibile non eſt incognoſcibile diſt. ergo ſignate incognoſcibile non eſt ſignate incognoſcibile nego, ſignate incognoſcibile non eſt incognoſcibile exercite concedo.

Quod ſi vrgeas: incognoſcibile tam ſignatè quam exercite omni genere incognoſcibi-

cibilitatis est aliquod impossibile: incognoscibile huiusmodi non est vllo modo cognoscibile; ergo aliquod impossibile non est vllo modo cognoscibile. Resp. con. mai. neg. mi. cognoscis enim illud idem obiectum in quo tibi repræsentas omnimodam illam incognoscibilitatem tam exercitè quam signatè. Hoc est, illud obiectum in quo apprehendis repugnentiam vt circa ipsum actus exerceas quos de facto exerces.

Instabis vlterius. Ergo incognoscibile tam signatè quam exercitè omni genere incognoscibilitatis, non est incognoscibile tam signatè quam exercitè omni genere incognoscibilitatis. Ergo hæc propositio identica: *incognoscibile tam signate quam exercitè omni genere incognoscibilitatis est incognoscibile tam signatè quam exercite omni genere incognoscibilitatis*: est falsa: hæc secunda consequentia est euidens. Probatur prima; quia de facto tale incognoscibile cognoscitur: ergo non est tam signatè quam exercite incognoscibile &c.

Resp. dist. primum conseq. incognoscibile tam signate quam exercite omni genere incognoscibilitatis, non est signate incognoscibile tam exercitè quam signatè omni genere incognoscibilitatis nego conseq. non est exercite incognoscibile tam signatè quam exercitè omni genere incognoscibilitatis cō. cons. ad prob. dist. cons. non est signatè tam signatè quam exercitè incognoscibile nego. non est exercite tam signate quam exercitè incognoscibile conc. cons. vbi aduerte quod quoties meum illud *exercitè* resumis vt reponas in argumento, toties veniet non pure exer-

exercitè sed signatè. adeoque sic enties resumas meum *exercitè* & ponas cum tuo *incognoscibili.* Centies signate veniet & obiectiuè *exercite incognoscibile* hoc autem *exercite incognoscibile* toties exercitè cognoscam, quoties dicam: *exercite incognoscibile.*

Possum igitur in obiecto quod cognosco apprahendere repugnantiam ad cognosci, adeoque incapacitatem terminandi hunc ipsum actum quem terminat; nam *cognoscibile incognoscibile* non est maior chimera quàm: *homo non homo*: *cognitum non cognitum*: *cognitio non cognitio* & quamuis actu cognoscam id quod dico incognoscibile non propterea mea cognitione non fingo in ipsomet obiecto quod cognosco, essentialem repugnantiam ad cognosci, & quocunque genere cognitionis illud cognoscam, possum in eo fingere repugnantiam ad hoc modo cognosci. Decipitur arguens in hoc quod putet poni in aliquo obiecto realiter & physicè prædicatum incognoscibilis, & quia cum hoc prædicato implicat esse cognitionem eiusdem; propterea dicis non posse cognosci incognoscibile. Hinc: per hoc ipsum, in quit, quod tale obiectum terminet actum intellectus, nequit esse verum, quod simul non terminet actum intellectus. Quasi vero nos diceremus, quod re ipsa terminet, & non terminet actum intellectus. Dicimus quod illud idem obiectum quod terminat actum intellectus potest concipi à nobis non solum vt non terminans, sed vt terminans simul & non terminens actum intellectus, quod nihil est aliud quam concipere in illo obiecto duo contradicto-

dictoria quorum incompossibilitatem ostendit ille idem actus, quo attinguntur.

Posito igitur quod possint in obiecto concipi duo repugnatia: putamus nullas esse rationes quantum libet repugnantes quæ non possint obiectiue combinari, & euadere in obiectnm intellectus. Puta: *possibile simul & impossibile: medium inter possibile & impossibile* & quælibet alia huiusmodi possunt esse obiectiuè in intellectu, & qui contra arguit facile est, vt ab impossibilitate talium in esse rei, arguat impossibilitatem in esse odiecti, quarum neutra maior est in illis, quam in quibuslibet alijs chimeris.

Dices vltimo. Dictum est quod qui dicit *nihil*: idem concipit ac qui dicit: *omnia*: ergo dici poterit quod qui dicit *impossibile* idem concipit, ac qui dicit. *possibilè* prob. conseq. quia sicut per li: *nihil*: remouet illà rationem entis quæ assertur per li *omnia*; ita per li *impossibile*: remouet illam possibilitatem quæ assertur per li: *possibile*.

Resp. conc: ant. neg. cons. qui dicit: *nihil*: ita remouet rationem entis, vt non illā remoueat ab aliquo de quo dicat: *nihil*, puta dum dicis: *nihil habeo* non concipis aliquod obiectum de quo dicas quod sit illud nihil quod habes: sed concipis vera & realia entia quæ à te remoues dum dicis: *nihil habeo*. qui autem dicit *impossibile* remouet possibilitatem ab aliquo de quo dicit *impossibile* vnde est magna diuersitas inter duos hosce conceptus *impossibile* &: *nullum possibile*: per primum fit ens rationis, secus per secundum: videtur autem: *nullum possibile* esse idem ac: *nihil*: cæterum

si

si dicens *nihil* : aliquod obiectum attingat à quo remoueat omnem rationem entis, facit eo ipso ens rationis : nam obiectum carens omni ratione entis est impossibile accipimus enim hic *ens* nominaliter secundum transcendentiam ad omnia tam existentia quam possibilia, hoc est secundum rationem entis realis ; non autem secundum illam supertranscendentiam de qua dictum est supra.

ARTICVLVS VLTIMVS.

An Deus faciat ens rationis.

Diuinum Intellectum facere ens rationis merito negant, & qui aiunt non aliter hoc fieri quam per modum tendendi essentialiter indebitum, seu improportionatum obiecto, & qui aiunt facere ens rationis nihil aliud esse, quam fingere. Deus enim non fingit, nec modo indebito tendit in obiecta ; non fingit; quia non sibi repræsentat res aliter quam sint ; nec tendit in obiecta modo indebito quia diuinus intellectus habet hoc de sua essentia; vt sit repræsentatio omnium obiectorum vt sunt in se. Nos autem in definitione entis rationis nullam fictionem inuoluimus, adeoque.

Dicendum est : intellectum diuinum facere ens rationis. Hac conclusione aliã etiã resoluimus circa intellectum Angelicum : si enim diuinus, potest & Angelicus : cum ij qui negant hoc Angelico, id potissimum negent ratione perfectionis Angelicæ. Probatur autem conclusio quia facere ens rationis nihil aliud est quam dare esse obiectiue

alicui

alicui quod neque habeat neque habere possit vllum aliud esse: Potest intellectus diuinus hoc facere; ergo intellectus diuinus potest facere ens rationis. Minor probatur quia Deus potest dicere: alius Deus est impossibilis, & infinita alia huiusmodi quæ quilibet excogitare potest. Dum autẽ dicit: *alius Deus* dat esse obiectiue alteri Deo qui nec est nec esse potest; ergo potest dare esse obiectiue alicui quod nec sit nec esse possit.

Preterea dum tu concipis impossibile dicendo: Hyrcoceruus est imposibilis: intellectus diuinus non solum cognoscit tuam cognitionem, sed obiectum tuæ cognitionis; & videt te de ipso vere dicere quod sit imposibile; ergo tali obiecto Deus ipse dat esse obiectiue; seu dat esse in ratione obiecti; Hoc autem nullum aliud esse habet, nec habere potest; ergo intellectus diuinus facit ens rationis.

Dices ens rationis fit per compositionem vnius rationis cum alia: Deus nequit componere vnam rationem cum alia; ergo nequit facere ens rationis. Maior probatur quia facere ens rationis est identificare intentionaliter duo essentialiter distincta; hæc autem intentionalis identificatio est compositio. Minor probatur quia Deus, vt ait D. Thomas non habet modum cognoscendi compositiuum. Ratio est: quia modus cognoscendi sequitur modum essendi: cum igitur in Deo modus essendi sit simplicissimus, etiam modus cognoscẽdi est simplicissimus. Modus autem cognoscendi per compositionem vnius rationis cum alia deficit à perfectissima simplicitate.

Resp.

Resp. omissa maiori negando monorem. Ad probationem: explicandum est in quo consistat diuina simplicitas, tam in esse, quam in cognoscere: Deus enim & simplicissimus est, & cognitio Dei simplicissima. Est simplicissimus quia per suum esse est omnis sua perfectio, nec est aggregatum ex pluribus perfectionibus, vt sunt entia creata quæ perfectionibus sibi superadditis perfecta sunt. Puta homo est sapiens sapientia sibi supperaddita; bonus bonitate sibi supperaddita: misericors misericordia sibi superaddita, & sic de cęteris: Deus autem per suum met esse est sapiens, bonus, misericos &c. adeoq; summa ipsius simplicitas consistit in hoc quod vna indiuisibilis perfectio sit in ipso omnis perfectio. Modus cognoscendi sequitur modum essendi: propterea quemadmodum simplicitas in essendo consistit in hoc quod quælibet eius perfectio sit omnis eius perfectio; ita etiam simplicitas in cognoscendo consistet in hoc, quod quælibet eius cognitio sit omnis eius cognitio; & quęmadmodum ratione suæ perfectissimæ simplicitatis in essendo, non componit vnam perfectionem cum alia; imo non est in ipso alia, & alia perfectio, sic etiam ratione suæ perfectissimæ simplicitatis in cognoscendo, non componit vnam cognitionem cum alia; imo non est in ipso alia & alia cognitio. Hoc modo verum est Deum non habere modum cognoscendi compositiuum, compositione videlicet formali, hoc est positione cognitionis cum cognitione; falsum est non habere modum cognoscendi compositiuum compositione obiectiua hoc est repræsentando

Resp. distinguendo maiorem: identificare duo contradictoria per modum assensus, repugnat intellectui diuino: concedo; identificare per modum puræ repræsentationis: nego maiorem; & eodem modo distincta minori: nego consequentiam. Qui repræsẽtat sibi identitatem inter contradictoria putans esse veram identitatem facit ens rationis, & in faciendo huiusmodi ens rationis, decipitur, hoc modo dicipiebatur Arrius dum putabat Verbum esse creaturam, adeoq; repræsentabat sibi per modum veræ identitatis identitatem inter Deum & creaturam. Qui autem repræsentat sibi huiusmodi idẽtitatem repræsentatione quæ neque sit assensus quod sit identitas; neque inductiua in assensum quod sit identitas vera: facit etiam ens rationis, dum repræsentat sibi identitatem impossibilem; non tamen dicipitur; quia hanc identitatem non putat esse possibilem.

Ex his habes tam per iudicium verũ quam per iudicium falsum fieri ens rationis. Ratio est quia facere ens rationis nihil est aliud quam concipere aliquid impossibile: sed tam per iudicium verum quam per iudiciũ falsum potest concipi aliquid impossibile; ergo tam per iudicium verum, quam per iudicium falsum fit ens rationis. Minor probatur: tam hoc iudicium: *Hyrcocerus est impossibilis*, quam hoc aliud: *Hyrcocerus est possibilis*, concipit Hyrco ceruum; adeoq; tam vnum, quam alterum concipit impossibile: vnum autem est verum, & alterum falsum vt constat. Non tamen omnis intellectus æque vnum ac alterum iudicium elicere po-

potest, vt est manifestum. Nam intellectus infallibilis, qualis est diuinus, nequit habere iudicium falsum.

Habes præterea ex dictis quod si intellectus humanus dicat: infinitum creatum est possibile: & intellectus diuinus: Infinitum creatum est impossibile: vterque intellectus facit ens rationis, vnus scienter, & alter ignoranter. Deus facit ens rationis scienter; quia dum concipit infinitum creatum concipit impossibile & scit se concipere impossibile: intellectus humanus facit ignoranter; quia dum concipit impossibile putat se concipere possibile: vterque autem dat obiecto impossibili esse obiectiue in intellectu.

Dices, Intellectus diuinus, etiamsi cognoscat cognitionem intellectus humani distinguentis formaliter animal à rationali, & obiectum eiusdem cognitionis, non tamen distinguit formaliter animal a rationali: Item quamuis cognoscat & cognitionem intellectus humani facientem vniuersale, & obiectū eiusdem non tamen facit vniuersale; ergo etiamsi cognoscat & cognitionem qua intellectus humanus facit ens rationis, & obiectum eiusdem, non propterea facit ens rationis. Consequentia probatur quia intantum nec distinguit formaliter animal à rationali; nec facit vniuersale, in quantum non habet modum tendendi similem modo, quem habet intellectus humanus, aut distinguens formaliter aut vniuersalizans; sed neque circa obiectum intellectus humani facientis ens rationis, habet eundem modum tendēdi, quem intellectus humanus; ergo quamuis attingat idē obiectum, nō propterea facit ens rationis.

Resp.

Resp. concesso antecedenti: negando consequentiam. Ad distinguendum formaliter, requiritur specialis quidam modus tendendi quo non appareat identitas vnius rationis cum alia, hoc est non certificans de identitate reali inter vtramque rationem. Qui modus tendendi repugnat diuino intellectui. Item ad vniuersalizandum, requiritur modus tendendi attingens plura per modum vnius exercite, qui item repugnat eidem diuino intellectui. Facere autem ens rationis non dicit vllum specialem modum tendendi circa impossibile; sed solum dare esse obiectiue alicui quod neque physice sit, neque esse possit; quocunque tandem genere cognitionis id fiat. Hinc etiamsi intellectus diuinus non habeat modum tendendi similem modo tendendi intellectus humani; non propterea non facit ens rationis, quia etiamsi non concipiat more intellectus humani, non propterea non concipit impossibile. Ex his patet ad probationem consequentiæ in qua concessis maiori & minori; negabis consequentiam.

QVAESTIO VII.

De Substantia.

ARTICVLVS I.

Quid sit substantia.

QVæ pramisimus superioribus quæstionibus de Vniuocis, æquiuocis & Analogis proludere solent di-

ſputationi de prædicamentis. Quæ diximus de vniuocatione entis, de poſſibili & impoſſibili per occaſionem magis quam quod ita oporteret, à nobis tractata ſunt. Hic incipit diſputatio de prædicamentis. Prædicamentorum autem primum eſt Subſtantia, de qua quantum ad logicum pertinet, hoc eſt breuiſſime hic differendum eſt. Subſtantia, inquit Philoſophus, quæ proprie & principaliter & maxime dicitur, quæ neque de ſubiecto aliquo dicitur, neque in ſubiecto aliquo eſt. *Hanc* ſubſtantiæ rationem maxime intelligimus per conceptus quos de nobis ipſi formamus. Vnuſquiſque enim experitur aliud eſſe in ſe, id quod mouetur, id quod intelligit, id quod incaleſcit; aliud motum ipſum, ipſam intellectionem, ipſum calorem. Id quod ambulat; quod intelligit quod incaleſcit, vnuſquiſque noſtrum exprimit per pronomen *ego*, & per ly *ego* vnuſquiſque ſe ipſum intelligit, motum vero ipſum, intellectionem, calorem non intelligit per li *ego*; ſed huiuſmodi rationes percipit quaſi formas ſibi aduentitias, quibus etiam ablatis, manet id quod intelligit, quãdo dicit *ego*: experitur enim ſe aliter eſſe in ſe ipſo, quam huiuſmodi formæ in ipſo ſint; videlicet ſe in ſe ipſo ſtare, formas autem prædictas, non in ſe ipſis, ſed in ipſo. Petrus enim dum dicit *ego* dicit aliquid in ſe ipſo ſubſiſtens; dum dicit moueor, dicit præterea motum ſibi aduenientem, & ſubſiſtentem in ipſo: vnde de accidente, dixit Philoſophus, eſſe ſemper in alio ſubſiſtens.

Hinc Auguſtinus lib. 7. de Trinitate cap. 4. in fine relatus à Suario diſput. 33. metaphi.

taphi. § 1. dicit quod sicut ab eo quod est, esse, appellatur essentia, ita ab eo quod est subsistere, substantiam dicimus. Et Isidorus: lib. 1. differentiarum cap. 4. substantia, inquit, est id quod non ab alio, sed semper ex se est, id est quod propria in se virtute subsistit. Hoc autem ita intelligendum est vt ly *non ab alio sed ex se esse*, non accipiatur pro esse omnino indepēdenter à quolibet alio: hoc enim soli Deo conuenit; cum cætera omnia à Deo fint, tanquam à causa producente; sed pro esse, non in gratiam alterius & cum indigentia essendi in alio, tanquam in ente completo; eo modo quo calor frigus & cætera huiusmodi sunt, & in gratiam subiectorum, & in subiectis sunt puta albedo in pariete, & in gratiam parietis; calor in igne, & in gratiā ignis. Hoc idē affirmat Philosophus 5. metaph. cap. 8. textu 15, vbi docens simplicia corpora, siue elementa ignem videlicet, ærem &c. esse substantias: ait: hæc vero omnia dicuntur substantia, quoniam non dicuntur de subiecto, sed de eis cætera.

Non solum autem à subsistendo dicitur substantia, sed etiam à substando: eo nimirum quod sit veluti fundamentum & substētaculum reliquorum prædicamentorum. De ipsa enim dicitur quantum, quale, agere, & pati & sic de ceteris: puta dicitur: Socrates est tricubitalis, & albus. Propterea idem Isidorus 2. Aetimologiarum cap. 27. substantia est, inquit, quæ proprie & principaliter substare dicitur.

Cum substantia hoc modo accepta explicetur per ordinem ad accidentia, quorum est

veluti fulcrum & basis, non poterit sub reali conceptu dici de Deo: nequit enim Deus vllis accidentibus substare; cum quidquid in Deo est, Deus sit perfectissime stans in se ipso, & omnia quæ sunt extra se infinita virtute conseruans: adeoque Deus non habet rationem subiecti physici, sed purè logici, quatenus de ipso ipsius attributa prædicantur.

Conceptus igitur proprius substantiæ, de qua hic Philosophus est per se stare & alijs prædicamentis substate. Hinc dicitur ens per se, hoc est non indigens altero cui inhæreat; cum accidens dicatur ens in alio; hoc est alterius indigum, in quo subsistat. Quod si substantiam accipias sub præciso conceptu per se stantis, manifestum est de Deo dici posse, cum Deus maxime per se stet: tunc autem non à substando, sed à subsistendo dicetur.

ARTICVLVS II.

Ordinatur prædicamentum substantiæ.

POst explicationem Substantiæ, quantum satis est, pro præsenti, veniendum est ad diuisionem eiusdem, cui tamen præmittere placet prædicamenti substantiæ ordinatione hoc est dispositionem secundum rationem subiectorum & prædicatorum, inferiorum & superiorum vsque ad supremum genus. Tripliciter autem ponuntur in prædicamento ea quæ ad prædicamentum spectare dicuntur: directè, indirectè, & reductiuè. Directè ponitur Prima substantia, siue indiuiduum

duum quod est veluti basis totius prædicamenti, & supra indiuiduum species & genera; vsque ad supremum. Indirectè ponuntur differentię, diuisiuæ generum, & constitutiuæ specierum. Reductiue ponuntur partes, constitutiuæ substantiæ quæ directe ponitur in prædicamento. Hoc ipsum facilius intelliges si prædicamentum substantiæ hic depiugas.

	Substantia	
Materialis		Immaterialis
	Corpus	
Animatum		Inanimatum
	Viuens	
Sensitiuum		Insensitiuum
	Animal	
Rationale		Irrationale
	Homo	
	Petrus.	

In hàc figurà quæcunque sunt in lineà quam in medio descripsisti, directè ponuntur in prædicamento substantiæ; incipiendo à Petro & ascendendo vsque ad supremum genus quod est *substantia*. Quæ vero describuntur ad latera videlicet *Materialis*, & *Immaterialis*. *Animata*, & *in Animata* ponuntur indirectè. Partes vero componentes ea quæ directe ponuntur; quamuis nullo modo describantur, dicuntur tamen esse reductiue in prædicamento, quia quælibet pars ad suum totum reducitur. Ita neque materia prima, neque forma, quę sunt partes essentiales substantiæ naturalis completę, ponuntur in prædicamento nisi reductiue;

quatenus scilicet vbi est totum, ibi & partes totius. Idem dic proportionaliter de partibus integrantibus puta de capite, manu, & brachio Petri, quæ ibi sunt vbi est Petrus.

ARTICVLVS III.

Diuiditur Substantia.

IN primam & secundam· Prima est, quæ neque in subiecto aliquo est, neque de subiecto aliquo dicitur: siue prima substantia, est substantia singularis; puta Petrus, Bucephalus, & quælibet alia huiusmodi. Constat enim Petro nihil esse inferius, de quo ipse prædicetur, & cui quomodolibet insit. Secunda autem substantia, est substantia vniuersalis; vnde Philosophus ait: *secundæ autem substantiæ dicuntur species, in quibus eæ quæ principaliter substantiæ dicuntur insunt. Et hæ quidem, & harum specierum genera.* Vbi nomine earum substantiarum quæ principaliter dicuntur intelligit primas substantias.

Cur autem primæ substantiæ principaliter dicantur substantiæ, explicat idem Philosophus his verbis. *Amplius primæ substantiæ eo quod alijs omnibus subijciuntur, & omnia alia de illis prædicantur vel in ipsis sunt; propriissime substantiæ dicũtur.* Vnde apparet Philosophum explicare substantiam maxime quoad rationem substandi alijs Primæ autem substantiæ, hoc est Indiuidua substant non solum alijs prædicamentis, per quæ dicuntur quantæ, & quales, agere, & pati, esse in loco, & tempore, &c. Sed etiam secundis sub-

substantijs: rationes enim vniuersales de indiuiduis prædicantur, quamuis non eodem modo quo accidentia vt idem Philosophus monet.

Hinc etiam idem Philosophus docet secundarũ substantiarum magis substantiã esse speciem, quam genus. Quia quod magis accedit ad id quod est principaliter tale, est magis tale, quam quod minus accedit; species autem magis accedit ad indiuiduum quod est principaliter & maxime substantia, quam genus, ergo species, inter secundas substantias, est magis substantia quam genus. Preterea species pluribus subijcitur, quam genus; adeoque si ratio substantiæ sumitur à substando, speciei magis quam generi conuenit esse substantiam.

Dicuntur primæ substantiæ esse in speciebus & generibus, hoc est in secundis substãtijs, quia, vt dictum est alibi, rationes vniuersales sunt quædam tota potestatiua respectu inferiorum: partes autem continentur in toto.

Dices ratio substantiæ conuenire nequit secundis substantijs, ergo diuisio substantiæ in primam & secundam est mala, consequẽtia est euidens, ant. probatur ex definitione Philosophi: substantia autem quæ proprie, & principaliter & maxime dicitur, quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est: sed secunda substantia & de subiecto aliquo dicitur, & in aliquo subiecto est, ergo secundæ substantiæ non conuenit ratio substantiæ. Quod secundæ substantiæ dicantur de aliquo, manifestum est: dicitur enim Petrus est homo, Petrus est animal; in

quibus secunda substantia prædicatur de prima.

Resp. definitionem, seu descriptionem allatam ex Philosopho pertinere ad primam substantiam, quæ principaliter & maxime substantia est: adeoq; cum Philosophus afferat rationem discriminatiuam primæ substantię à secunda huiusmodi definitio non est communis primæ & secundæ.

Quia tamen id Philosophus postquã primã segregauit à secunda dicit: cõmune omni substantiæ est in subiecto non esse. Dicẽdum est quomodo secundæ substantiæ sint verè substantiæ; cum & homo videatur esse in Petro, & animal in homine, & quælibet ratio superior in inferiori. Dico igitur secundas substantias esse in prima, magis vniuersales in minus vniuersalibus, non tamquam in subiecto physico; sicut quantitas, qualitas & cætera accidentia sunt in substantijs, sed sicut in subiecto logico, de quo dicuntur, vt patet. Igitur Philosophus dicit esse contra rationem substantiæ esse in subiecto, sicut accidentia quæ subiectis inhærent, in ijsque subsistunt.

Instabis. Forma substantialis est substantia: hæc est in subiecto physico, videlicet in materia prima, ergo non est contra rationem substantiæ esse in subiecto physico.

Resp. nomine substantiæ intelligi substãtiam simpliciter; hoc est substantiã completam, forma autem substantialis non est hoc modo substantia, nec ponitur in prędicamẽto, nisi reductiuè, vt dictum est: quidquid autem aduenit toti ex materia & forma constanti, est accidens.

ARTI-

ARTICVLVS IV.

Satisfit nonnullis quæsitis.

QVæritur primò, quod nam sit summum genus in prędicamento Substātiæ; an scilicet substantia finita, an substantia præscindens à finita, & infinita? Ratio dubitandi est, quia præter Deum repugnat omnis substantia infinita: Deus autem poni nequit in prædicamento substantię. Igitur substantia, quæ est summum genus, nequit esse indifferens ad finitam, & infinitam.

Resp. in hac re vnumquemq; philosophari secundum hanc, vel illam opinionem, quam habet circa possibilitatem, aut impossibilitatem infiniti; & præterea secundum id quod intelligit nomine substantiæ. Si nomine substantiæ nihil aliud intelligat, quam ens per se, & sub hoc conceptu intelligat substantiam, quæ est summum genus, non repugnat Deum esse in prædicamento substantiæ; tunc enim ratio substantiæ erit vna in Deo, & creatura, sicut diximus de ratione entis: compositio autem ex ratione substantiæ, & ratione increatæ, siue independentis cum sit compositio pure metaphysica, seu logica non repugnat simplicitati diuinæ. Nam quando Patres aiunt omnem compositionem etiam ex genere, & differentia pugnare cum simplicitate perfectissima, quæ in Deo est, solum repræhendunt talem compositionem, per quam rationes, quæ in Deo sunt, obiectiue, & intrinsece distinguantur,

quam distinctionem infiniti Philosophi, & Theologi admittunt inter gradus metaphysicos.

Quod si nomine substantiæ intelligas rem substantem physice alijs prædicamentis; manifestum est substantiam, quæ ponitur pro summo genere in prædicamento substantiæ non pertinere ad Deum. An autem communis sit finitæ, & infinitæ? dicendum est esse communem si sit possibilis substantia creata infinita: non esse communem, si impossibilis. An autem huiusmodi substantia possibilis sit, an impossibilis non est præsentis indaginis.

Quæritur secundò, quænam sint proprietates substantiæ.

Resp. afferri à Philosopho in hoc capite de substantia tres potissimum substantiæ proprietates. Prima est, quod substantia non habet contrarium. Si ita est: non est ignis aquæ contrarius, nec aqua igni. In hoc Philosophi dicto, cui omnino consonat in libris de elementis, seu de generatione, & corruptione, fundant aliqui sententiam Thomisticam; quod videlicet substantia per seipsam immediatè non agat: agere enim actione generatiua est à contrarietate: substantia substantiæ non est contraria; igitur substantia in substantiam non agit actione generatiua De hoc alibi. Quam autem contrarietatem non habet substantia per seipsam, & immediatè cum alia substantia, habet mediatè, & per sua accidentia. Ità ignis, quà calidus contrarius est aquæ, quà frigidæ: & propterea dicuntur hæc agere per sua accidentia, quæ & horum virtus dicuntur: vnde ait

Phi-

Philosophus, quod ignis non agit in quantum ignis, sed in quantum est calidus: an ità sit disputabimus in libris de ortu, & interitu.

Secunda proprietas est, quod substantia non suscipit magis, & minus. Sensus est formas substantiales non intendi, aut remitti, sicùt intenduntur, & remittuntur, vel omnes, vel aliquæ formæ accidentales. Ità homo nõ fit ex homine magis homo, sicut calidum fit ex calido magis calidum: frigidum ex frigido magis frigidum. Huic proprietati non officit, quod dictum est supra primam videlicet substantiam esse maximè, & principaliter substantiam. Nec enim sensus est in prima substantia intendi, seu augeri rationem substantiæ; in secundis verò remitti, seu diminui. Imò hoc esse impossibile apparet ex tractatu de vniuersalibus, vbi dictum est non dari secundas substantias, hoc est naturas vniuersales; adeoq. in illis non est realiter, neque intensa, neque remissa ratio substantiæ. Sensus autem est, quòd ipsamet ratio substantiæ. quæ consistit in indiuisibili magis proprie reperitur in prima substantia, quàm in secundis. In hac proprietate substantiæ, quod videlicet non suscipiat magis, & minus fundatur sententia eorum, qui in Physica dicunt materiam primam non magis appetere formam nobiliorem, quam minus nobilem. Materia, inquiunt, appetit precisè facere cum forma substantiam simpliciter, hoc est substantiam completam: non facit magis substantiam cum forma nobiliori, quam cum minus nobili: ergo non magis appetit formam nobiliorem, quam minus no-

bilem. Minorem probant, quia substantia nõ suscipit magis, & minus.

Tertia proprietas est, quod substantia est susceptiua contrariorum. Eadem enim substantia, puta eadem aqua est modo calida, & modo frigida. Idem homo modo sanus, & modo æger.

Obseruandum est obiter hoc nomen substantiæ multipliciter accipi à Philosophis. Aliquando idem sonat, ac essentia, seu quidditas. Et hoc modo substantia de quolibet dicitur: cuiuslibet enim est sua quidditas, & sua essentia. Aliquando pro specie entis, quæ opponitur accidenti; & hoc modo constituit suum prædicamentum, de quo egimus hic. Aliquando non solùm pro substantia completa, sed etiam pro qualibet parte constitutiua substantiæ.

QVAESTIO VIII.

De Relatione.

ARTICVLVS I.

Quid sit Relatio.

PHilosophus 5. metaph. relationes ad tria potissimum genera reducit. Primum genus est earum, quæ fundantur in vnitate, & numero: & ad hoc pertinent relationes similitudinis, æqualitatis, excedentis, & excessi. Similia enim sunt, quorum qualitas vna, æqualia quorum quantitas vna, vt ait ibidem Philosophus.

Se-

Secundum est earum, quæ fundantur in actione, & passione; & ad hoc pertinent relationes Paternitatis, quam habet Pater ad filium, puta Philippus ad Alexandrum; & filiationis, quam habet filius ad Patrem; puta Alexander ad Philippum.

Tertium genus est earum, quæ fundantur in mensura, & mensurabili. Hic autem, vt monet D. Thomas in 5. metaph. lect. 17. accipitur mensura, & mensurabile, non secundum quantitatem; hoc enim ad primum genus pertinet, in quo vtrumq. dicitur. Nam duplum dicitur ad dimidium, & dimidium ad duplum: sed secundum mensurationem esse veritatis; veritas enim scientiæ mensuratur à scibili, ex eo enim, quod res est, vel non est, oratio scita vera, vel falsa est, & non è conuerso: & propter hoc non mutuo dicuntur mensura ad mensurabile, & è conuerso; sicut in alijs modis, sed solum mensurabile ad mensuram. Hæc D. Thomas, quæ vix clarius explicari possunt.

Obiectum igitur scientiæ, siue cognitionis dicitur mensura ipsius cognitionis, siue scientiæ: vel quia ideò vera est cognitio, quia conformatur obiecto. Obiectum verò ipsum non mensuratur per scientiam, quia non ideò obiectum ita se habet, quia cognitio versatur sic circa ipsum. Vel etiam quia quælibet scientia constituitur in esse talis scientiæ per tale obiectum: scientia enim dicitur specificari ab obiecto, non autem obiectum specificari à scientia; puta Physica constituitur Physica, per hoc quod consideret ens naturale; ipsum autem ens naturale non constituitur ens naturale per

hoc, quod consideretur à tali scientia.

Diuiditur prætereà relatio à D. Thoma prima parte quæst. 13. art. 7. corp. in relationem rationis, & realem. Relatio rationis est ordo, siue habitudo quædam intentionalis inter ea, quæ realiter non sunt plura: vt cum dicimus, idem sibi ipsi idem esse. Nam secundum quod ratio apprehendit bis aliquod vnum, statuit illud exercite vt duo; & dum idem comparat cum se ipso, ponit habitudinem quandam rationis eiusdem ad seipsum. Huiusmodi est, v. g. relatio inter subiectum, & prædicatum in hac propositione: *Homo est animal rationale*: & quia opus logicæ est subiectio, & prædicatio rationum inferiorum, & superiorum; proptereà dixerunt aliqui obiectum logicæ esse ens rationis, seu relationem rationis. Relatio verò realis est haitudo inter plura secundum aliquid realiter ipsis conueniens. Exemplum D. Thomæ est in duobus albis, quæ sunt realiter duo, & habitudinem habent ad inuicem, secundum albedinem, quæ est in vtroq. & per quam sunt, & denominantur similia.

Relationes reales aliæ sunt mutuæ, vt inter album *A*, & album *B*, tam enim est simile album *B*, albo *A*, quàm album *A* albo *B*. Aliæ non mutuæ, vt inter cognitionem, & obiectum. Ideò cognitio est vera, quia sic se habet obiectum, vt repræsentatur per ipsam; non ideò obiectum ita est, quia repræsentatur ità se habere. Mutuæ aliæ sunt æquiparantiæ, quæ nimirum eãdem tribuunt denominationem vtriq. extremo; aliæ disquiparantiæ, quæ diuersam. Exemplum prime

mæ habes in duobus albis, quorum vtrumlibet dicitur alteri simile: exemplum secundæ iu Philippo, & Alexandro, quorum alter dicitur Pater, & alter filius.

Denique celebris diuisio est relationis in transcendentalem, & prædicamentalem. Prima vt ex ipso nomine patet longè latiùs extenditur, quam secunda; dicitur communiter esse respectus quidam, siue ordo ad aliud adæquatè intrinsecus, & essentialis rei, quæ refertur. Huius exemplum habes in ratione vniuersalissima creaturæ: quælibet enim creatura per seipsam est dependentia sui à Deo. Referri transcendentaliter dicuntur quæcumq. per seipsa dicunt ordinem, seu respectum ad aliud. Ità v. g. visio qua intueor hunc parietem est relatio transcendentalis sui ipsius ad hunc parietem, quia se ipsa, & non per aliud respicit hunc parietem. Vnio, quæ est inter corpus, & animam Petri; est relatio transcendentalis sui ad vtrumq. extremum, quia per se ipsam essentialiter est nexus vtriusq. adeoq. per se ipsam est ordo ad vtrumq. idem dic de omnibus formis modalibus, quæ dicuntur esse per suam essentiam affixæ rebus, adeoq. per se ipsas respicere rès, quarum sunt modi. Prædicamentalis est habitudo vnius ad aliud, seu ratio, seu forma, qua vnum refertur ad aliud, non essentialiter, & per seipsum, sed contingenter. Huiusmodi est relatio inter album *A*, & album *B*, quæ mutuo ad se referuntur, per albedinem vtriq. superadditam.

Ex hac diuisione constat definitio relationis vt sic. Hanc enim rectè definies: habitu-

di-

dinem vnius ad aliud, seu formam qua vnū se habet ad aliud. Vnde Philosophus cap. ad aliquid, hoc est de relatione dicit relatiua sunt, quibus hoc ipsum est esse, ad aliud quodammodo se habere. Quod si ordo ille, seu habitudo illa vnius ad aliud sit essentialis rei, quę refertur, dicitur transcendentalis: si accidentalis, dicitur prædicamentalis. Prima non dicitur prædicamentalis, quia transcendit omnia prædicamenta: secunda dicitur, quia constituit speciale prędicamentum.

Discrimen inter transcendentalem, & prędicamentalem fusè multi, & confusè inquirunt. Res est tamen satis obuia. Referri transcendentaliter est referri per aliquod prędicatum, quod secundum suam rationem transcendat per omnia prędicamenta; adeoq. quod dici valeat de quacumq. re. Esse autem hoc, est aliquid quod de quacumq. re dicitur: nam & musca est hoc, seu est id, quod est. Et Elephas est id, quod est, & albedo est id, quod est, & de quacumq. re dices illam esse id, quod est. Hoc igitur prędicatum transcendit per omnia prędicamenta. & consequenter quæcumque referuntur ad aliud per huiusmodi prędicatum referuntur per prędicatum transcendens, adeoq. transcendentaliter referuntur, hoc est tali genere relationis, quo cuilibet rei conuenit referri ad aliam. Rursus quęcumq. referuntur per suam essentiam referuntur per prędictum prędicatū; quęlibet enim res per suā essentiam est id, quod est; ergo quęcumq. per suam essentiam referuntur, transcendentaliter referuntur. Hinc relatio transcenden-

den-

dentalis rectè dicetur *Respectus essentialis sui ad aliud.*

Referri autem prædicamentaliter non est referri per aliquod prædicatum huiusmodi; sed per sed aliquid adueniens & quidem cõtingenter rei quæ refertur. Hic paries non ideo refertur ad illum alium quia est id quod est, seu non refertur per suam essentiam, ad illum alium parietem; sed per albedinem sibi & alteri parieti superadditam, aut per modum quendam ad vtriusque albedinis existentiam resultantem. Propterea rectè diximus relationem transcendentalẽ esse essentialem rei quæ refertur; secus prædicamentalem; esse autem essentialem indicatur per hoc ipsum quod sit trãscendentalis, adeoque consistens in prædicato necessario cõueniente cuilibet rei. Intellige, creatę; neque enim nostrum est disputare an etiam Deus transcendentaliter referatur, quod aliqui negãt, aliqui affirmant.

ARTICVLVS II.

De relatione transcendentali.

VNum breuiter examinandum est, hoc articulo, circa relationem transcendẽtalem. An videlicet verum sit quod à multis circumfertur; relationem videlicet transcendentalem consistere in hoc quod implicante termino ipsa etiam implicaret. Pro resolutione.

Tria in relatiuis consideranda sunt: fundamentum, terminus, & ratio fundandi. Fundamentum dicitur id quod ad aliud

se

se habet; terminus est illud aliud: ratio fundandi est ratio illa per quam vnum se habet ad aliud. Exemplum sit in relatione similitudinis quam habent paries *A* & paries *B* inter se; fundamentum est paries *A* qui se habet ad parietem *B*; Terminus est paries *B* ad quem se habet paries *A*: ratio fundandi est albedo in vtroque pariete existens, per quam hic est similis illi. Item in relatione transcendentali creatura quæ refertur ad Deum dicitur fundamentum; Deus ipse ad quem refertur est terminus, dependentia per quam refertur ad Deum est ratio fundandi. Vides in relatione prædicamentali nos asignasse rationem fundandi distinctam à re quæ refertur, secus in relatione transcendentali: in vtraque autem ponimus terminum à re quæ refertur distinctum.

Diuidunt pręterea fundamentum in proximum & remotum, remotum vocant rem illam quæ est ad aliud; proximum illam eandem rem simul cum ratione fundandi: in exemplo superius allato paries *A* est fundamentum remotum, idem acceptus cum vtraque albedine est fundamentum proximum.

Intellecto quid sit terminus in relatione, facile est intelligére dubium propositum, an videlicet relatio trascendentalis consistat in hoc quod implicante termino ipsa etiam implicaret. Partem affirmatiuam sunt qui suadere velint his argumentis. Visio *A* per quam intueor albedinem implicaret implicante albedine: hæc visio est relatio trascendentalis ad albedlnem, ergo implicante termino implicaret relatio. Maior prob. quia imposibile est existere visionem obiecti impossi-

posſibilis; ergò impoſſibilitato tàli obiecto euaderet imposſibilis talis viſio. Minor autem eſt indubitata. Item implicante Deo implicaret quęlibet creatura: quælibet creatura eſt relatio traſcendentalis ad Deum; ergo implicante termino implicaret relatio traſcendentalis. Item implicante tali ſono implicaret potentia perceptiua talis ſoni: huiuſmodi potentia eſt relatiò tranſcendentalis ad talem ſonum; ergo implicante termino implicat relatio. Hæc & infinita huiuſmodi argumenta cōgerunt ad exterminiū relationis tranſcendentalis, termino per impoſſibile exterminato. His non obſtantibus.

Dicendum eſt. Datur relatio tranſcendentàlis ad terminum implicantem. Ex hac concluſione manifeſtum eſt relationem tranſcēdentalem non conſiſtere in hoc quod implicante termino ipſa etiam implicaret. Probatur autem concluſiò euidenter. Omnis cognitio eſt relatio traſcendentalis ad ſuum obiectum: datur cognitiò obiecti implicantis; ergo aliqua relatio tranſcendentalis eſt ad terminum implicantem. Maior admittitur ab omnibus. Minor probata eſt vbi de ente rationis. Diximus enim ibi cognitionem terminari ad Hyrcocerſum, & ad quodlibet aliud impoſſibile.

Ad argumenta quæ propoſita ſunt pro ſententia oppoſita: reſponde tranſmiſſis maiori & minori; negando conſequentiam: vel diſting. conſeqnens: aliqua relatio tranſcendentalis implicante termino implicaret; omitte; omnis relatio traſcendentalis: nega conſequentiam.

Dices. Etiam implicante chimera in eſſe obiecti

obiecti implicaret relatio transcendentalis ad ipsam: chimera solum in esse obiecti est terminus relationis transcendentalis, ergo etiam hæc ipsa relatio quam adducimus pro nostra sententia, implicante termino, implicaret. Maior probatur quia si implicaret chimeram esse obiectum cognitionis, implicaret cognitio chimeræ. Minor etiam probatur, nam chimera nequit terminare cognitionem, nisi per illud esse quod habet: non habet esse aliud quam obiecti, ergo nequit terminare cognitionem, nisi secundum esse obiecti.

Resp. quæstionem non esse an implicante termino in ratione termini implicaret relatio. Est enim euidens vnam rem non posse terminari ad aliam ad quam implicet ipsam terminari. Nam terminari ad non terminum est implicantia in terminis. Dubium est an termino, seu illa re, quæ est terminus, implicante, etiam ipsa relatio implicaret: ad quod respondemus negatiuè: Ex hoc ad argumentum in forma patet quid dicendum sit: nimirum implicante termino reduplicatiue, etiam relationem implicaret, non autem implicante termino specificatiue accepto. *Hinc* si implicet Hyrcoceruum cognosci, implicat cognitionem terminari ad *Hyrcoceruum*: etiamsi autem implicet Hyrco ceruus; non propterea implicat ipsum cognosci: primo modo implicaret in ratione termini: secundo modo solùm implicat.

ARTI-

ARTICVLVS III.

An relatio prædicamentalis sit realis.

DE relatione prædicamentali potissima est apud logicos controuersia. Esse autem hanc non realem, sed rationis non solū multi ex veteribus opinati sunt, sed etiam ex recentioribus non pauci opinantur; apud quos relatio prædicamentalis dicitur relatio secundum dici.

Dicendum est relationem prædicamentalē esse realem. Probatur conclusio quia independenter ab omni actu rationis album *A* est simile albo *B* lignum palmare est inæquale ligno bipalmari. *H*omo albus est dissimilis homini nigro, stultus sapienti, duplum est maius suo dimidio, & dimidium minus duplo. Item præscindendo ab omni actu rationis, Philippus est pater Alexandri, & Alexander filius Philippi; ergo realiter & independenter à nostra ratione dantur relationes similitudinis, inæqualitatis; dissimilitudinis, excedentis & excessi, paternitatis & filiationis: quarum aliç spectant ad primū, aliæ ad secundum genus earum quas refert Philosophus loco citato. Antecedens est manifestum, nā independenter ab omni actu rationis, & nemine cogitante album *A* est tale quale est album *B*: & sic de cæteris. Esse autem vnum simile alteri, nihil aliud est quam vnum esse tale, quale est alterum.

Dices. Argumentum probat dari similitudinem, paternitatem & sic de cæteris non autem dari relationem similitudinis, paternitatis,

tis, &c. Nam relatio consistit in respectu vnius ad alterum, album autem *A* etiamsi sit tale quale est album *B*, non tamen respicit album *B*; igitur etiamsi sit tale, quale est alterum, non tamen refertur ad alterum, sed solum est referibile, fit autem ex referibili relatum per actum intellectus comparantem ipsum cum altero.

Qui sic Philosophantur, per referri nihil aliud intelligunt, quam comparari, vnum autem non comparari cum altero, nisi per actum rationis est manifestum; adeoque si nomine relationis ipsam met comparationem intelligas, extra dubium est, haberi hanc per actum rationis formaliter. Quemadmodum autem isti vim faciunt in hoc verbo *referri*: sic alij vim facient in hoc verbo: *respicere* & dicent quod neque per actum rationis album *A* respicit album *B*: quantumlibet enim aduersarius comparet album *A* cum albo *B*, ipse quidem vtrunque albũ & aspicit; & respicit, neutrum tamen ex albis aspicit aut respicit alterum.

Dicendum est igitur relationem consistere non in comparatione, sed in comparabilitate. Argumentum autem propositum probat dari realiter comparabilitatem, & consequẽter probat dari relationem. Certe independenter ab omni actu rationis Philippus habet meritum vt comparetur cum Alexandro, & Alexander vt cõparetur cum Philippo: quod meritum non habet idem Philippus respectu Ephestionis, nec Ephestio respectu Philippi: hoc meritum dicimus relationem paternitatis in vno, filiationis in altero.

Obijcies. Relatio includit in suo esse præter

ter rationem fundandi fundamentum & terminum, ergo tam fundamentum quam terminus sunt de quidditate relationis: sed tam fundamentum quam terminus fiunt per actū rationis; ergo aliqua constitutiua relationis fiunt per actum rationis: rursus si aliqua cōstitutiua relationis habentur per actum rationis, ipsa relatio non habetur adęquate independenter ab actu rationis, ergo relatio non datur præscindendo ab actu rationis. Probatur minor subsumpta, nam album *A* constituitur in esse fundamēti per hoc quod comparetur cum albo *B*; & album *B* in esse termini per hoc quod album *A* comparetur cum ipso, ergo tam fundamentum quam terminus constituuntur in suo esse per actum rationis. Probatur vltimum hoc antecedens quia tam album *A* quam album *B* est omnino indifferens ad rationem fundamenti vel termini; hoc est, est omnino indifferens ad hoc vt sit fundamentum aut terminus; determinatur autem ad rationem fundamenti, per hoc quod comparetur cum altero; determinandum ad rationem termini si alterum cōpararetur cum ipso.

Hoc argumentum apud aliquos recentiores obtinuit vt relatio prædicamentalis putaretur relatio rationis, & mere secundum dici: Nihil tamen probat nisi relationem inter album *A* & album *B* esse mutuā & consequenter vtrunque extremum sustinere & rationem termini, & rationem fundamenti. Hoc autem vltro concedimus. Ad argumentum in forma omisso toto primo entimemate. nega minorem subsumptam. Ad probationem nega quod vllum extremum constitui-

stituatur in esse fundamenti per hoc quod comparetur. Constituitur per hoc quod sit comparabile. Ad probationem dic prædictã indifferentiam ostendere non quod neutrum ex extremis, sit aut fundamentum aut terminus, nemine cogitante, sed quod vtrunque sit nemine cogitante, & fundamentum & terminus: vtrunque enim est cum altero comparabile.

Dices: ergo sunt duæ relationes. Probabis consequentiam: quia sunt duo fundamenta, & duo termini.

Resp. disting. conseq. sunt duæ relationes physicè: nego consequentiam, logice: omitto consequentiam. Cur & hanc consequentiã & alia superius non concesserim; sed omiserim patebit infra. Interim nota eamdem omnino formam tribuere posse non modo duplicem, sed etiam diuersam denominationẽ, non modo ijsdem sed diuersis extremis: puta in sententia communi non est aliud actio & passio, & tamen illa eadem forma alterum denominat agens, & alterum passum: puta si Socrates vapulet à Platone; illa eadem vapulatio denominabit Platonem verberantẽ, & Socratem verberatum, quę duæ denominationes, quam diuersæ sint, omnes intelligunt.

Obijcies secundò. A parte rei & nemine cogitante nihil datur pręter album *A* & album *B*: hæc duo sunt entia absoluta, ergo nihil datur à parte rei præter absoluta: relatiua opponuntur absolutis; seu diuersa sunt ab absolutis, ergo à parte rei non dantur relatiua.

ARTICVLVS IV.

An relatio prædicamentalis consistat in modo superueniente fundamento ad existentiam termini?

ARgumentum vltimo loco propositum multos ex recentioribus ita mouit vt existimarent relationem consistere in modo quodam, seu in forma modali superaddita fundamento, termino, & rationi fundandi. Hanc autem formam aiunt necessario necessitate metaphysica pullulare in fundamento ad existentiam termini, & rationis fundandi; hoc est in fundamento proximo. Exemplũ sit in relatione similitudinis. Sit Socrates albus, & Callias niger. Hactenus non sunt similes: dealbetur Callias; euadunt similes. Si quæras in quo consistat formaliter relatio similitudinis Socratis ad Calliam: respondent cõsistere in forma modali, quæ ad dealbationem Calliæ pullulauit in Socrate: & quia tam Callias est similis Socrati, quam Socrates Calliæ, ideo etiam in Callia huiusmodi modus pullulat.

In hoc modo aiunt consistere formaliter proportionem, ordinem, conuenientiam plurium inter se, ipsamque vniuersi pulchritudinem; quę nihil est aliud, quam ordo quidam in rebus vniuersum constituentibus. Cætere sine hoc modo accepta non formaliter, sed fundamentaliter dumtaxat ad se inuicem referuntur, seu sibi mutuo proportionantur Puta duo alba præcise secundum se non formaliter, sed fundamentaliter refe-

runtur relatione similitudinis, duo bicubita relatione æqualitatis. Et sic de cæteris Hanc sententiam cum ex Thomistis, tum ex Scotistis plurimi tuentur. Inter recentiores vide P. Maurum quæst. 54. Log.

Modum huiusmodi ex recentioribus multi reijciunt: puta Hurtadus, Arriaga & alij. Ex antiquis inter cæteros D. Thomas quidquid aliter dicant Thomistę. Cum hac secũda sententia stamus. Probamus autem veritatem ipsius primo auctoritate & ratione D. Thomæ opusc. 48. tract. 5. de prædicamento ad aliquid cap. 2. & 3. Socrates euadit similis Calliæ sine vlla sui mutatione, cum antea non esset similis; ergo euadit similis sine receptione vllius formæ de nouo. Consequentia est euidens: quidquid enim recipit formam de nouo siue modalem siue absolutam, mutatur; cum mutari nihil aliud sit quam aliter se habere ac antea. Antecedens autem probatur, quia Socrates euadit similis Calliæ per mutationem in Callia. Si enim supponas Socratem album, non autem Calliam; facies Socratem similem Callię dealbando Calliam: Est autem euidens per hoc quod dealbetur Callias, Socratẽ non mutari.

*H*oc argumentum quod est euidens, est etiam Aristotelis 5. Physic. cap. 5. vbi dicit, ei quod est ad aliquid non esse motum, sed esse ad aliquid, illi contingere ad mutationem alterius, ipso nullam mutationem patiente. Puta contingit Socrati nullam mutationem patienti se habere ad Calliam in ratione similis, vel dissimilis; æqualis, vel inæqualis. Idem dic de Callia respectu Socratis.

Ad

Ad auctoritatem D. Thomæ sunt qui respondeant prædictum opusculum non esse D. Thomæ. De hoc non est disputandum. Cuiuscunque sit, ratio quæ affertur est euidens; nec indiget auctoritate afferentis. Ad auctoritatem Philosophi respondent cum distinctione: Non datur motus ei quod est ad aliquid, hoc est ad relationem, per se: concedunt, non datur motus per accidens: negant. Callias dũ dealbatur mouetur seu mutatur per se, ad mutationem autem Calliæ per accidens consurgit in Socrate modus relatiuus ipsius ad Calliam: præscindendo autem à tali modo habes Socratem relatum Calliæ, non formaliter, sed fundamentaliter, hoc est habes relationem non formalem, sed fundamẽtalem.

Sed contra est: quia quæ ponuntur ab aduersario pro relatione fundamentali, sufficientissima sunt pro relatione formali; ergo ista distinctio est inanis. Antecedens probatur quia per hoc præcise quod Callias fiat æque albus ac Socrates; vere & proprie datur similitudo inter Calliam & Socratem, ergo non solum datur fundamentum similitudinis. Antecedens probatur quia præcise posita albedine in vtroque vnus est talis, qualis est alter, quod est esse similes. Siue, per hoc præcise quod albedo in vtroque ponatur, huiusmodi extrema sustinent definitionem similium: similia sunt quorum qualitas vna. Hinc formas aliud argumentum Aristotelicum: similitudo secundum quale est vnitas qualitatis in pluribus: sed per hoc præcise quod & Socrates & Callias, sint albi vt sex, datur vnitas qualitatis in pluribus, ergo da-

tur similitudo. Dari hanc vnitatem manifestum est ex dictis, cum huiusmodi vnitas habeatur per actum præcisiuum & abstractũ seu abstrahentem à pluralitate. Eo enim ipso quod albedo vt sex est in Callia, & albedo vt sex in Socrate, potest abstrahi ratio albedinis vt sex communis vtrique & ab vtraque præscindens. Ex quo apparet vtramque albedinem, quæ est vnitas fundamentalis, iuxta dicta in tractatu de vniuersalibus, esse formalem similitudinem. Quæ enim sunt formaliter similia, fundamentum prebent vt vno conceptu confundantur, vt dictum est.

Quod diximus de relatione similitudinis, dic de quacunque alia proportionaliter. Per hoc præcise quod Philippus genuerit Alexandrum, est formaliter & non fundamentaliter solum pater Alexandri: & per hoc præcise quod Philippus sit genitus ab altero, est formaliter filius alterius: hoc autem præcise intellecto non intelligis pullulationem vllius modi supra fundamentum, terminum & rationem fundandi, ergo habes conceptum adæquatum paternitatis & filiationis, nullo huiusmodi modo intellecto: quotiescunque autem aliqua ratione non intellecta habetur aliquis effectus formalis, toties illa ratio non requiritur ad talem effectum formalem; ergo modus ille non requiritur ad paternitatem aut filiationem: ipsa autem paternitas, & filiatio sunt ipsa formalis relatio, hæc filiationis, illa paternitatis. Tenendum est id quod vltimum diximus. Facile enim impinges in mortales quosdã, qui paternitatem vltro tibi dabunt à parte rei, negabunt autem relationem paternitatis.

Contra

Contra hos dictum est supra. Per hoc enim quod detur ista paternitas datur comparabilitas vnius cum alio vt Patris; & per hoc quod detur filiatio datur comparabilitas alterius cum ipso vt filij cum Patre. Sicut diximus de similitudine, æqualitate, &c.

Vt vides æque absurdum est apud nos Philippum non esse formaliter Patrem Alexandri per hoc præcise quod genuerit Alexandrum, ac non dari relationem paternitatis formaliter præcise per hoc, quod Philippus genuerit Alexandrum. Probatur quia est æque absurdum non dari formaliter paternitatem, ac Philippum non esse formaliter Patrem: est autem æque absurdum non dari formaliter relationem paternitatis, ac non dari formaliter paternitatem; cum paternitas ipsa, vt dictum est, sit relatio paternitatis: hoc est ratio formalis per quam vnus meretur comparari cum alio vt Pater cum filio. Hæc omnia reducuntur ad vetustum hoc & verum proloquium: *non sunt multiplicanda entia sine necessitate*: nulla est necessitas modi, de quo dictum est; ergo huiusmodi modus non est numerandus inter ea quæ sunt. Minor probata est satis abunde. Certum est enim aliam comparabilitatem habere album cum albo, quam album cum nigro, etiam nihil concipiendo nisi quod hic vtrunque est album; ibi vnum est album, & alterum nigrum. Prima conparabilitas est similitudo; secunda est dissimilitudo. Item: certum est Philippum per actionem generatiuam habere aliam comparabilitatem cum Alexandro quam cum Ephestione vel aliquo alio. Hæc comparabilitas est in ratione

patris

patris ad filium; quam comparabilitatem relationem vocamus. Maior autem, quæ consistit in prædicto proloquio sic explicatur. Vbi ad habendam aliquam denominationem non datur indigentia huius vel illius rationis, ibi non est admittenda hæc nec illa ratio. Puta fac aliquem dicere, & obstinate dicere, hunc parietem esse per albedinem, nō formaliter, sed fundamentaliter album: cōsurgere autem necessario necessitate metaphysica ad positionem albedinis aliam formam, per quam formaliter est albu-: Quomodo hunc impugnabis; nisi dicendo quod ad effectum formalem albi non datur vlla necessitas vllius alterius formę, quam albedinis in pariete? hoc autem probabis ijsdem omninò argumentis quibus probauimus ad similitudinem, seu relationem similitudinis non dari vllam necessitatem modi pullulantis in fundamento.

Contra modum hactenus impugnatum infinita alia congeruntur. Primò quod ad productionem de nouo cuiuslibet entitatis fit mutatio intrinseca in omnibus omnino entibus vniuersi. Puta si nascatur hic musca, huic coexistunt quæcunque existunt, & consequenter habent relationem coexistentiæ; hæc relatio fit per receptionem modi; ergo quotquot sunt in mundo, recipiunt formam modalem intrinsecam de nouo: atque hic exaggerant hoc potissimum, quod musca quę nascitur Romæ, eo ipso determinet Garamantas & Indos vt in se producant aliquid de nouo. Secundò aiunt in prædictis modis dari processum in infinitum. Nam non solum Socrates est similis Calliæ, Callias Socrati,

erati, sed modus ipse qui in Callia est, similis est modo qui in Socrate, ergo inter hunc & illum modum datur relatio similitudinis, Rursus hæc ipsa similitudo est similis alteri similitudini, illa alteri, & sic in infinitum. Cætera sponte omittimus.

Ad hæc autem quę dicta sunt, aduersarij respondent concedendo totum quod dicitur in primo, videlicet omnia mutari ad mutationem cuiuslibet, & in hoc ipso mirabiliter philosophantur de pulchritudine vniuersi, quæ præcipue consistit in perfecta illa connexione & correspondentia, quam singula cum singulis & omnibus habent. Circa secundum negant processum in infinitū. Aiunt autem modum relationis esse non solum relationem fundamenti ad terminum, sed etiā sui ad quemlibet alium modum, ad quem referatur. Exemplificant in modo vbicationis, qui quamuis sit modus superadditus rei quam locat, siue vbicat, & ipse etiam sit in loco, non tamen indiget alio modo per quē sit in loco. Ratio est quia non solum est in loco, sed est ipsemet formaliter locus; adeoque seipso essentialiter determinatus esse hic. Similiter vt causa producat effectum indiget actione distincta à se & effectu; ipsa tamen actio non alia actione ponitur in rerū natura, quia est essentialis determinatio non solum alterius, sed etiam sui ad esse. Sic etiam, aiunt, modus relationis est relatio sui, & alterius: quia alterius, est alteri superadditus; quia sui, non indiget alio modo, quo referatur.

Hæc omnia longam peterent impugnationem: sufficiat indicare non maiorem indif-

ferentiam dari ad similitudinem inter albũ *A* & album *B* præcise secundũ se cõsiderata; quam detur inter modum *A* & modum *B*. In tantum autem ad hoc vt sim hic requiritur vbi per quod sim hic, in quantum sum indifferens vt sim hic vel non non sim hic. Item intantum ad producendum effectum requiritur actio superaddita, in quantum est indifferens vt procedat vel non procedat ab hac causa. Cæterum si & in me quoad esse hic, & in effectu quoad esse ab hac causa, eadem daretur determinatio, quæ datur & in vbi vt sit ipsum hic, & in actione vt sit ab hac causa, neque in me requireret aduersarius vbi superadditũ, nec in effectu vel causa actionem distinctam. Dari autem determinationem talem ad similitudinem per hoc præcise quod existant duo alba, probatum est satis.

ARTICVLVS V.

An relatio habeatur formaliter per solum fundamentnm proximum.

SVarius disp. 47. Metaph. sect. 2. num. 22. sentire videtur totam essentiam relationis in solo fundamento proximo sitam esse; ita vt relatio similitudinis v. g. qua Socrates refertur ad Calliam, tota sit in Socrate. Hæc sententia sic intellecta reijcienda est.

Ratio, cur hæc sententia non arrideat, est quia deficiente albedine in Callia non remanet similitudo inter Socratem & Calliam; ergo tota similitudo non est in solo Socrate.

Ante-

An tecedens est manifestum; consequentia autem est euidens; nam implicat remanere id quod est tota relatio, & non remanere relationem; ergo si Socrates solus cum sua albedine est tota relatio, implicat remanente Socrate albo non remanere relationem.

Quamuis hoc sit perspicuum explicatur tamen vlterius & probatur: similia sunt quorum qualita vna, deficiente albedine in Callia, perseuerante vero in Socrate, Socratis & Calliæ non est qualitas vna, ergo non est amplius similitudo inter Socratem & Calliam, siue Socrates & Callias nō sunt amplius similes. Maior est definitio similiū: minor est innegabilis. Hoc idem argumentum de similitudine in abstracto, sic forma. Similitudo est vnitas qualitatis in pluribus: deficiente albedine in Callia non datur ampliùs vnitas qualitatis in Socrate, & Callia; ergo non datur ampliùs similitudo. Quod si replicet aduersarius deficiente albedine in Callia non esse ampliùs similes inter se Socratem, & Calliam; Socratem tamen esse similem Calliæ: non intelligit quid sit esse simile: simile enim est denominatio essentialiter reciprocà.

Dices: deficiente albedine in Callia Socrates, est similis quantum est ex se Calliæ; ergo in Socrate datur tota similitudo. Antecedens probatur, quia ad similitudinem nihil requiritur ex parte Socratis; per hoc enim præcisè, quod Calliæ restituatur albedo, euadet simpliciter, & sine addito similis.

Resp. hoc argumento probari Socratem esse similem non solùm Calliæ, sed etiam

Aethiopi. Probabis autem, quia ex parte Socratis nihil requiritur ad hoc, vt sit similis Aethiopi: quandoquidem ablata nigredine â vultu Aethiopis; & nulla mutatione facta in Socrate, hic est similis illi. Atque vt vides hoc modo relatio similitudinis datur inter dissimilia, quandoquidem quodlibet ex dissimilibus per mutationem alterius extremi fit simile, adeoq; quantum est ex se est simile suo dissimili. Igitur transmisso antecedenti: nega consequentiam.

Dices Socratem album, vt sit similis Calliæ, requirere in Callia albedinem, non tamen vt constitutiuam relationis, seu similitudinis, sed vt connotatum extrinsecum, quo deficiente deficit consequenter saltem denominatiuè relatio. Quod autem ad defcientiam connotati deficiat etiam ratio tale connotatum exigens; non est nouum: multa enim connotata sunt essentialiter requisita ad rationes connotantes. Exempla huiusmodi rationum habes in hac ipsa quæstione. Relatio transcendentalis est adæquatè intrinseca rei, quæ refertur, adeoq; identificata cum fundamento; & tamen deficiente termino, qui purè connotatur, ipsa etiam deficit; puta implicante sono A, implicat potentia perceptiua soni A. Implicante musca implicat potentia effectiua muscæ: implicante albedine implicat visio albedinis; & tamen nec possibilitas soni A, constituit potentiam perceptiuam sui, nec possibilitas muscę, potentiam sui effectricem, nec albedo visionem, per quam attingitur; sed & sonus, & musca, & albedo purè connotantur per huiusmodi relationes transcendentales.

Igi-

Igitur commune est, & constitutiuis,& connotatis, quod ad deficientiam ipsorum deficiat res,vel constituta, vel connotans.

Resp. committi hic ab aduersario ęquiuocationem circa hoc verbum: *Deficere.* Deficiente, seu implicante albedine, ità implicat visio albedinis, vt non maneat in rerum natura actus ille, qui est visio albedinis. Item implicante musca non datur in natura, nec dari potest illa eadem potentia, quę est potentia effectiua muscę. Idem dic de ceteris; at etiam deficiente albedine in Callia remanet ratio illa, quę est relatio, seu similitudo. Implicat autem remanere rem, seu rationem illam, quę per seipsam adęquatè est relatio,& non remanere relationem,Hinc apparet manifesta disparitas inter relationes transcendentales, quas adducit aduersarius, & relationem prędicamentalem similitudinis inter Calliam, & Socratem. Deciente termino deficit relatio transcendentalis per deficientiā rei, quę est relatio transcendentalis; quia implicante tali termino implicaret res,quę ad talem terminū terminatur: at deficiente albedine in Callia deficeret in Socrate similitudo, seu relatio perseuerante illa re, quę est relatio. Propterea albedo ipsa, quę est in Callia non habet puram rationem connotati extrinseci; secus quilibet terminus cuiuslibet relationis trāscendentalis:ad deficientiam huius deficit relatio non formaliter per deficientiam ipsius, sed consequenter: ex eo enim quod implicet albedo,implicat visio albedinis. Ex deficientia autem, & per deficientiam albedinis in Callia deficit formaliter similitudo Socra-

tis cum Callia, quia per vtramq. & non per vnicam albedinem huiusmodi similitudo habetur. In primo casu non remanet res,quę est relatio , & propterea dicimus non remanere relationem. In secundo vult aduersarius remanere rem, quę est relatio , non autem relationem: Nos autem dicimus : si remanet res, quę est relatio , remanet relatio: non remanet relatio; ergo neque res, quę est relatio.

ARTICVLVS VI.

Respondetur obiectionibus.

ANtequam statuamus, in quo tandem consistat relatio pręedicamentalis satisfaciendum est Modalistis ; qui

Obijciunt primo. Relatio est perfectio intrinseca fundamento ; ergo consistit in modo superaddito. Antecedens probatur , quia est aliqua perfectio equi *A* , quod sit similis equo *B* ; ergo perfectio relatiua est perfectio intrinseca fundamento. Secundum antecedens probatur: quia quod sit similis equo *B* facit quod pluris ęstimetur ab habente equum *B*,& pluris ematur, vt simul cũ equo *B* trahat rhedam . .

Resp. equum *A* per hoc , quod sit similis equo *B*, quantum est ex se , hoc est secundum illam partem formę , in qua consistit similitudo , esse aliquando meliorem, aliquando deteriorem, adeoq. rationem similitudinis esse illi indifferentem. Si equus *B* est pulcherrimus equus , bonum est equo *A* illi assimilari;si malus;malum. Quod autem habens

bens equum *B* pluris emat equum *A* ob similitudinē, nō cōmendat perfectionem equi *A*: non enim emitur pluris in tali casu, quia perfectior, sed quia magis idoneus ad aliquos fines, quos emptor sibi constituit. Hinc patet negandum antecedens, ad probationem distingue antecedēs: pluris æstimatur ob fines extrinsecos emptoris: omitto pluris æstimatur æstimabilitate intrinseca: nego. Vel si vis: pluris æstimatur æstimabilitate intrinseca: nego: extrinseca: omitto. Aestimabilitas in tali casu non est in ipso adæquatè ratione sui, sed partim ratione sui, partim ratione alterius. Certum est equum absolutè meliorē illi in tali casu postponendum.

Aduertendum est autem in hac materia nullum fere fieri argumentum, quod non possit retorqueri contra arguentes; ostendendo in relatione, vt vocant, fundamentali totum id, quod intendunt per relationem formalem, puta per hoc ipsum, quod equus *A* sit similis fundamentaliter equo *B* pluris æstimatur, & emitur ab habente equum *B*, igitur ipsa met relatio fundamentalis est aliqua perfectio distincta à perfectione absoluta, quæ est in eodem equo. Hoc idem apparebit in omnibus alijs argumentis.

Obijciunt secundo. Duo extrema non referuntur ad se inuicem intentionaliter per duos conceptus absolutos; ergo neque referuntur ad se inuicem obiectiuè per duas formas absolutas. Antecedens explicatur: vt compares Socratem, & Calliam formaliter non sufficiunt isti duo conceptus: *Socrates albus*: *Callias albus*: sed requiritur vnus conceptus indiuisibiliter vtrumq. attingens, v.g.

v.g. *Socrates, est talis qualis est Callias*, vel *Et Socrates, & Callia est albus*: igitur ad relationem obiectiuam non sufficient duæ formæ absolutæ, quales sunt duæ albedines, vna in Callia, & altera in Socrate; sed præterea dari debebit vna forma modalis, quæ sit nexus vtriusq. extremi, & respondeat illi nexui intentionali significato per particulam, *Et*, *sicut*, & alias huiusmodi. Probatur consequentia, quia modus essendi realiter, & modus essendi intentionaliter, debent proportionari.

Resp. primò hoc argumentum retorqueri contra relationem fundamentalem: hanc enim vt cognoscas, non sufficit te habere duos conceptus absolutos: siue vt dicas Socratem, & Calliam esse fundamentaliter similes non sufficit te habere hos conceptus: *Callias albus*: *Socrates albus*; ergo etiam ad relationem fundamentalem, est insufficiens duplex forma absoluta, hæc in vno, illa in altero extremo.

Resp. secundò concesso antecedenti: negando consequentiam. Ad probationem dic conceptus proportionari obiectis: non in omnibus, sed secundum propriam rationem conceptuum. Actus copulatiuus: *Petrus, & Paulus*: disiunctiuus: *Petrus, vel Paulus*, non differunt obiecto, & tamen differunt ex modo: vterq. dicitur proportionari obiecto; prout affirmat, vel negat, quod conuenit, vel disconuenit. *Petrus, & Paulus est doctus*: est propositio vera si vterq. est doctus: *Petrus, vel Paulus est doctus*, vera est vtrolibet indocto, dummodo alter doctus sit: disiunctio igitur, & copulatio sunt aliquid

ex parte actus, non autẽ ex parte obiecti: copulandi autem fundamentum dat doctrina in vtroq. quæ nihil aliud est, quam hæc, & illa doctrina; disiungendi autem, doctrina in vtrolibet.

Eodem modo actus comparatiuus differt à non comparatiuo; sed comparationi vt vera sit sufficit ex parte obiecti hæc, & illa albedo in hoc, & illo subiecto, adeoq; vtraque albedo est comparabilitas vnius extremi cum altero. Constat enim, quod eo ipso quod Socrates ęquè est albus, atque Callias dant intellectui fundamentum dicendi: hic & ille sunt similes in albedine.

Obijciunt tertiò, Socrates, & Callias sunt indifferentes, vt sibi coexistant, vel non coexistant; ergo per aliquid distinctum ab vtroq. & ab existentia vtriusq. sibi coexistunt. Consequentia probatur, quia quotiescumq. dato vtroq. extremo remanet indifferentia ad aliquam denominationem, non habetur formaliter talis denominatio per vtrumq. extremum: sed data vtraq. existentia, videlicet Socratis, & Calliæ, datur indifferentia ad coexistentiam; ergo coexistentia non habetur per vtramque existentiam: debet ergo dari aliquid supra existentiam vtriusq. quod sit vtriusq. coexistentia. Probatur iam anteeedens: quia si detur nunc existentia Socratis, & cras existentia Calliæ, habes in natura vtramq. existentiam, nec habes propterea per hoc formaliter coexistentiam.

Resp. concedendo totum. Præter vtramq. existentiam pone pro coexistentia formali id quod aduersarius dabit pro coexistentia fun-

fundamentali: per vtramq. existentiam, quarum altera detur hodie, altera cras, neque fundamentalem coexistentiam habes. Hanc vt habeas requirit insuper aduersarius, vt vtraq. illa existentia sit in eodem instanti, hoc est in vtroq. extremo durationem, per quam sint in eodem tempore. Hoc autem quod ab ipso ponitur pro relatione fundamentali, tibi sit pro formali.

Objiciũt quartò. Per relationem similitudinis, idem dic de relatione æqualitatis, plura fiunt vnum: nequeunt fieri vnum, nisi per aliquam formam, quæ sit ratio faciendi ex pluribus vnum; ergo ad relationem similitudinis requiritur aliqua forma huiusmodi: hæc forma est modus; ergo requiritur modus. Minor subsumpta probatur, quia hæc forma debet esse forma simplex indiuisibiliter connectens vtrumq. extremum.

Resp. breuitatis causa, negando maiorem. Quæ sunt plura non fiunt vnum, neque materialiter, neque formaliter per hoc, quod sint, aut appareant similia: immò similitudo est plurium formaliter.

Dices. Quamuis sint plura similia, est tamen vna similitudo. Item quamuis sint plura æqualia, est tamen vna ęqualitas, & sic de cæteris; ergo & similitudo, & ęqualitas debet haberi per aliquam formam vnam, & simplicem.

Resp. transmisso antecedenti: negando consequentiam: potest enim vna similitudo constitui per formam existentem partim in vno, partim in altero ex similibus, adeoq. per formam non vnam, sed duplicem.

ARTI-

ARTICVLVS VII.

In quo consistat Relatio.

DIctum est supra in relatione tria esse consideranda: duo videlicet extrema, quorum vnum se habet ad alterum, & rationem fundandi, hoc est rationem, qua vnum se habet ad alterum. Sunt qui relationem prædicamentalem consistere putent in his tribus. Iuxtà hanc sententiam Socrates, & Callias cum albedine vtriusq. erunt, habitudo Socratis ad Calliam, & vicissim Calliç ad Socratem, vt similium; siue: erunt relatio similitudinis vtriusq. ad vtrumq. Philippus Alexander, & actio generatiua, per quam Alexander procedit à Philippo, erunt relatio paternitatis Philippi ad Alexādrum filiationis Alexandri ad Philippum.

Dicunt autem tria hæc esse relationem, non quomodocumq. sed ita accepta vt fundamentum in recto, cætera veniant in obliquo; ità paternitas Philippi erga Alexandrum, erit Philippus cum actione generatiua Alexandri. Si hęc tria importares in recto: Philippus, actio generatiua, & Alexander, negarent in his consistere relationem: vsque adeò verum est magni interesse non solùm quid dicatur, sed quomodo dicatur.

Contra huiusmodi sententiam opponi solet: rectum, & obliquum non est in rebus, sed est aliquid consistens in modo concipiendi, vel in modo dicendi; relatio prędicamentalis in sui conceptu quidditatiuo includit rectum, & obliquum, seu accep-

tio-

tionem huius in recto, illius autem in obliquo; ergo relatio prędicamentalis includit in sui conceptu quidditatiuo actum intellectus, vel modum dicendi: & consequenter non est adęquatè à parte rei.

Huic argumento sic respondent: rectum, & obliquum formaliter non sunt in reous: concedo; fundamentaliter non sunt in rebus; nego. Quamuis in rebus ipsis non detur rectum, & obliquum, datur tamen in rebus ipsis meritum, vt vna importetur in recto, altera in obliquo; in hoc autem merito consistit relatio: putà quamuis in Philippo, aut Alexandro non detur neque rectum, neque obliquum, quæ sunt rationes grammaticales, tamen actio, per quam Philippus genuit Alexandrum dat fundamētum faciendi hanc phrasim: Philippus genuit Alexandrum, & hanc aliam: Philippus est Pater Alexandri: & hanc aliam Alexander est filius Philippi. Per has phrases explicas formaliter relationem vnius ad alterum, quam non explicas, dum dicis: Philippus, Actio generatiua, & Alexander: quamuis re ipsa id omne attingas, per quod habetur relatio. His positis.

Nostra sententia est relationem prædicamentalem consistere in sola proxima, & adæquata ratione fundandi. Probatur conclusio ex definitione relationis præinsinuata. Relatio est ratio, seu forma, per quam vnum se habet ad aliud: sola proxima, & adæquata ratio fundandi est ratio, seu forma per quam vnum se habet ad aliud, ergo sola proxima & adæquata ratio fundandi est relatio: Minor probatur considerando in

varijs relatis solam proximam & adæquatã rationem fundandi. In Philippo & Alexandro considera actionem generatiuam: in Socrate & Callia considera albedinem vtriusq. in Italo & in æthiopę considera huius nigredinem,& illius albedinem. In actione generatiua habes rationem seu formam,per quam Philipphus se habet ad Alexander vt pater ad filium: In albedine tam Socrati quam Calliæ vnità, rationem seu formam,qua Socrates ad Calliam se habet, vt similis ad similem; in albedine Itali & nigredine æthiopis, rationem, per quam vnus se habet ad alterum vt dissimilis ad dissimilem: igitur apparet in ratione proxima & adęquata fũdandi dari relationem.

Probatur hoc idem: quia relatio consistit in merito comparandi hoc vel illo genere comparationis vnum extremum cum alio: hoc meritum habetur formaliter per proximam & adæquatam rationem fundandi; ergo relatio habetur formaliter per proximam & adæquatam rationem fundandi. Minor patet ex dictis; meritum enim dicendi Philippus est pater Alexandri, adeoque ponendi Philippum in recto, & Alexandrum in obliquo habetur formaliter per actionem generatiuam, qua Philippus genuit Alexandrum, & sic de cæteris.

Denique patebit conclusio ex responsione ad obiectiones.

ARTICVLVS VIII.

Satisfit obiectionibus.

OBijcies primò. Si relatio consisteret in sola proxima ratione fundandi posset absolute dari relatio, non dato relatiuo; consequens est absurdum; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur quia relatio huius albi ad aliud album consistit in vtraque albedine: vtraque autem albedo potest existere de potentia absoluta non existente vllo albo; ergo potest existere relatio non existente relatiuo.

Resp. primò quod si totum dares nihil dares: an enim absurdius est dari relationem sine relatiuo, quam albedinem sine albo? Dari autem albedinem sine albo est possibile simpliciter: quandoquidem possunt per diuinam omnipotentiam dare accidentia sine subiecto. Si relatio consisteret in forma modali esset impossibile dari hanc nō dato subiecto, adeoque, non dato relatiuo, quia vt supponimus hic ex communi, formæ modales, neque de potentia Dei absoluta, existere possunt separate à subiectis, quorum sunt formæ.

Resp. secundò, negando maiorem: ad probationem nega relationē consistere in vtraq; albedine præcise accepta; dic autem consistere in vtraque albedine simul cum vnione ad vtrumque extremum: impossibile autem est dari vtramque vnionem huius & illius albedinis, cum hoc & illo extremo; quin detur hoc & illud extremum; cum implicet albe-

albedinem actu vniri subiecto, quod actu nō sit: ipsa vnio, per quam albedo vnitur subiecto, est forma modalis, quam impossibile est existere quin actu vniat hanc albedinem huic subiecto.

Dices: ergo ad relationem preter rationem fundandi requiritur hoc & illud extremum. *Hæc* consequentia petit relationem similitudinis, equalitatis, & alias huiusmodi.

Resp. distinguendo consequens: præter rationem fundandi requiritur vtrunque extremum per modum subiecti: concedo; per modum constitutiui relationis: nego consequentiam. Relatio consistens in vtraque albedine & etiam si vis vtriusque vnione requirit subiectum in quo sit, sicut & quodlibet accidens. Non tamem constituitur in esse relationis per subiectum huiusmodi; sicut nullum accidens est id quod est, per subiectum in quo recipitur; imo accidens dat esse hoc vel illud: puta esse quantum, esse quale suo subiecto; relatio suo subiecto dat esse relatum, seu relatiuum, seu ad aliquid.

Obijcies secundo si relatio similitudinis consisteret in vtraque albedine sequeretur quod crescente vtraque albedine cresceret similitudo; consequens est euidenter falsum; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur quia ex duobus identificatis implicat vnum crescere realiter altero realiter non crescente; ergo si relatio similitudinis identificetur cum vtraque albedine; implicat vtramque albedinem crescere, & relationem ipsam similitudinis realiter non crescere.

Mi-

Minor autem probatur quia si paries *A* & paries *B* sit vterque albus vt quinque,& deinde vtrique addas vnum & alterum gradum albedinis, manifestum est vtramque albedinem crescere; sed & manifestum est non crescere similitudinem : nam album vt septem non est magis simile albo vt septem, quam album vt quinque albo vt quinque. Quod dictum est de similitudine,dic de æqualitate: crescit enim vtraque qnantitas æqualium,nō crescente æqualitate: nam duæ mensuræ ambæ tripalmares nō sunt magis æquales, quā duæ ambæ palmares: tam enim vnus vniquā tres tribus palmi congruunt.

Resp. hoc argumentum nihil valere quia valet contra aduersarium. Relatio fundamentalis identificatur realiter cum vtraque albedine,cum vtraq. quantitate ; ergo implicat vtramq; albedinem, vtramq. quantitatem crescere non crescente relatione fundamentali : manifestum est autem similitudinem aut æqualitatem fundamentalem nō esse maiorem inter duo alba vt septem, quā inter duo alba vt quinque, &c. Igitur manifestum est crescente vtraq. albedine, non crescere relationem fundamentalem similitudinis. Quod aduersarius dicet in fauorem relationis fundamentalis dic & tu pro formali.

Dicit autem aduersarius quod quamuis crescat fundamentum similitudinis materialiter acceptum,videlicet vtraque albedo:non tamen crescit secundum illam rationem, secundum quam fundat similitudinem : quæ ratio consistit in hoc quod tantumdem sit albedinis in vno extremo, quantum in alte-

ro.

ro. Hoc autem æque habes inter duo alba vt quinq. ac inter duo alba vt septem: tam enim quinq. sunt tot, quot quinque, quam septem sunt tot, quot septem, & ratio torquotteitis consistit in indiuisibili. Hæc responsio est optima, sed iugulat argumentum aduersarij; quemadmodũ enim apud ipsum, fundamentum similitudinis, non est vtraque albedo secundum rationem præcisam albedinis, sed secundum identitatem mensuræ; ita apud te ipsa met similitudo formalis nõ consistit in vtraque albedine præcise accepta, sed in vtraque cum identitate mensuræ. Ex his patet ad argumentum in forma: crescente vtraque albedine secundum præcisam rationem albedinis cresceret relatio: nega, secundum rationem secundum quam vna est tanta, quanta est altera: concede, & sic de cæteris. Aliquando contingit per incrementũ aliquando per decrementum albedinis in altero extremo similitudinẽ augeri. Si enim vnum extremum sit album vt quinque, alterum sit vt septem, augebis similitudinem vel per incrementum in albo vt quinque; vel per decrementum in albo vt septem. Hæc omnia patent ad oculum.

Aduerte obiter totum argumentum supra factum posse aliqualiter euincere augeri similitudinem, sed pure materialiter & extensiue. Certum est enim similitudinem in albedine vt septem esse materialiter & extensiue maiorem quam similitudinem in albedine vt quinque: quia alba vt septem assimilantur secundum plures gradus, quam alba vt quinque. Quia tamen in similitudine & ad similitudinem id vnum attenditur vt

vnum attenditur vt vnum sit tale quale est alterum; & tam album vt quinque est tale quale aliud album vt quinque; quam albuũ vt septem est tale, quale est aliud album vt septem; propterea est simpliciter negandum ad incrementum vtriusque albedinis augeri similitudinem, quia id in quo consistit similitudo non crescit secundum illam rationem, secundum quam est similitudo.

Obijcies tertio Si relatio consistat in ratione fundandi possem amare licite malitiã Iudæ: consequens est absonum; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur quia si relatio consistit in ratione fundandi, relatio dissimilitudinis inter Petrum & Iudam cõsistit in bonitate Petri, & malitia Iudæ; ergo quicunque potest licite amare dissimilitudinem inter Petrum & Iudam; potest amare licite tam malitiam Iudæ, quam bonitatem Petri: sed quilibet potest amare dissimilitudinem Petri a Iuda; ergo quilibet potest amare licite malitiam Iudæ. Probatur hæc & alia superior consequentia: quia quicunque amat dissimilitudinem, amat constitutiua dissimilitudinis; sed vnum ex constitutiuis est malitia Iudæ; ergo quicunque amat dissimilitudinem, amat malitiam Iudæ.

Hoc argumentum & alia huiusmodi infinita dissoluitur per id quod dictum est sub initium huius quæstionis. Sunt aliquæ relationes quæ dicuntur æquiparantiæ, eo quod tribuant singulis extremis vnam eamdemque denominationem. Ex hoc quod vtrique extremo conueniat tota denominatio sequitur relationem quamuis non formaliter, denominatiue tamen esse totam in quolibet ex-

tre-

tremo: ita in casu posito Petrus simpliciter dicitur dissimilis Iudæ, & Iudas simpliciter dissimilis Petro: & consequenter dissimilitudo est in Petro simpliciter, & simpliciter in Iuda. Ex his ad argumentum in forma nega sequelam maioris. Ad probationem distingue: qui amat dissimilitudinem denominatiue amat omnia constitutiua dissimilitudinis: nega; qui amat dissimilitudinem formaliter, amat omnia constitutiua: omitte, vel iterum distingue: qui amat dissimilitudinem absolute, amat omnia constitutiua: omitte; qui amat dissimilitudinem ex suppositione vnius partis, amat omnia constitutiua: nega. Supposita malitia Iudæ amo licite dissimilitudinem cuiuslibet hominis cũ ipso, quia hoc ipsum est amare bonum: est enim simpliciter bonum ex suppositione malitiæ ceteros homines ipsi dissimilari. Vbi nota ex duabus matribus, quarũ vni sit filius bonus, & alteri malus, alterã sapiẽter dictũrã: mihi displicet dissimilitudo filij mei cum tuo, alteram autem: mihi vero placet dissimilitudo mei cum tuo: ratio est quia quamuis sit vna eademque dissimilitudo existens partim in vno, partim in altero, tamen in quolibet est tota denominatiue, & in quolibet consideratur secundum partem quã contribuit tali dissimilitudini: quia vero vnus ad talem dissimilitudinem confert bonitatem, alter malitiam; ideo vnius dicitur placere matri; alterius vero displicere dissimilitudo.

Obiicies quarto. Pœna in ratione pœnæ, est aliquod bonum amabile vindicidelictorum: nisi ratio pœnæ consisteret in modo su-

peraddito relationis prædicamentalis non esset huiusmodi; ergo ratio pœnę habetur per modum huiusmodi. Maior probatur quia vindex publicus licite & prudenter amat pœnam qua puniuntur delicta, & ipsa met inferorum supplicia amantur à Deo, quia sunt pœna scelerum commissorũ. Probatur iam minor quia si ratio pęnæ non consistit in modo, prædicto, pęna in ratione pęnę constituitur per delictum: si autem constituitur per dilectum, non potest amari; ergo si non consistit in modo, non potest amari; probatur minor, quia implicat amari pœnam sub ratione formali pœnæ, & non amari rationem formaliter constitutiuam pœnæ: sicut implicat v. g. appetere dulce sub ratione dulcis, & non appetere dulcedinem ipsam, quæ est ratio per quam dulce formaliter est dulce.

Resp. concessa maiori negando minorem. Ad probationem nega quod si pœna non est formaliter pœna per modum relationis superadditum, sit pœna formaliter per delictũ. Pœna cõstituitur formaliter in ratione pœnæ per relationem quidem distinctam à malo, quod infligitur & denominatur pœna: sed huiusmodi relatio est transcendentalis; consistit enim in actu intentionali ordinante malum prædictum, quod infligitur, ad deletionem vel compensationem culpę admissę: omnis autem actus intentionalis est relatio trãscendentalis ad obiecta, quæ respicit. Puta suspendium quod infligitur Latroni ob homicidium, vel aliquod aliud scelus huiusmodi, induit rationem penæ ab actu vindicis, quo ordinatur ad compensandum ali-

quo modo delictum, non futurum pœna sine tali ordinatione. Suspendium enim, & quodlibet aliud huiusmodi malum, secundum se non habent rationem pœnæ. Ex his patet ad argumentum, Concede amari pœnam & rationem constitutiuam pœnæ: nega amari delictum, hoc enim non constituit pœnam, sed præsupponitur & connotatur ab eo, quod habet rationem pœnæ; & à ratione ipsa per quam malum constituitur in ratione pœnæ. Non ast autem absurdum ex suppositione culpæ amari pœnam & rationem formaliter constitutiuam pœnæ.

Dices. Non solum amatur pœna, sed æqualitas inter pœnam & culpam; æqualitas inter pœnam & culpam constituitur per ipsam culpam; ergo amatur culpa. Minor probatur quia ęqualitas habetur formaliter per hoc quod tanta sit pœna quanta est culpa; iuxta illud: quantum fuit in delicijs, tantum date illi tormentorum; hoc autem non habetur neque per culpam solam, neque per solam pœnam sed; per vtramque. Probatur iam consequentia quia qui amat æqualitatem amat constitutiua æqualitatis.

Resp. de æqualitate idem dicendo, quod dictum est supra de dissimilitudine: æqualitas est in vtroque extremo denominatiue, quamuis formaliter nō sit in vtroque simul: hinc potest amari æqualitas ratione vnius extremi, absque eo quod ametur ratione alterius: tota æqualitas formaliter non amatur, sed partim amatur & partim odio habetur; imo æqualitas secundum quod denominatiue est in altero extremo, puta in pœna amatur ex odio æqualitatis secundum

quod est in altero extremo, videlicet in culpa. Deus enim, & quilibet ordinate amans, amat pœnam æqualem culpæ ex odio culpæ: vnde ad hanc propositionem: amatur tota æqualitas: sicut ad hanc aliam in casu suprapofito: amatur tota dissimilitudo: respondendum est: negando; nisi superaddatur: *denominatiue* ob rationes supradictas.

Obijcies quinto. Actio generatiua pertinet ad prędicamentum actionis; ergo nō pertinet ad prædicamentum ad aliquid. Præterea ipsa met actio est relatio trāscendentalis; ergo non pertinet ad relationem predicamētalem: Proqatur secundum antecedens: quia actio est modus per suam essentiam respiciens & Philipphum v. g. à quo est, & Alexandrum, ad quem terminatur.

Resp. ad primum, concesso antecedenti: negando consequentiam. Non repugnat eādem entitatem pertinere ad diuersa predicamēta. Actio & passio secundū Philosophū non sunt duo motus, sed vnicus, & tamen constituunt duo prędicamenta. Actio & passio sunt sicut via Thebis Athenas, & Athenis Thebas, vt explicat idem Philosophus tertio physic. textu 21. quæ non sunt duæ re, sed ratione, quia videlicet diuersimode important extrema. Via Thebis Athenas importat Thebas vt terminum à quo; Athenas vt terminum ad quem; via Athenis Thebas importat Athenas vt terminum à quo, & Thebas vt terminum ad quem. Vbi aduerte obiter contingere posse vt via Thebis Athenas sit facilis, via vero Athenis Thebas sit difficilis; quamuis sit vna eademque via: puta si Thebis Athenas sit decliuis, Athenis

The-

Thebas sit cliuosa. Hinc si quis argueret tecum sic. Thebis Athenas peruenis spatio vnius horæ; ergo & Athenis Thebas. Rectè negabis consequentiam. Sicut negares in hoc alio enthimemathe: potes è vertice turris saltare vsque ad imum; ergo & ab imo vsq. ad verticem.

Ad secundum distingue antecedens: actio est relatio trascendentalis, sui ad vtrumque extremum: concedo, extremi ad extremum: nega.

Obijcies vltimo. Relatio paternitatis consistit formaliter in actione generatiua. Ergo huiusmodi relatio non datur nisi in instanti generationis. Hoc autem esse absurdum probatur: quia sic numquam Philippus potuit dicere Alexandro: fili mi; nec vnquam Alexander Philippo: Pater mi. Probatur quia preterito instanti generationis nec Philippus erat pater Alexandri; nec Alexander filius Philippi. Explicatur hoc, & probatur quia implicat esse patrem sine paternitate, esse filium sine filiatione; solū quando datur actio generatiua datur paternitas, & filiatio; ergo solum quando datur actio generatiua alter est Pater, alter est filius.

Resp. denominationem Patris & filis durare etiam non durante actione generatiua: ratio est quia etiam actio præterita facit hic & nunc comparabilem Philippum cum Alexandro, vt Patrem cum filio. Dicitur enim Pater alterius qui genuit alterum. Ad id quod dicitur: paternitas non existit; ergo non est pater: distingue antecedens: non existit physice: omittè; non existit logice,

 aut

aut denominatiue: nega. Forma vt tribuat denominationem de præsenti non requirit esse de præsenti. Si igitur relatio paternitatis tota est in actione generatiua, relatio paternitatis physice preterita, logice perseuerat quia habet vim per hoc ipsum quod fuerit determinandi ad dicendum quod fuit: sed dicere quod fuit: actio generatiua Philippi in Alexādrum est dicere quod Philippus est pater Alexandri; ergo habet vim determinandi ad dicendum: Philippus est pater Alexandri.

Dixi *si actio generatiua est relatio paternitatis:* nam siquis ad veram & realem relationem requirat existentiam rationis fundandi, in qua dicimus sitam esse relationem ipsam: huic etiam poterit assignari relatio existens; dicendo quod actio generatiua quando est, est paternitas, ipsa vero deficiente Paternitas consistit in actione conseruatiua subsequente actionem generatiuam, & intuitu ipsius posita à causa conseruante.

Dices: si relatio consistit in actione generatiua: relatio Patris ad filium & filij ad patrem erit relatio solum secundum dici, consequens est falsum; ergo & antecedens. Sequela maioris probatur quia relatio quæ physice non est, est solum secundum dici: huiusmodi relatio physice non est; ergo est solum secundum dici.

Resp. totum hoc æque militare contra relationem fundamentalem, quæ hoc eodem argumento probatur esse solum secundum dici, hæc enim includit rationem fundandi. Item militat hoc argumentum contra sententiam, quæ ponit relationem consistere

in

in fundamẽto termino & ratione fundādi; ad hoc enim vt aliquod totum sit dūtaxat secū-cundum dici, sufficit quod aliqua pars ipsius sit solum secundum dici. In forma ad argumentum nega sequelam maioris: ad probationem distingue: forma quæ physice non est pro differentia temporis, pro qua importatur in denominatione, est solum secundum dici: omitte, quæ physice non est pro quacunque differentia: nega. Forma secundum dici & non realis proprie loquendo dicitur non forma, quæ non est physice in rerum natura, sed id quod exprimitur siue importatur per modum formæ, cum re ipsa non sit forma. Exemplum habes in hac propositione: Alexander pugnauit quæ dicitur vera per conformitatem cum obiecto; importando obiectum veluti per modum formæ verificantis propositionem, seu constituentis hanc propositionem veram. Ita enim quodammodo comparatur propositio cum pugna præterita vt dignoscatur vera; sicut comparatur paries cum albedine vt dignoscatur albus: & quemadmodum albedo vocatur formale dealbatiuum parietis, pugna preterita vocatur formale verificatiuum propositionis.

ARTICVLVS IX.

Expediuntur reliqua circa relationem.

CAetera quæ ad relationem pertinent varijs dubitationibus expediēda sunt. Dubitabis primo ân relatio detur ad termi-

num non existentem : ratio dubitandi est quia recte dicitur rosa huius anni:est similis rosæ anni præteriti; ergo rosa huius anni dicit relationem ad rosam anni præteriti. Præterea recte dicitur : Petrus est prior Antichristo,relatio autem prioritatis est relatio prædicamentalis ; ergo Petrus habet relationem prædicamentalem ad terminum non existentem.

Ad dubitationem huiusmodi respondendũ est duo esse certa. Primum est similitudinem inter rosam anni præsentis & rosam anni præteriti non existere actu. Patet hoc euidenter: quia huiusmodi similitudo consistit partim in rosa huius anni , partim in rosa anni præteriti : est autem euidens non existere nunc rosam anni preteriti ; ergò est euidens non existere nunc similitudinem rosæ præsentis cum rosa præterita. Item certum est non existere nunc prioritatem Petri ad Antichristum. Probatur hoc quia prioritas Petri ad Antichristũ consistit formaliter in duratione præsenti Petri,& in duratione futura Antichristi : sed non datur nunc duratio futura Antichristi ; ergo non datur nunc prioritas Petri ad Antichristum. Quamuis autem non detur formaliter nec similitudo nec prioritas , datur tamen actu & physice simile,& prius ; denominatiue autẽ & similitudo & prioritas. Probatur hoc ipsum quia dari simile actu,& physice est dari actu & physicè id,quod denominatur simile, siue est dari id,pro quo supponit ly *simile* ; sed datur de facto nunc id, quod denominatur simile,ergo, &c. Minor est euidens quia id quod denominatur simile est rosa præsens:

idem

idem dic de priori: datur enim nunc actu & physice Petrus, qui denominatur prior. Ex hoc autem ipso quod vere rosa denominetur similis, & Petrus prior habes dari, si non formaliter, denominatiue similitudinem & prioritatem; quod autem ratio non existens actu tribuat denominationem actu non est peculiare relatiuis, vt ostensum est alibi.

An autem huiusmodi relatio quæ partim est, & partim non est dicenda sit relatio realis, an secundum dici; est quæstio de vocabulo. Qui per relationem realem intelligit relationem actu formaliter & adæquate existentem in rerum natura: negabit relationē huiusmodi esse realem. Qui per relationem realem intelligit relationem, cuius singula constitutiua sint realia præcindendo ab hoc quod existant vel non existant, dicet esse relationem realem: reale autem accipi non solum pro eo quod est; sed etiā pro eo quod erit, dictum est alibi, imò & pro eo quod nec est nec erit sed possibile est esse. Item qui nomine relationis realis intelliget relationē cuius singula constitutiua sint independenter ab actu rationis; relationem prædictam appellabit realem; relegabitque nomen relationis secundum dici, ad relationem rationis, de qua diximus supra.

Ex his apparet non solum non omnem denominationem relatiuam exigere simultaneam existentiam extremorum; verum etiā aliquam denominationem relatiuam illam excludere: denominatio prioris & posterioris excludit simultaneam existentiam extremorum: vtramque Petrus nunc existens sustinet, primam respectu Antichristi. Secundam

respectu Adami: Petrus enim est prior Antichristo, posterior Adamo, vtrumque autem à sibi coexistendo excludit. E contrario: relatio coexistentie de suo conceptu formali dicit simultaneam existentiam extremorum. Ex quo apparet male ab vna relatione argui ad aliam. Porro ad videndum an hoc & illud ex pertinentibus ad relationem, hic & nunc, an pro alia differentia temporis requiratur, examinanda est ipsamet denominatio relatiua, in qua statim apparebit quomodo rationes ad ipsam pertinentes impotentur.

Dubitabis secundo. In quo differant relationes albedinis ad albedinem, & albi ad album. Puta non solum album *A* est simile albo *B*; sed etiam ipsamet albedo *A* est similis albedini *B*.

Resp. relationem albi *A* ad album *B* esse in vtroque extremo per formam superadditam, & accidentalem vtrique extremo; albedo autem habet esse similem alteri albedini per se ipsam & alteram albedinem: vnde similitudo albi cum albo, est similitudo accidentalis; albedinis vero cum albedine est essentialis: siue album & album sunt inter se similia in accidente; albedo & albedo in essentia.

Quæres an relatio albedinis ad albedinem sit trāscendentalis? ratio dubitandi est quia est similitudo in essentia, non autem secundum accidens superadditum rei, quæ refertur. Probatur quia albedo est similis alteri albedini per suum esse; non autem per aliquid superadditum suo esse.

Resp. negatiuè. Ratio est quia albedo non refertur ad aliam albedinem per se ipsam

ſam, ſed partim per ſe ipſam, & partim per alterā albedinem; adeoque relatio non eſt identificata cum re, quæ refertur; quādoquidem vtraque albedo non eſt vna albedo, quæ ad aliam referatur, quamuis ſit ratio per quam quælibet ad alteram referatur. Quando dicitur eſſe eſſentialis, ſenſus eſt relationem ipſam eſſe ſecundum eſſentiam, non autem ſecundum accidens contradiſtinctum ab vtraque albedine; non tamen eſt ſenſus totam relationem eſſe eſſentialem cuilibet ex duabus illis albedinibus, quæ ad alteram referatur. Hinc poteſt dici cuilibet accidentalis huiuſmodi relatio, quamuis ſit ſimilitudo in eſſentia, quia cuilibet accidit quod altera detur albedo, cui ipſa ſit ſimilis. Nam albedo *A* non habet per ſe ipſam ſolū quod ſit talis, qualis eſt albedo *B*; ſed partim per ſe, & partim per ipſam albedinem *B*.

Hinc habes in quibuſdam relationibus rationem fundandi eſſe realiter idem cum vtroque extremo: quæ enim conueniunt in eſſentia, non per accidentia ſibi peraddita; ſed per ſe ipſa mutuo aſſimilantur; adeoq. in ijs relatio eſt realiter idem cum vtroque extremo & vtrumque extremum ſimul acceptum eſt relatio vtriuſlibet ad alterum.

Dubitabis tertio. An duæ albedines, quæ ſunt & relatio vtriuſlibet ad alteram, & albi ad album ſint formæ abſolutæ an relatiuę. Ratio dubitandi eſt: quia albedo & albedo, & quantumlibet multiplicetur albedo pertinet ad prædicamentum qualitatis, quod eſt prędicamentum, non ad aliquid, ſed abſolutum. Ex alio capite dictum eſt vtramque albedinem eſſe formam ſeu ratio-

nem, per quam & vna albedo ad aliam, & vnum album ad aliud se habeat; hoc autem est proprium formæ relatiuæ.

Resp. vtramque albedinem simul acceptã esse rationem per quã vnũ se habet ad aliud; vtramque seorsim acceptã non esse rationem huiusmodi: adeoque vtraque simul accepta habet rationẽ formę relatiuę; neutra seorsim. Ad prędicamẽtũ qualitatis quælibet sufficit per seipsã, ad prædicamẽtũ adaliquid: neutra.

Dubitabis quarto. In quo consistat ordo & pulchritudo vniuersi, quem modalistæ aiunt consistere in modo superaddito omnibus & singulis partibus vniuersi.

Resp. ordinem & pulchritudinem vniuersi consistere in eo quod modalistæ ponunt pro ordine & pulchitudine fundamentali. Hic autem ordo fundamentalis consistit in tali dispositione secundum tempus & secundum locum rerum omnium, quæ constituunt vniuersum. Ordo ille siue proportio turbari potest non solum per defectum necessarij sed etiam per additamentum superflui. Exemplũ habes in microcosmo hoc est in homine, in quo deformitas apparebit, non solum si demas aliquid, quod ad pulchritudinem ipsius pertineat; sed etiam si superaddas aliquid quod noceat.

In hoc microcosmo cõsiderat aduersarius vnam partem, puta manum, & sic arguit: si manui hominis superaddas sextum digitum tollis proportionem, ergo proportio non est quid identificatum cum quinque digitis. Patet consequentia: nam per additamentũ sexti digiti non tolluntur quinque digiti præcedentes, ergo nec ratio identificata cum quin-

que

que digitis, ergo si proportio identificatur cum quinque digitis neque tollitur proportio.

Hoc argumentum nec teruntij valet. Roga aduersarium in quo consistat non formalis sed fundamentalis proportio: an in modo superaddito, an in quinque digitis: respondebit proportionem fundamentalem consistere non in quinque digitis præcisè, sed in ipsis cum exclusione cuiuslibet alterius. Hoc idem dices de proportione formali: implicat autem superaddi sextum digitum & remanere quinque cum exclusione cuiuslibet alterius.

Dubitabis quinto. An relatio multiplicetur ad multiplicationẽ terminorũ. v.g. albũ *A* est simile albo *B*: ponatur de nouo album *C*; euadit simile & albo *C*: & sic de cæteris in infinitum. Quæritur autem an multiplicatis huiusmodi albis, ad quæ referatur album *A*, multiplicetur ipsa relatio. *Hoc* est an sit vna albi *A* ad omnia alba, an multiplex relatio.

Resp. relationem multiplicari in huiusmodi relatiuis. Ratio est quia similitudo nõ habetur per vllam ex albedinibus seorsim acceptam, sed similitudo inter *A* & *B* consistit in albedine ipsius *A* & *B*: similitudo inter *A* & *C* in albedine *A* & *C*: combinatio autem albedinis *A* & *C* est distincta à combinatione albedinis *A* & *B*; ergo inter *A* & *B*, & *A* & *C* non est vna, sed duplex relatio seu similitudo. Confirmatur quia pereunte relatione inter *A* & *B* manet relatio inter *A* & *C*; ergo non est eadem; quamuis enim vtraque includat albedinem *A*, vtraque tamẽ distinguitur ab albedine *A* sicut totum à par-

te, includens ab incluso. Hoc quoad relationem fundatam in vnitate & numero.

Quoad relationem vero fundatā in actione & passione resolutio pendet ab alia quaestione: an scilicet eadem actio terminari possit ad plures terminos; an multiplicitas terminorum inferat multiplicitatem actionum. Si multiplicitas terminorum infert multiplicitatem actionum; manifestum est multiplicari relationem terminis multiplicatis. Relatio consistit in actione: multiplicatis terminis multiplicatur actio, ergo multiplicatis terminis multiplicatur relatio. Si autem vna & indiuisibilis actio potest esse ad plures terminos, non est necesse multiplicari relationem ad multiplicationem terminorū, nisi logice, & denominatiue: poterit enim eadem causa ad plures effectus vna actione referri, & per vnicam actionem sustinere multiplicem denominationem causae; v. g. Petrus poterit esse pater Antonij, & Francisci vnica actione generatiua. Quod dicimus de terminis dic de fundamentis: posse videlicet plura fundamenta referri ad eundem vel multiplicem terminum; si vna indiuisibilis actio à pluribus causis possit procedere.

Dubitabis sexto. Vtrum relatiuum formaliter vt tale terminētur necessario ad relatiuum formaliter, an ad absolutum. Hoc est an in conceptu, per quem exprimis relatiuum vt tale, debeat vicissim exprimi terminus vt relatiuus, an contra sufficiat exprimi terminum sub conceptu absoluto.

Resp. sufficienter exprimi terminum relatiui, etiam vt relatiui, sub conceptu absoluto: adeoque relatiuum formaliter termi-

nari

nari ad absolutum. Explicatur hoc, & probatur. Si quis dixerit Philippum esse patrem Alexandri recte dixerit: in hac propositione exprimitur formalissime pater; & terminus paternitatis exprimitur conceptu absoluto; ergo relatiuum formaliter vt tale exprimitur, etiam importando terminum sub conceptu absoluto. Hoc est adeo verum vt interroganti cuius sit pater Philippus? inepte quamuis vere respondeas apportando terminum sub conceptu relatiuo dicendo: est pater sui filij? Idem dic in hac propositione: album *A* est simile albo *B* in qua ly *simile* qui est terminus formaliter relatiuus, hoc est nomen relatiuum dicitur ad album, *B* quod est nomen absolutum.

Dices. Ex Philosopho: si à Domino auferas omnia preter esse, Dominum puta si auferas rationem bipedis, sapientis, imo ipsam met rationem hominis: maneat autem esse dominum, adhuc seruus dicetur ad ipsum; & è conuerso si à seruo omnia auferas præter esse seruum, adhuc dominus dicetur ad ipsum; ergo seruus dicitur ad dominum formaliter, & dominus ad seruum formaliter.

Resp. concesso antecedenti: negando consequentiam. Si seruum interroges cuius sit seruus, & respondeat: sum seruus Domini mei: putabis te irrisum, secus si responderit: sum seruus Francisci. Sensus igitur Philosophi est quod ad hoc vt Dominus habeat relationem Dominij ad hunc vel illum, debet in hoc, vel illo esse ratio serui: non enim es Dominus Petri, nisi Petrus sit tibi seruus; non autem quod in ipsa explicatione dominij debeat importari terminus sub conceptu relatiuo serui. Di-


Dices. Omne simile alicuius similis simile: & omnis pater alicuius filij pater: & omnis dominus alicuius serui dominus; ergo relatiua sunt ad relatiua formaliter.

Resp. concesso antec. neg. conseq. Antecedens probat relationes prædictas esse necessario mutuas; adeoque relatiuũ in huiusmodi relationibus necessario terminari ad aliud relatiuum: quod autem correlatiua sint mutuo relatiua necessarium est: sed quia inter ipsamet correlatiua fieri potest comparatio per quam vnum conferatur cum alio; absque eo quod aliud vicissim conferatur cum ipso; ideo etiam ex ipsis correlatiuis potest vnum terminari ad alterum, absque eo quod alterum importetur vt correlatiuũ, vt patet ex dictis. Tam enim verum est, album *A* est simile albo *B*: quam album *A* est simile sibi simili: per primum conceptum exprimitur formaliter relatio, per secundum correlatio.

Dubitabis vltimo quomodo intelligendũ sit quod ait Philosophus. Relatiua sunt quibus hoc ipsum est esse, ad aliud quodammodo se habere. Ratio dubitandi est: quia album *A* est relatiuum ad album *B*; sed albo *A* hoc ipsum non est esse, seu non hoc ipsum est esse, ad aliud quodammodo se habere, ergo, &c.

Resp. sensum Philosophi esse, non quod id, quod est relatiuum, non habeat vllũ esse, nisi ad aliud: siue enim relationem ponas in forma modali, siue in ratione fundandi: album quod refertur, præter referri habet esse album: adeoque illud idem quod pertinet ad prædicamentum ad aliquid, pertinet etiam ad

ad prædicamentum quale. nam nec forma modalis nec quicquam aliud tollit ab albo rationem albi. Sed sensus est relatiuum vt tale, & sub conceptu relatiui, esse ad aliud, & vnamquamque rem sustinere rationem relatiuæ, per hoc formaliter quod, ad aliud se habeat.



DISPVTATIO V.

In libros Peribermenias seu de Interpretatione.

QVAESTIO I.

De significatione vocum.

ARTICVLVS I.

De Signo.

AVGVSTINVS lib. 2. de Doctrina Christiana signum definit: id quod præter speciem sui quã ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire. Puta fumus præter notitiam sui ingerit notitiã ignis. Hedera appensa pro foribus præter notitiam sui, ingerit notitiam vini vendibilis. Hac definitione non comprehendit Augustinus

nus nisi signa sensibilia. Posset autem ad omnia tam sensibilia quam insensibilia extendi, si diceretur: signum esse id, quod præter speciem, siue notitiam sui, quam ingerit, aliquod aliud facit in cognitionem venire.

Signum igitur dicit ordinem & ad potentiam cognoscitiuam & ad rem significatam; ad potentiam cognoscitiuam, quia est repræsentatiuum: ad rem significatam, quia alicuius rei repræsentatiuum est.

Diuidunt communiter signum in formale & instrumentale. Formale vocant ipsammet cognitionem obiecti; instrumentale id quod prius cognitionem sui, & per cognitionem sui ingerit cognitionem alterius: putà cognitio expressiua ignis in animà, erit signum formale ignis; fumus verò erit signum instrumentale, quia prius cognitionem sui, & per hanc, cognitionem ignis inducit. Cognitio tamen satis impropriè dicitur signum respectu potentiæ illam habentis, cum sit ipsamet obiecti perceptio. Tamen in hac re loquendum est cum omnibus. Potest quidem eadem cognitio, quæ est in intellectu *Petri*, respectu intellectus Pauli illam considerantis, habere rationem signi: aut etiam respectu alterius cognitionis in eodem Petri intellectu supra ipsam reflectentis.

Signum instrumentale, quod intelligimus nomine signi simpliciter, diuiditur in naturale, & ad placitum. Naturale est, quod cognitum facit in alterius cognitionem venire ob connexionem, quam habet à natura cum ipso: hoc modo se habet fumus respectu ignis: nubes respectu pluuiæ. Ad placitum

tum est, quod non ex connexione, quam habeat à natura cum altero; sed ex hominum institutione ducit in cognitionem alterius; ità se habet laurus, vel hedera respectu vini vendibilis: pileus croceus respectu Iudęi.

ARTICVLVS II.

An voces humanæ sint signa naturalia, an ad placitum?

VOces humanæ humano modo prolatæ hoc potius, quam illud significant. Quæritur autem hic ex natura rei, an ex hominum institutione, an placito?

Dicendum est voces significare non ex natura rei, sed ad placitum. Probatur conclusio auctoritate simul & ratione Philosophi. Si voces significarent ex natura rei hæ eędem idem vbique significarent: consequens est falsum; ergo & antecedens. Minor est euidens, nam diuersarum gentium est diuersa locutio, & quandoq. accidit vnam vocem apud vnam nationem aliud, aliud apud aliam significare: Sequela maioris probatur, quia quod ex connexione naturali sui cum alia re aliud facit in cognitionem venire; apud omnes id facit. Ità fumus vbique significat ignem,& nubes pluuiam.

Probatur secundò, quia non est vlla ratio in natura; cur hæc vox *Cucurbita*, significet potius illam rem, quam de facto significat, quam vllam aliam. Sicut v. g. non est ratio in natura, cur per pileum croceum significetur Iudæus potius, quam Turca, vel Christianus.

Obij-

Obijcies. Homo est natura animal politicum, & sociale; ergo & communicatiuum suorum conceptuum: sed suos conceptus debet communicare per locutionem; ergo est animal natura sua determinatum ad locutionem.

Resp. concedendo totum. Homo est animal natura loquax, quod malo nostro saepe experimur. Loqui autem his, vel illis vocibus ad significanda haec, vel illa obiecta, non habet à natura, à qua habet posse has, vel illas voces instituere in signa harum, vel illarum rerum.

Obijcies secundò. Laudatur Adamus ex eo quod vnicuique rei nomen suum aptè imposuerit; vt constat ex Genesi; ergo ex pluribus nominibus vnum magis conuenit ex natura sua, vni rei, quam alteri.

Resp. negando antecedens. Dicitur in Genesi, quòd Deus adduxit animantia ad Adam, vt videret quid vocaret ea; omne enim, quod vocauit Adam animae viuentis, ipsum est nomen eius. Hoc est ijs nominibus, quae imposita fuerunt ab Adamo, fuerunt appellanda à posteris omnia animantia.

Obijcies vltimò. Aliquae voces significant naturaliter; ergo omnes. Antecedens probatur, quia gemitus, eiulationes, suspiria, & aliae huiusmodi ex natura rei significant maerorem, & alias passiones huiusmodi; ergo, &c.

Resp. sermonem esse hic de vocibus humanis, cuiusmodi non sunt voces praedictae: illae enim sunt ab homine, non quatenus homo est, cum etiam Turtures gemant, &

alia

alia animantia suspirent, &c. In forma distingue antecedens: Aliquæ voces humanæ: nega, non humanæ: concede.

ARTICVLVS III.

De institutione sermonis.

DEus hominis, sicut & rerum omnium conditor, homini indidit loquelam: adeoq. primus humani sermonis institutor est Deus, qui homines inter se colloqui docuit. Quæritur autem hic, an homines ipsi potuerint aliquo pacto instituere voces, quibus inter se colloquerentur. Ad hanc quæstionem.

Respondetur affirmatiuè. Primi enim homines conuenire potuerunt in nominibus, quibus res singulas appellarent: putà si quis tangens, vel digito indicans arborem protulisset hanc vocem, arbor, potuerunt alij capitis inclinatione, vel aliquo alio gestu concordare in hoc nomine circà hoc obiectum. Hoc ferè modo maternam linguam addiscimus, dum videlicet nutricem audimus proferentem hanc, vel illam vocem, & hanc, vel illam rem ostendentem: putà puer discit vocare *Tatam* à nutrice dicête *Tata*, & ostendente hominem, qui Pater est. Et sic de cæteris.

Dices. Nequit assignari quid voluerint homines, quorum placito voces significant; ergo voces ex eorum institutione non significant. Antecedens probatur, quia vel voluerunt solum hanc, & illam vocem materialiter consideratur: & si nihil aliud voluerunt,

non instituerunt signa : voces enim materialiter acceptæ, non habent hoc magis, quam aliud significare. Vel voluerunt formam aliquam, per quam hæ voces constituerentur signa huius, vel illius rei: & hanc formam velle non potuerunt: quia huiusmodi forma, est hæc ipsa illorum volitio: implicat autem quod volitio sit sui ipsius volitio; cũ omnis volitio essentialiter rei à se distinctæ volitio sit.

Resp. apparentem hanc difficultatem esse communem omni signo ad placitum, putà, nequit assignari quid voluerint homines quando instituerunt pileũm croceum in signum hominis Iudæi: vel enim voluerunt pileum croceum dumtaxàt; & sic non posuerunt signum Iudaismi: pileus enim croceus non magis Iudæum significat, quam Christianum; vel voluerunt simul formam, qua pileus croceus euaderet signum; & hæc formá nihil aliud est, quam hæc ipsa eorum volitio, seu hoc ipsum eorum placitum: idem dic de omnibus alijs signis ad placitum: nullum enim ex his habet ex se esse signum, quodlibet autem per placitum.

Dicendũm est igitur hanc hominũ volitioné voluisse se ipsam; sed non solũ se ipsã: omnis volitio est rei à se distinctæ volitio; sed non propterea nulla volitio est sui ipsius vllo modo volitio: non enim valet: hæc volitio est sui ipsius volitio; ergo non est volitio rei à se distinctæ; Potest enim & sui, & alterius rei esse volitio. Et hoc modo volitio; qua hæc vox *Panis* est significatiua rei, quam significat, est volitio sui; est enim & sui, & huius vocis materialiter conside-

ratæ

ratæ fui vt formæ extrinsecæ illius vocis ex se indifferentis, quam per seipsam formaliter determinat in signum rei comestibilis. Prætereà hæc ipsa volitio habet aliud obiectum, vsum videlicet illius eiusdem vocis in his, & illis circumstantijs, & in omnibus obligationem quamdam non adhibendi has, vel illas voces, nisi obiectis his, vel illis, sic aut sic se habentibus.

Rem facile intelliges si duos inter se de sermone aliquo speciali inter ipsos adhibendo pacifcentes intelligas, putà Socrates, & Callias conueniant inter se, quod quotiescumq. significare voluerint imminere aliquod periculum Reipublicæ vtentur his vocibus: *Panis lapideus*. Posito hoc pacto neutri ipsorum licebit adhibere has voces, nisi quando putabit imminere periculum Reip. Ità faciunt qui inter se collocuntur, vt aiunt, in *Gergo*.

ARTICVLVS IV.

An voces significent immediatè res, an conceptum loquentis.

VOces aliquid ad placitum, aliquid ex natura rei significant. Nàm non ex hominum placito indicant loquentem esse viuum, esse præsentem, velle loqui; significant престереà rem illam, quam significant aliquo modo esse in anima proferentis ipsas. Dum enim audis Petrum dicentem: *Paulus currit* non solùm in mentem venit Paulus currens, sed etiam Petrus iudicans Paulum currere.

Ra-

Ratio cur iudices quod Petrus iudicet Paulum currere, fundatur in hoc, quod diximus suprà: homines videlicet per institutionem vocum obligasse se mutuo ad non adhibendas huiusmodi voces, nisi rebus hoc modo, saltem in ipsorum existimatione sic se habentibus. Hinc si Petrus sit apud me famę integræ, dum audio ipsum proferentem voces prædictas, iudico ipsum iudicare, quod Paulus currat. Nec enim vir bonus ità loqueretur, nisi ità sentiret. Exemplum dedimus in vocibus complexis, hoc est in propositione, quia res clarius apparet in illis, quam in incomplexis, hoc est in non constituentibus propositionem. His positis.

Dico. Voces significant immediatè res, mediatè conceptus. Probatur prima pars cóclusionis experientia. Constat enim hanc vocem *Panis*, auditam immediatè gignere cognitionem rei, quæ dicitur panis: hoc autem est significare immediatè rem; ergo &c. Probatur etiam secunda pars: quia per hoc ipsum, quod intelligas rem, intelligis, seu manuduceris ad intelligendum conceptum loquentis. Ex hoc enim quod Petrus dicat: *Panis*, intelligis animæ Petri rem illam obuersari, quam percipis sub hac voce *Panis*.

Confirmatur, quia si solum voces intelligas, aut potius audias, non intellecto quid significent, non intelligis conceptum loquétis, putà si Italus duos Polonos audiat inter-se colloquentes; quia nón intelligit res significatas per voces, nequit venire in cognitionem conceptuum, venturus si res significatas perciperet; ergo per intelligentiam rei venimus in intelligentiam conce-

ptus, quod est significari immediatè res, mediate conceptus,

Aliam quæstionem hic nonnulli instituunt minimi, vel nullius momenti, quam tamen nefas esset omittere. An videlicet voces principaliùs significent res, an conceptus?

Ad hanc quæstionem breuiter dico voces principaliùs esse propter res, quam propter conceptus: ità Arriaga, & alij. Probatur conclusio, quia ideò loquimur vt rem ignotam alteri manifestemus; ergo principaliùs voces sunt propter res, quam propter conceptus. Verum quidem est multos vocibus vti, non vt alios scientes efficiant, qui tamen est finis legitimus locutionis, sed vt se ipsos scientes manifestent, iuxtà illud: *Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?* Sed illi sermone instituto ad exercitium charitatis vtuntur per intemperantiam vanitatis.

Prætereà illi ipsi, si rem benè penetres, etiam conclusionem nostram confirmant: nam hoc ipsum intendunt manifestare, quod scilicet sciunt, non autem quod cogitent se scire; & consequenter etiam ab ijs principaliùs propter res, quam propter conceptus sermo adhibetur.

Confirmatur denique ex dictis, vbi ostensum est vocum significationem addisci per gestus indicantes non conceptum, sed rem ipsam. Diximus autem minus principaliter significari conceptum, quia qui instituere sermonem id præcipuè intenderunt, vt cognitiones rerum sibi mutuo communicarent, quod præstari nequit sine communicatione

ipsarum met cognitionum, quibus res comprehendunt.

Obijcitur ex Philosopho 1. Periher. Ea, quæ sunt in voce, sunt earum, quæ sunt in Anima passionum notæ; ergo principalius, & immediatius significant conceptus, quam res. Probatur consequentia, quia nomine passionum, quæ sunt in Anima, intelligit Philosophus ibi conceptus.

Resp. concesso antecedenti negando consequentiam. Verum est per voces significari conceptus, & passiones, quæ sunt in Anima: Et hoc vnum ibi affirmat Philosophus: Non tamen verum est significari principaliùs, aut immediatiùs. Imò per cognitionem rei, vt dictum est, venimus in cognitionem conceptus.

Dices ex eodem Philosopho voces sunt notæ conceptuum, sicut scriptura est nota vocum: sed scriptura immediatius significat voces, quam res; ergo & voces immediatiùs significant conceptus, quam res.

Resp. concessa maiori: negando minorem. Scriptura immediatius rem, quam vocem significat. Aduersario facile est pro significatione suppositionem accipere. Scriptura inter distantes substituitur loco sermonis: sed non propterea immediatius sermonem significat, quam rem, quæ per sermonem significaretur. Imò est loco sermonis, vt excitet medijs oculis cognitionem rei, quam medijs auribus excitaret sermo. Dici solet, scripturam substitui vocibus, sicut voces substituũtur conceptibus. Sensus est, quod quemadmodum loco conceptuum, quos non possumus immediate transfúdere in Animas alio-

rum,

rum, ponimus voces; ità loco vocum, quas ob distantiam nequimus transmittere ad alios, ponimus scripturam. Cæterum per scripturam oriri in nobis immediate cognitionem rerum experientia constat. Vix enim vnquam legimus epistolam, ita vt nobis repræsentemus amicum loquentem; quod est signum sæpissimè, nè mediatè quidem per scripturam significari voces. Certè æque intelligimus scripturam muti, ac loquacis.

QVAESTIO II.

De Veritate.

ARTICVLVS I.

In quo consistat veritas.

VERITATEM trāscendentalem, per quam ipsummet mendacium est verum, quia verè est mendacium, non examinamus hic; sed veritatem logicam, & formalem, quam aliquando adesse, aliquando abesse constat in enunciationibus, per quas hoc & illud affirmamus, aut negamus. *Homo est animal*: est propositio vera: *Homo est equus*, est falsa.

Veritatem huiusmodi dari negauerunt olim Academici; si verum est: asserentes dari quidem verosimile aliquando, veritatem numquam. Dixi, si verum est; quia est mihi omninò incredibile, quod negare potuerint dari vllam veritatem, siue vllam pro-

positionem veram. Est autem credibile opinatos fuisse circa res controuersas inter Philosophos non dari veritatem : quod tamen est euidenter falsum, cum idem alij negarent, alij affirmarent; nisi nomine veritati fortè intellexerint certitudinem. Supponuntur tamen communiter negasse, quod detur veritas, & in suppositione huiusmodi.

Contra ipsos multis in locis disputat Augustinus, ex hac ipsa eorum assertione, eiusdem falsitatem deducens duplici argumento. Primum est ; datur verosimile; ergo datur verum. Antecedens est doctrina Academicorum, consequentia probatur : quia verosimile nequit dignosci, vt tale, nisi per cognitionem veri: dignoscis, ò Academice, verosimile ; ergo cognoscis verum. Maior probatur, quia nequit cognosci hoc esse simile alteri, nisi illud alterum cognoscatur; putà hanc picturam esse similem Cæsari, nisi cognoscatur Cæsar.

Secundum argumentum est per modum, vt aiunt, admirabilē, per quē videlicet ex antecedenti deducitur contradictorū antecedētis: hoc pacto: nō datur veritas, ergo datur veritas Consequentia probatur, quia propositio, qua dicis : non datur veritas est vel vera, vel falsa : si falsa est; ergo datur veritas : si enim falsum est non dari veritatem ; datur veritas : si autem vera est, eo ipso quod dicis verum, datur veritas: & consequenter ex hoc ipso, quod asseris, non dari veritatem, rectè infertur dari veritatem.

Nihil est æque euidens, ac dari veritatem: vnde nequit, nisi apud dementes in controuersiam hoc venire. Quid autem sit veritas

Li-

Pilati impatientia non siuit, vt ex ipsius met veritatis definitione disceremus. Veritatem propriè dictam non conuenire omni actui intellectus habes ex Philosopho primo Periherm. cap. 4. vbi dicit orationem enunciatiuam esse non omnem, sed in qua verum, vel falsum est, vnde deducit veritatem formalem, de qua hic agimus esse propriam enunciationis. Ratio est, quia vt idem Philosophus docet 6. Metaphys. textu 8. in compositione, vel diuisione est veritas, aut falsitas; Per hoc enim, quod intellectus suo actu componat, quæ merentur componi, aut diuidat, quæ merentur diuidi, verum dicit: per hoc autem, quod ea componat, quæ diuidi petunt, & diuidat, quæ componi, dicit falsum.

Ad resolutionem controuersiæ, in qua quæritur, in quo consistat veritas præmittenda sunt aliqua. Primo propositiones aliquas esse tales, vt ex suis principijs essentialiter petant verificari. Huiusmodi est actus quo innixus diuino testimonio dicis: *Verbum caro factum est*, & quilibet alius huiusmodi actus fidei supernaturalis. Ratio cur ex sua essentia petant verificari non est, quia simpliciter sit impossibile obiectum aliter se habere: posset enim simpliciter, & & absolutè verbum non esse factum caro: quandoquidem ex libera sua voluntate, & ex charitate, qua dilexit nos cum adhuc inimici essemus, verbum caro factum est. Exigit autē essentialiter esse vera prędicta propositio, & aliæ similes, quia est ex motiuo essentialiter infallibili; nititurq. diuina veracitate, quam impossibile est vnquam de-

ficere. Cœlum, & terra transibunt: verba autem Dei non præteribunt. Posita igitur diuina attestatione, quod obiectum ita se habeat; assensus tali obiecto est ex eadem diuina attestatione infalsificabilis.

Secundò, sunt aliquæ propositiones, quæ dicuntur necessario veræ; quia est simpliciter impossibile obiectum aliter se habere, quam importatur per ipsas. Huiusmodi est hæc propositio: *Homo est animal*, & aliæ similes, quæ dicuntur æternæ veritatis.

Tertiò, sunt aliæ propositiones, quorum obiecta contingenter se habent sicut importantur per ipsas: hoc est, quorum obiecta possunt aliter, & aliter se habere. Huiusmodi est hæc: *Petrus currit*, & aliæ huiusmodi: nec enim necesse est, aut impossibile Petrum currere. Harum propositionum, quæ dicuntur esse in materia contingenti, aliquæ sunt veræ, aliquæ falsę.

Controuersia est, an veritas propositionum sit adæquatè intrinseca propositionibus veris, an partim intrinseca, & partim extrinseca. In hac controuersia sunt, qui discernant inter propositionem, & propositionem: aientes propositionem necessariò veram, esse veram per denominationem sibi adæquatè intrinsecam: contingenter veram esse veram per denominationem partim intrinsecam, & partim extrinsecam. Alij cuilibet propositioni veræ affirmant intrinsecam esse suam veritatem.

Dicendum est. Propositio vera, est vera per denominationem partim sibi intrinsecam, & partim extrinsecam. Hanc conclusionem extendimus ad omnes omninò propo-

posi-

positiones veras. Probamus autem, quia iudicium esse verum, est rem ità repræsentari per ipsum, sicut se habet, & rem ità se habere, sicut repræsentatur per ipsum; sed hoc est partim intrinsecum, & partim extrinsecum actui; ergo actus verus est verus per denominationem sibi partim intrinsecam. & partim extrinsecam. Maior est ipsamet explicatio veritatis. Minor probatur, quia rem ita se habere sicut repræsentatur, dicit & rem ita se habere, & rem ità repræsentari: rem autem ita se habere est aliquid extra cognitionem, ità repræsentari est aliquid intrà, immò est ipsa met cognitio: igitur rem ità se habere sicut repræsentatur, est aliquid partim intrinsecum, & partim extrinsecum cognitioni; adeoq. habet cognitio esse veram per denominationem sibi partim intrinsecam, & partim extrinsecam. Totum hoc breuiter comprehendit Philosophus vbi ait: eo quod res est, vel non est, oratio vera, vel falsa dicitur.

Rem exemplificare facile est in triplici genere propositionum. Prima sit hæc: *Verbum caro factum est*: quæ vera est per hoc & quod affirmet Verbum factũ esse carnem, & Verbum caro factum sit: quod hoc affirmet est intrinsecum propòsitioni; quod Verbum caro factum sit est extrinsecum. Secunda sit hæc alia: *Homo est animal rationale*: quæ vera est per hoc quod & affirmet hominem esse animal rationale, & homo sit animal rationale: primum est propositioni intrinsecum; secundum extrinsecum. Vltima sit hæc: *Socrates sedet*, quæ sedente Socrate vera est per hoc quod & affirmet sedere So-

eratem, & Socrates sedeat: affirmare est intrinsecum propositioni; sedere Socratem extrinsecum: quæ omnia ita clara sunt vt mirum sit esse qui dubitent.

ARTICVLVS II.

Diluuntur obiectiones.

Obijcitur primo Philosophi auctoritas dicentis: verum & falsum non sunt in rebus sicut bonum & malum sed in intellectu; sed sola cognitio est in intellectu; ergo in sola cognitione est verum: ergo veritas est adæquate intrinseca cognitioni.

Resp. concedendo totum præter vltimam consequentiam. Ad hoc autem vt sola cognitio dicatur vera, sufficit quod denominatio veri cadat supra ipsam solam; non autem necesse est vt talis denominatio sit illi adęquate intrinsecā. Veritas igitur est in actu, adęquate secundum denominationem; non autem secundum rem. Solus actus est verus, non solus actus est veritas. Quod autem denominatio veri cadat supra actum solum, quamuis sit partim extrinseca actui, non est nouum, cum etiam denominationes adæquate extrinsecæ cadant supra rem denominatā: puta denominatio cogniti est adæquate extrinseca parieti, & tamen cadit tota quanta est supra parietem.

Obijcitur secundo. Propositio vera a propositione falsa differt intrinsece per hoc formaliter quod vera sit; ergo veritas est adæquate intrinseca propositioni verę. Consequentia probatur quia id per quod vnum

intrin-

intrinfece differt ab alio nequit effe illi extrinfecum. Antecedens probatur quia propofitio habens aliud obiectum quam alia differt intrinfece ab alia: propofitio vera habet aliud obiectum à falfa; ergo propofitio vera, per hoc quod vera fit, intrinfece differt à falfa. Minor probatur: propofitio quæ habet obiectum quod eft, habet aliud obiectum ab ea, quæ habet obiectum quod non eft; prima eft propofitio vera, fecunda eft falfa; ergo propofitio vera habet obiectũ diuerfum ab obiecto propofitionis falfæ.

Refp. negando antecedens. Ad probationem antecedentis; nego minorem. Ad probationem minoris: nega maiorem. Falfitas antecedentis manifefta fit ex dictis. Falfitas minoris negatæ apparet ex eo quod ex duabus propofitionibus contradictoris, altera eft neceffario vera altera neceffario falfa; cum tamen vtriufq. fit idem obiectum: hæ duæ propofitiones: *Homo eft animal*: *homo non eft animal* non differunt ex obiecto, fed ex modo tendendi in idem obiectum: quia videlicet altera negat illud idem, quod altera affirmat. Eft etiam euidens falfitas maioris quam negamus, quia illud idem obiectum quod aliquando eft, etiam aliquando non eft: puta curfus Petri aliquando eft, aliquando non eft: quando eft; verificat propofitionem dicentem: *Petrus currit*: quando non eft: falfificat propofitionem dicentem: *Petrus currit*, Propterea huiufmodi propofitio dicitur effe in materia contingenti: quia videlicet eius obiectum aliquando ita fe habeat, ficut affirmatur per ipfam, aliquando aliter.

Objicitur tertio: veritas actus est perfectio actus, ergo est intrinseca actui. Consequentia probatur quia res non perficitur per aliquid sibi extrinsecum. Quis enim dixerit Socratem perfici per sapientiam, quę sit in Platone. Antecedens autem probatur: quia actus verus secundum se est perfectior quam actus falsus, ergo veritas est perfectio actus veri. Probatur hoc vltimum antecedens: quia melius est habere actum verum, quam actum falsũ, ergo melior est actus verus, quã actus falsus. Item intellectus per actum verum perficitur, per falsum deterioratur, ergo veritas est perfectio actus.

Confirmatur hoc idem. Falsitas est imperfectio intrinseca actui falso, ergo veritas est perfectio intrinseca actui vero. Antecedens probatur: quia si falsitas non esset imperfectio actus, non repugnaret intellectui diuino habere actum falsum: sed repugnat, ergo est imperfectio: sequela probatur: quia nequit repugnare nisi ratione imperfectionis. Roboratur hoc idem examinando veritatem huius actus, siue iudicij: *Petrus currit.* Siue currat Petrus, siue non currit, perinde Deus se habet: non autem perinde se habet, siue dicat verum, siue dicat falsum, ergo dicere verum, vel dicere falsum est aliquid contradistinctum à cursu vel non cursu Petri, & adæquate intrinsecum actui.

Resp. negando antecedens: si sermo sit de veritate adæquate accepta. Dixi *adæquatè accepta*: quia cum veritas habeatur formaliter partim per actum, & partim per obiectũ non est dubium quin accepta inadæquate, hoc est, pro altero ex constitutiuis, sit intrin-

ſeca imo idẽtificata actui, qui dicitur verus. Hic actus: *Petrus currit*, ſecundum ſe præciſe conſideratus non eſt neque verus neque falſus; ſed indifferens ad verum & falſum: ad vtrumlibet autem contrahatur eſt ſecundum ſe eiuſdem omnino perfectionis. Ratio eſt quia ad rationem veri vel falſi contrahitur per aliquid ſibi extrinſecum; puta per curſum, vel non curſum Petri: ſiue autem detur ſiue non detur curſus Petri, hic actus eſt intrinſece idem. Hinc ad probationem antecedentis nega antecedens.

Ad probationem vltimi antecedentis diſtingue antecedens: melius eſt habere actum verum quam actum falſum, ratione actus præciſe: nega, ratione alterius: omitte antecedens, & nega conſequentiam. Melius eſt iudicare verum quã falſum, quia eſt melioris intellectus elicere actus conformes obiectis, quam diſformes, & conſequenter elicere actum verum præſupponit intellectum melius diſpoſitum, quam elicere actum falſum. Cæterum perfectio huiuſmodi non eſt in actu, ſed in intellectu. Dixi eſſe melius, quod intelligendum eſt ex genere ſuo. Sæpiſſime enim contingit iudicium falſum ſapientius elici, quam verum. Multi prudenter falluntur, & temere diuinant multi. Iuxta illud quod alibi ex Philoſopho retulimus: multa falſa ſunt probabiliora veris: qui autem prudenter iudicat probabilioribus facilius aſſentitur; qui temere, etiam improbabilibus. Accidit autem nonnumquam rem non modo improbabilem, ſed etiam incredibilem eſſe veram. Quæ omnia intellectus humani imbecillitatem demon-

strant:nam intellectus diuinus, cui nuda & aperta sunt omnia, videt res vt sunt,nec indiget motiuis magis aut minus probabilibus ad iudicandum.

Ad confirmationem nega antecedens. Ad probationem dic repugnare Deo omnem actum non solum qui ponat, sed etiam qui supponat imperfectionem in cognoscente: & consequenter actus falsus repugnat diuino intellectui; cum repugnet intellectum diuinum non cognoscere res vt sunt,cui videlicet omnia sunt manifesta. Ad roborationẽ dic quod Petrus currat aut non currat nihil interesse intellectus diuini. Posito autem quod currat implicat intellectum diuinum non videre illum currentem, & sic de cæteris; adeoq. veritas est essentialiter debita diuino intellectui circa quodlibet obiectum, cum eidem sit essentialiter debita euidentia,quam implicat à veritate seiungi. Porro iudicium falsum quamuis nitatur motiuis probabilissimis sẽper arguit intellectum simpliciter imperfectum: eo ipso enim quod solum probabiliter iudicat, quamuis prudenter, est imperfectus; quandoquidem caret euidentia circa res quas cognoscit; euidentia autem est quid intrinsecum actui.

Obiicitur quarto. Actus voluntatis boni, sunt boni bonitate sibi adæquate intrinseca, ergo actus intellectus veri, sunt veri veritate sibi adęquate intrinseca. Cõsequentia probatur: quia sicut se habet bonum ad voluntatem, ita verum ad intellectum.

Resp. transmisso antecedenti: negando consequentiam. Disparitas est: quia actus voluntatis est bonus non per hoc quod cõn-

for-

formetur merito obiecti materialis; sed per hoc quod sit ex hoc vel illo motiuo, vel realiter, vel apparenter honesto: vnde aliquando contingit etiam deceptum ab apparentijs honestatis hoc & illud obiectum vel amare vel odisse, quod in se vel amari indignum est, vel odio haberi: itaque bonitas actus voluntatis consistit in relatione illa transcendentali ad illud dictamen, ex quo procedit, & ad illa motiua, à quibus impellimur ad volendum vel nolendum: quæ relatio est intrinseca actui; imo est realiter ipsemet actus, vt dictum est. At vero veritas actus iudicatiui non habetur per hoc, quod actus sit ab hoc vel illo motiuo, secundum hoc vel illud dictamen; sed per hoc quod conformetur obiecto materiali. *Hinc* aliquando continget actum falsum, imperatum à voluntate esse respectu eiusdem voluntatis bonum, quamuis per illum intellectus dicipiatur: puta quando ex imperio voluntatis iudicas bonum esse proximum tuum, quia apparenter est bonus, contingit vt per talem actũ decipiaris. nam cũ apparentia bonitatis, habet verã malitiã; & quamuis veniat ad te in vestimento ouis, est tamen intrinsecùs lupus rapax tamen per iudicium huiusmodi mereris apud Deum, qui omnes actus huiusmodi profectos ex charitate quæ cooperit multitudinem peccatorum, tibi lucro apponit.

Obijcitur quinto. Obiectum est mensura veritatis; mensura veritatis est extra veritatem, ergo obiectum est extra veritatem, & consequenter veritas tota quanta est, in actu est. Hoc argumento P. Hurtadus, impetit nostram

nostram sententiam. Maiorem probat quia per Aristotelem ab eo quod res est, vel non est, oratio vera vel falsa dicitur. Minor autem probatur: quia omnis mensura est extrinseca mensurato; nulla autem mensura est pars rei mensuratæ: puta vlna, quę metitur pãnum, est extrinseca panno, quem metitur, & sic de cæteris.

Resp. concessa maiori: negãdo minorem. Nam mensura recte diuiditur in intrinsecam & extrinsecam; prima ratio mensuræ conuenit obiecto respectu veritatis; secunda vlnę respectu panni, quem metitur: hæc eadem vlna est mensura intrinseca ęqualitatis inter se & pannum, quamuis sit extrinseca panno qui dicitur æqualis. Obiectum etiam est extrinsecum actui, qui dicitur verus: quamuis non sit extrinsecum veritati, qua dicitur verus.

Obijcitur sexto. Aliqui actus sunt per suam essentiam veri, ergo saltem aliquibus actibus veris est intrinseca veritas. Consequentia est euidens; quod enim est per suã essentiam tale, est intrinsece tale. Antecedẽs probatur: quia aliqui actus, puta hic: *Homo est animal rationale* & alij similes, sunt essentialiter veri, ergo sunt veri per suam essentiam.

Resp. Esse essentialiter verum dupliciter intelligi potest. Primo ita esse verum, vt nequeat non esse verum; & tunc idem est esse essentialiter verum, ac esse necessario verum. *Hoc modo hic actus: homo est animal rationale* & alij similes sunt essentialiter veri. Secundo esse essentialiter verum potest accipi pro eodem, ac habere per suam essentiam esse

esse verum: & hoc modo nullus actus verus est essentialiter verus: quia quilibet actus verus, verus est partim per se, partim per obiectũ quod repræsentat. *Hinc* ad argumentum in forma; responde negando antecedens. Ad probationem & cætera, quæ dicuntur, responde cum distinctione: sunt essentialiter veri si ly essentialiter idem sonet, ac necessario: concede: si idem sonet, ac per essentiam ipsius met actus: nega. Obiectum huius actus: *Homo est animal*, necessario ita se habet sicut importatur per hoc iudicium: hinc impossibile est hoc iudicium non esse verum; hoc autem obiectum necessario ita se habere puta hominem esse necessario animal, non est aliquid intrinsecum huic actui, quamuis sit aliquid impossibilitans hunc actum esse falsum.

Obiicitur vltimo. Actus intrinsece diuersus à falso est actus intrinsece verus: aliquis actus est per suam essentiam intrinsece diuersus à falso, ergo aliquis actus est per suam essentiã, & intrinsecę verus. Maior probatur quia omnis actus (sermo est de iudicatiuo) est vel verus, vel falsus: sicut omne animal est irrationale vel rationale. Minor probatur quia assensus quem præbeo Deo dicenti: ego sum Trinus & vnus, & quilibet alius actus fidei supernaturalis, intrinsece differt ab actu falso. Probatur hoc vltimum antecedens: quia actus per suam essentiam exigens verificari, per suam essentiam, & intrinsece differt ab actu falso: huiusmodi sunt prædicti actus fidei, ergo, &c.

Resp. hoc argumentum suasisse multis actus fidei esse per suam essentiam veros non

satis

satis animaduertentibus quod aliud est esse per suam essentiam exigitiuum veritatis; aliud esse verum. Actus fidei per suam essentiam petit dari id, per quod est verus: id quod petit dari est quid distinctum ab ipso, ergo actus fidei est verus per aliquid distinctum ab ipso. Assensus in obiectione propositus, per hoc quod sit adhæsio auctoritati diuinæ, petit dari id quod testatur diuina auctoritas, videlicet Mysterium Trinitatis, per hoc autem quod detur Mysterium Trinitatis est verus hic actus quo dico: *Deus est vnus & Trinus.* Hinc ad obiectionem in forma distingue maiorem: actus per suam essentiam diuersus à falso est per suam essentiam verus formaliter, vel exigitiue: concedo, formaliter: nego. Actus fidei per suã essentiam petit dari aliquid, per quod sit verus: per hoc quod petat dari, est exigitiue, seu radicaliter verus: per hoc quod detur id, quod petit, est verus.

QVAESTIO III.

De veritate circa futurum.

ARTICVLVS I.

An detur veritas circa futurum contingens.

Est apud vulgus celebre proloquium: De futuris contingentibus non datur determinata veritas: & vt apud vulgus sonat est verum. Idem enim intelligit per determinatam veritatem, ac veritatem sibi determinate

nate cognitam: certum est autem circa futura contingentia, non dari veritatem certò nobis,& determinate cognitam.

Ad resolutionem quæstionis proponere oportet duas propositiones de futuro in materia contingenti contradictorias: puta: *Petrus cras saltabit*, &: *Petrus cras non saltabit*: quæritur an ex duabus hisce propositionibus altera sit determinate vera, altera determinate falsa. In hac controuersia videtur Philosophus lib. primo Periherm. cap. 6. docere neutram esse determinate veram, neutram determinate falsam. Ratio quæ mouit Philosophum est ne tollatur contingētia aut libertas effectus contingentis aut liberi: si enim nunc verum est: *Petrus cras pugnabit* quomodo cras contingenter, & libere pugnabit? cum cras non sit in potestate Petri vt propositio quæ hodie fuit vera, non fuerit vera. Hoc argumentum petit vel libertatem humanam, vel diuinam præscientiam. Primam ex veteribus nonnulli abolere voluerunt, omnia fato agi opinantes vt diuinam præscientiam tuerentur; secundam multi negarunt, vt homines esse liberos sustinerent,adeoque insipienter & stulte vt homines facerent liberos,fecere sacrilegos.

Aliqui recentiores non negant propositionem de futuro esse determinate veram,aut determinate falsam: negant tamen esse determinate veram aut determinate falsam in in natura. Sic autem Philosophantur. Vt hæc propositio: *Antichristus peccabit*, sit determinate vera nunc, debent nunc dari cōstitutiua veritatis: nunc autem non dantur in natura constitutiua veritatis, ergo nunc

non

non est determinate vera. Minor probatur quia vnum ex constitutiuis huius veritatis est peccatum Antichristi, quod non datur nunc in natura. Porro quamuis non detur in natura, datur tamen in diuina præscientia, cui æque præsens est, ac peccatum quod de facto existit: igitur cum & propositio existat & verificatiuum ipsius, non in se, sed in diuina scientia: propositio vera est non in natura, seu non veritate quæ sit in natura, sed veritate quæ est in præscientia. His positis.

. Dicendum est absolute, & sine vlla limitatione. Ex duabus propositionibus contradictorijs de futuro in materia contingenti, altera est determinate vera, altera determinate falsa. Hanc sententiam non esse contra Philosophum sunt qui diu disputent. Quidquid sit de mente Philosophi, hanc esse veram probabimus ex principijs eiusdē Philosophi. Tenendum est igitur primo id quod ex Philosopho dictum est superius; videlicet: eo quod res est vel non est, propositio vera vel falsa dicitur. Ly autem *est vel non est* accipienda sunt non in statu, sed ampliatiue ad illam temporis differentiam, quæ per propositionē significatur. Hunc esse sensum Philosophi manifestum est: quia doctrinæ veritatem explicat per propositiones de præterito; circa quas non metuit ne veritas contingentiæ aut libertati officiat: ita vera est hæc propositio, & quidem vera nunc: *Socrates disputauit*: ab eo autem quod res est vel nō est oratio est vera, ergo ab eo quod est, vel non est disputatio Socratis: per hoc autem quod fuerit, dicitur esse prout requiritur ad veritatem.

Tenen-

Tenendum est secundo, quod ab omnibus supponi debet vt indubitatum, videlicet: quodlibet est vel non est: siue de quolibet obiecto impossibile est neutrum ex istis verificari, & simul impossibile est vtrunque in eodem instanti verificari. Tam enim implicecat quod peccatum Petri v. g. in instanti *A* neque sit neque non sit; quam quod simul sit & non sit. Hæc ab eo negari nequeunt qui intelligat terminos. Faciat iam aliquis hanc propositionem: *Petrus cras hora meridiana saltabit*: hanc esse determinate veram vel determinate falsam sic probas. Necessarium est quod Petrus cras hora meridiana vel determinate saltet, vel determinate non saltet: sed si saltet propositio est vera nunc; si non saltet, est falsa, ergo prædicta propositio est nunc vel determinate vera, vel determinate falsa. Maior probatur quia impossibile est quod Petrus cras hora meridiana neque saltet, neque non saltet, & quod simul saltet, & non saltet, ergo necessarium est metaphysice vt determinate saltet, vel determinate non saltet Minor probatur: quia eo quod res est, vel non est tempore importato per propositionem, propositio vera vel falsa dicitur; sed res affirmata, scilicet saltus Petri, necessario necessitate metaphysica determinate est, vel determinate non est in tempore importato per propositionem, ergo propositio est vel determinate vera, vel determinate falsa.

Huius argumenti vis declaratur. Si cras hora meridiana fiat hæc propositio: *Petrus saltat*: propositio est determinate vera, vel determinate falsa, ergo hodie hæc propositio:

Petrus

Petrus cras hora meridiana saltabit: est determinate vera, vel determinate falsa. Nemo negat ant. conseq. probatur. Quia ideo propositio de præsenti: *Petrus saltat*, est vera, quia obiectum ita se habet sicut dicitur se habere, in tempore significato per propositionem: sed per hoc ipsum est vera propositio dicens: *cras saltabit*, ergo hec etiam est vera. Minor probatur: quia eo ipso quod hora meridiana Petrus saltet, saltat in tempore significato per propositionem, quę antecedenter dixit: *hora meridiana saltabit*. Hinc si videam hodie Petrum saltantem, & ex teheri audierim: *Petrus cras saltabit*: dico: heri dixisti verum.

Confirmatur. Ideo est determinate vera, vel determinate falsa propositio de præsenti: *Petrus saltat*, quia impossibile est Petrum in hoc instanti neque saltare, neque non saltare, aut saltare simul & non saltare, ergo omnis propositio affirmans pro hoc instanti Petrum saltare est vel determinate vera, vel determinate falsa. Probatur consequentia quia est impossibile in hoc instanti saltum Petri nec esse nec non esse, aut simul esse & non esse: sed si est in hoc instanti: vera est propositio affirmans quod sit in hoc instanti: si non est, est falsa, ergo omnis propositio affirmans quod sit in hoc instanti, est vel determinate vera, vel determinate falsa.

Denique probatur conclusio quia hoc disiunctum: *Petrus cras saltabit, vel non saltabit* est necessario verum, ergo qualibet pars ipsius est vel determinate vera, vel determinate falsa. Consequentia probatur quia si neutra pars disiuncti est determinate vera

aut

aut determinate falsa, potest totum disiunctũ negari; sicut negares hoc: *Petrus cras vel saltabit, vel cantabit*. Potest enim contingere, vt Petrus cras neque cantet, neq. saltet. Quotiescunque autem non datur necessitas vt altera ex partibus disiuncti sit vera, & ex falsitate vnius non infertur veritas alterius: totum disiunctum negari potest. Est autem euidens quod ex hac propositione negata: *Petrus cras saltabit*, non inferes, *ergo cantabit*: & consequenter negare potes totam hanc propositionem disiunctiuam: *Petrus cras vel cantabit, vel saltabit*.

Ad argumenta quæ pro conclusione attulimus solet aduersarius respondere. Eo quod res est vel non est propositio est vel vera vel falsa: in propositionibus autem de futuro, res, dum propositio fit, neque est, neque non est pro tempore significato: nam tempus significatum est futurum quod non est, & consequenter res non est illo tempore; neque illo tempore existente non est: primum requiritur ad veritatem, secundum ad falsitatem. Rem explico. Vt vera sit hæc propositio: *Petrus saltabit* oportet vt existente tempore quod significatur existat saltus Petri: vt falsa sit; oportet vt existente tali tempore saltus non existat: nunc auté cum tale tempus non existat neutrum datur: videlicet neque quod saltus coexistat tempori significato, neque quod negatio saltus.

Hæc responsio non valet, neque huiusmodi argumento vti potuit Philosophus negans veritatem propositionis circa futurum. Ratio est: quia eodem omnino ratiocinio probabis neque esse veram neque falsam propo-

sitionem

sitionem de præterito. Tam enim non datur preteritum, quam non datur futurū. Coexistentia rei cum tempore consignificato determinate datur, vel determinatè non datur in eodem tempore. Si primum: est vera nunc; si secundum, est falsa propositio.

ARTICVLVS II.

Satisfit nonnullis obiectionibus.

Obijcies primò. Quecunque sunt nunc in natura, sunt indifferētia ad saltum Petri & ad negationem saltus, ergo nihil nunc datur in natura magis trahens saltum quam negationem saltus: sed si nihil datur nunc magis trahens saltum quam non saltū, aut è conuerso, non est determinate verum, neque quod saltabit, neque quod non saltabit, ergo hæc propositio. *Petrus cras saltabit*, non est neque determinate vera, neque determinate falsa.

Resp. concesso primo entimemate; negando minorem subsumptam. Nam ad veritatem propositionis prædictæ non est necesse dari aliquid nunc magis trahens saltum, quā non saltum: requiritur autem quod cras, hoc est in tempore significato per propositionem, detur potius saltus, quam non saltus: & quia impossibile est cras non dari neque saltum neque non saltum, ideo impossibile est propositionem hanc non esse neque veram, neque falsam.

Dices: ad hoc vt propositio sit vera debet dari id per quod sit vera: sit vera per saltum Petri, ergo debet dari saltus Petri: nunc non

datur

datur saltus Petri, ergo nunc non est vera.

Resp. distinguendo maiorem: debet dari id, &c. in tempore significato per propositionem: concedo; in tempore in quo effertur propositio: nego. Aliter non esset vera propositio de præterito, cuius veritatem admittit etiam Aduersarius. Aduerte autem hic duo. Primum quod ad veritatem propositionis adductæ impertinenter se habet quod existat, vel non existat in rerum natura saltus Petri quando effertur propositio: si enim quando dicis: *Petrus cras saltabit*, Petrus saltet, & cras cesset à saltu; cum toto saltu hodierno falsum dicis: si non saltet nunc, sed cras; dicis verum.

Secundum est quod etiamsi supponas nunc Petrum determinatione infallibili determinatum ad saltum crastinum, tamen hęc propositio: *Petrus cras saltabit*, non verificatur per huiusmodi determinationem. Ratio est quia eo quod res affirmata est aut non est, propositio est vera vel falsa: res autem affirmata est saltus crastimus; igitur eo quod sit vel non sit saltus crastinus, oratio est vera vel falsá, Determinatio prædicta verificaret hanc propositionem: *Datur nunc determinatio ad saltum crastinum*, per quam videlicet affirmatur hæc ipsa determinatio.

Dices. Impossibile est dari prædictam determinationem, & propositionem hanc: *Petrus cras saltabit* non esse veram, ergo hæc propositio verificatur per prædictam determinationem.

Resp. concesso antecedenti: negando cõsequentiam. Impossibile est dari determinationem prædictam quin detur in tempore requi-

requisitio id per quod propositio est vera; & consequenter impossibile est cum tali determinatione non esse veram: id tamen quod à tali determinatione trahitur infallibiliter, est aliquid distinctum ab ipsa determinatione. Posset dici quod per talem determinationem verificatur consequenter, non autem formaliter; prædicta propositio: quia quamuis hæc ipsa determinatio per se ipsam nō verifiret; infert tamen infallibiliter id, quod per se ipsum verificat.

Objicies secundo. Vt propositio sit vera nunc debent dari nunc omnia constitutiua veritatis: in propositione de futuro non dantur; ergo hæc non est nunc determinatę vera. Siue vt propositio sit vera nunc debet dari nunc id per quod sit vera: non datur nunc id, per quod sit vera propositio de futuro, ergo nunc non est vera propositio de futuro. Maior probatur inductione. Vt paries sit albus nunc, debet dari nunc id per quod sit albus. Vt Petrus sit sapiens nunc, debet dari nunc id, per quod sit sapiens, & sic de cæteris, ergo vt propositio sit vera nunc, debet dari nunc id per quod sit vera. Antecedens probatur quia implicat parietem esse nunc album per albedinem quæ non est, sed erit: Petrum esse sapientem per sapientiam, quæ non est, sed erit.

Resp. hoc argumentum æque militare contra veritatem de præterito ac contra veritatem de futuro. Sicut paries nequit esse albus nunc per albedinem quæ non sit, sed erit; ita neque per albedinem quæ non sit, sed fuerit, & sic de ceteris. Præterea paries nequit esse albus hic per albedinem quæ non

non ſit hic, ſed alibi, ergo oportet vt id per quod eſt albus hic, non ſolum ſit, ſed ſit hic. Hoc poſito roga aduerſarium an propoſitio de præſenti per quam dicis *Turca eſt Conſtantinopoli*, ſit vera, hic? ſi negat: inepte negat; nam ibi eſt vera propoſitio vbi eſt; eſt hic, ergo vera eſt hic: ſi concedit: contrà eſt: vt paries ſit albus hic debet dari hic id per quod ſit albus, ergo vt propoſitio ſit vera hic, debet dari hic, id per quod ſit vera; eſt vera per obiectum, ergo debet dari hic obiectum talis propoſitionis. Qui ſic philoſophatur, nugatur: non tamen plus valet argumentum propoſitum: ad hoc vt propoſitio ſit vera nunc debet dari nunc id per quod ſit vera, &c.

In forma ad argumentum nega maiorem. Ad probationem conceſſo antecedenti: nega conſequentiam: diſparitas eſt quia paries eſt formaliter albus per vnionem albedinis ad ipſum, & quidem vnionem phyſicam: implicat autem eſſe phyſice vnitam albedinem, que non ſit, ſed ſolum vel fuerit vel ſit futura. Propoſitio autem vera eſt, non per vnionem phyſicam obiecti ad ipſam; ſed per hoc quod in tempore ſignificato per ipſam res ita ſe habeat ſicut, affirmatur per ipſam, Eo enim quod res eſt vel non eſt, &c.

Dices. Implicat eſſe veram nunc potius quam non verã, & nihil dari nunc per quod potius ſit vera quam non vera: nihil datur nunc per quod potius ſit vera quam non vera, ergo implicat eſſe veram nunc.

Reſp. negando maiorem. Denominatio veræ non habetur ex eo quod eſt nunc, quia nunc non eſt tempus ſignificatum per propo-

sitionem; sed ex eo quod est vel non est in tempore quod per positionem significatur: etiam circa propositionem de præterito non datur nunc id per quod potius sit vera quam non vera. Verum est: *Turca pugnauit* per pugnam, quæ fuit & non est nunc.

Replicat aduersarius noster hanc propositionem *Turca pugnauit*, veram esse non per pugnam quæ fuit: sed per species relictas talis pugnæ, aut per aliquid aliud cum tali pugna connexum: nihil autem est nunc connexum cum pugnâ futura: adeoque non est mirum esse veram propositionem de præterito, non autem de futuro.

Vtinam responsiones huiusmodi patienter audirem? Quid si nec species, nec quidquam aliud prædictæ pugnæ remanserit? respondent esse impossibile. Saltem Deus præteritæ pugnæ vel meminit vel adhuc præsens est. Si in solo Deo remanet prædicta pugna; tunc propositio vera est, & verificatur per Deum. Si dicas: etiamsi per impossibile neque in Deo esset huiusmodi pugna: per hoc præcise quod fuerit; verum est: pugnauit: respondent vel negando, vel concedendo vtrumque contradictorium; videlicet fore verum, & non fore verum, quia fit suppositio per impossibile.

Sed contra est. Nam: non eo quod remanserit aliquid rei, aut non remāserit, oratio vera vel falsa est: sed eo quod res est, vel non est in tempore significato per propositionem, vt ex Philosopho dictum est, doctrinam suam explicante per propositiones tam de præterito quam de præsenti. Puta tam per disputationem Socratis quæ fuerat,

quam

quam per ambulationem Platonis quæ erat. Facile est in hac controuersie confundere veritatem præcise, cum veritate scita. Si nihil remanserit de pugna præterita; nescimus verum esse *Petrus pugnauit*: si enim nemo meminit talis pugnæ vnde scis verum esse: *pugnauit*? Etiamsi tamen hoc verum esse nemo sciat, tamen si realiter pugnauit: verum est *pugnauit*. Hoc idem patet in propositione de præsenti. Fac aliquem in cubiculo clauso etiam dormientem saltare ita vt nec ipse, nec vllus alius sciat ipsum saltare. Contingat autem te ipso saltante temere dicere; *Grillus saltat*. Dicis verum nec tamen scis aut vllus alius scit te dicere verum. Denique de speciebus relictis aut perseuerante memoria rei præteritæ, dic illud idem quod diximus de præsenti determinatione infallibili, si daretur ad rem futuram. Esse videlicet quid connexum cum verificatiuo, non esse tamen ipsum met verificatiuum propositionis. De ijs qui propositiones verificant, non per obiecta ipsarum, sed per res cum obiectis connexas, dicetur infra quæstione sequenti.

ARTICVLVS III.

Audiuntur iterum Aduersarij.

PRæter ea quæ dicta sunt ab aduersarijs, alia etiam ex alijs capitibus petita afferri solent: quæ quamuis reipsa leuia sint, habent tamen apparentiam periculosæ difficultatis. Hæc enim veritas: *Petrus cras saltabit*, si hodie detur, quomodo Petrus cras

contingenter & libere saltabit? supposito enim quod vera sit hæc propositio, nequit non esse vera: hoc est nequit esse vera simul, & simul falsa. Si autem nequit esse falsa in sensu composito veritatis; quomodo in sensu composito veritatis, Petrus cras libere saltabit? cum nequeat non saltare nisi falsificando propositionem hodiernam: *Petrus saltabit.* Hęc difficultas sic proponitur.

Si hæc propositio: *Petrus cras saltabit* est nunc determinate vera, saltus Petri cras non erit liber; consequens est falsum, ergo & antecedens. Sequela maioris probatur: quia si cum tota veritate huius propositionis, Petrus cras libere saltet, potest non saltare: ille enim libere saltat qui ita saltat vt possit non saltare: supponamus igitur non saltare: tunc propositio erit falsa, quæ dictum est: *Petrus saltabit*, ergo si cum veritate propositionis, Petrus libere saltat, potest propositio cum sui veritate esse falsa. Breuiter: stante veritate propositionis si saltus est liber, potest non poni: Si non ponitur, propositio est falsa, ergo stante veritate, si saltus sit liber, potest esse falsa.

Hoc argumento quo videtur inductus Philosophus ad negandam veritatem propositionis de futuro innumerabiles mortales decepit circa diuinam præscientiam infallibiliter veram. Est verum nunc & Deus certo scit esse verum: *Antichristus peccabit*. Compone iam libertatem Antichristi cum tali veritate, quem tamen certum est, eo ipso quod peccabit, libere peccaturum: quicunque enim peccat libere peccat. Sic tamen contra huiusmodi libertatem pugnare potes:

Si

Si Antichristus libere peccabit, poterit non peccare: supponamus igitur quod non peccat, hoc posito falsa est diuina scientia dicens: *Antichristus peccabit*, ergo potest esse falsa diuina scientia. Rursus stante veritate talis scientiæ Antichristus libere peccat, ergo stante veritate huius scientiæ potest non peccare: sed si non peccet, falsificat, ergo scientia vera, simul cum sui veritate, potest esse falsa. Vide quot absurda: primo scientiam Dei posse falsificari: secundo etiam data ipsius veritate posse simul esse falsam. Primum est impium; secundum insuper ridiculum.

Resp. hoc argumentum eodem robore militare cõtra veritatem propositionis de præsenti. Hæc propositio: *Petrus saltat* est determinate vera, ergo saltus Petri non est liber. Probo consequentiam. Si stante veritate huius propositionis saltus Petri est liber; saltus Petri ita est, vt possit non esse: quod enim libere est, ita est vt possit non esse. supponamus igitur non esse: iam propositio est falsa, ergo hæc propositio potest esse simul vera & simul falsa. Vno verbo stante veritate huius propositionis: *Petrus saltat*: Petrus potest non saltare: sed si non saltet, propositio est falsa, ergo hæc propositio, stante sui veritate, potest esse falsa: probatur maior quia stante veritate huius propositionis, Petrus libere saltat, ergo potest non saltare. Imo potes in ipsa propositione importare libertatem actus Petri dicendo: Petrus libere saltat, & supposita veritate huius propositionis ostendere vel falsitatem eiusdem, vel negationem libertatis in ipso saltu libero Petri: hoc est demonstrare

falsitatem ex vtroque eapite. Hoc idem argumentum verte contra propositionem de præterito: *Petrus peccauit*, cuius veritas stat cum libertate Petri exercita per actum peccandi.

Hæc autem omnia argumenta statim corrunt si bene intelligas principia suprapofita: ex eo quod res est, aut non est propositio vera vel falsa dicitur. Hinc diximus veritatem haberi partim per cognitionem partim per obiectum; ex quo statim intelligis quod supponere veritatem huius propositionis: *Petrus peccat*, est supponere Peccatum Petri nunc; supponere veritatem huius alterius: *Petrus cras peccabit*, est suppenere peccatum Petri in tempore crastino. Supponere autem quod peccatum sit & non sit respectu eiusdē instantis, est supponere contradictoria, & falsitatem primi principij per se immediate noti: Impossibile est idem simul esse & non esse. Ex quibus sic argues: esse veram hanc propositionem: Petrus peccabit, est dari hanc propositionem nunc & peccatum Petri in tempore futuro; non potest dari simul & non dari peccatum Petri in tempore futuro, ergo non potest supponi esse veram hanc propositionem & non dari Peccatum Petri.

Hinc aduersarius ad instantiam de præsenti dicit quod qui petit hanc propositionem: Petrus saltat, esse veram & simul non poni saltum Petri; petit poni, & non poni saltum Petri; & consequenter negandum est suppositum; Nam libertas non consistit in hoc quod actus saltandi possit simul poni & non poni, hoc est componi cum suo contradictorio: ad hoc enim non modo non datur

libertas, sed nec vllum genus potentiæ: libertas autem consistit in hoc quod ita ponas hunc actum, vt potueris non ponere determinando te ad contrarium vel contradictorium ipsius. Libere dicto; non quia possim in sensu composito dictandi non dictare: dictare enim & non dictare simul est chimericum: sed quia ita dicto vt potuerim eligere non dictare. Non sic de sua calefactione loqui posset ignis dicendo: sic calefacio subiectum mihi iuxta positum vt possim aut potuerim me determinare ad non calefaciendū. Hinc suæ calefactionis ignis est causa necessaria; meæ dictationis seu lectionis ego sum causa libera.

Hæc omnia vera sunt & penitus dissoluūt difficultatem propositam. Igitur ad argumētum in forma respondeo negando sequelam maioris. Ad probationem respondeo cum distinctione: si cum tota veritate propositionis libere saltet potest nòn saltare; potentia simultatis: nego; simultate potentiæ: concedo. Dum dicitur supponamus cum tota veritate propositionis Petrum non saltare: negandum est suppositum, æque ac si diceret aduersarius: supponamus Petrum saltare & simul non saltare. Hoc est euidens ex dictis: nam supponere veritatem propositionis est supponere quod Petrus saltet; & consequenter supponere cum tali veritate, quod Petrus non saltet, est supponere quod saltet simul & non saltet: hæc autem simultas saltus & non saltus per nullam potentiam dari potest: quamuis detur simultas immo identitas potentiæ ad saltum & non saltum, quia per illam eandem potentiam per quam determi-

nat se Petrus ad saltum, posset determinare se ad non saltum. Idem dic de peccato. Quotiescunque peccas, per potentiam non peccandi, peccas, adeòque simul cum peccato stat potentia non peccandi, imo peccatum ipsum fit per potentiam non peccandi: non tamen datur potentia ponendi simul peccatum cum non peccato, seu cum negatione peccati.

Ex his patet ad cætera. Cum diuina præscientia de peccato Antichristi poterit Antichristus non peccare quia peccabit per potẽtiam non peccandi; adeoque libere peccabit. Dum dicitur ponamus quod non peccet distingue, quod non peccet, stante præscientia quod peccet, nego suppositum; in sensu diuiso à tali præscientia, admitto, Quicunque supponit præscientiam de peccato supponit peccatum quod per existentiam sui in tali tempore determinat præscientiam Dei; supponere igitur dari huiusmodi præscientiam, & non dari peccatum, est supponere dari peccatum, & non dari peccatum. Ad illud, quod libere est, ita est, vt possit non esse: peccatum libere est, ergo ita est vt possit non esse; distingue maiorem, ita est vt possit non esse in sensu composito essendi: nega maiorẽ, ut possit non esse simpliciter: concede, & concessa minori: eodem modo distingue consequens. Actus liber non in hoc differt à necessario quod dum est possit simul non esse hoc enim inuoluit contradictoria, & ut ait Philosophus: omne quod est necesse est, quã-do est, esse: sed in hoc quod per eandem potentiam per quam ponitur, posse non poni, vel poni oppositus loco ipsius. Apparet satis quid intelligamus per potentiam simultatis,

&

& per simultatem potentiæ, potentia simultatis est potentia coniungendi simul hoc & illud, hæc potentia non datur ad opposita: puta ad peccatum, & non peccatum, saltum & non saltum, nec enim quis potest saltare simul & non saltare; peccare & non peccare; datur ad disparata, puta potest aliquis coniungere simul actum ambulandi, cum actu loquendi & infinitis alijs huiusmodi. Simultas potentiæ est coniunctio in eodem subiecto potentiarum ad opposita, hæc datur, nã in homine est simul potentia volendi cum potentia nolendi: potentia peccandi cum potentia recte operandi; imo est vna eademque potentia, dum autem exercet se per unum actum, non desinit esse potentia ad oppositũ, quamuis numquam fuerit potentia ad vtrũque simul.

Dices. Posita veritate huius propositionis, *Petrus cras peccabit*, Petrus cras non potest non peccare, ergo veritas talis propositionis ponit necessitatem peccandi, ergo tollit libertatem. Hoc idem valet contra diuinam præscientiam quam videlicet impossibile est non esse veram. Posita hac præsciẽtia, *Antichristus peccabit*, Antichristus non poterit non peccare, ergo talis præscientia ponit necessitatem peccandi, ergo tollit libertatem.

Resp. hoc idem militare contra veritatem de præsenti. Posita veritate huius propositionis *Petrus peccat*, non potest Petrus non peccare, ergo hęc veritàs ponit necessitatem peccandi. Item posita visione qua vides Petrum peccare non potest Petrus non peccare, ergo uisio tua ponit necessitatem peccandi.

Quæ omnia ita concludunt contra libertatem, sicut concluderet hoc, posito quod pecces non potes non peccare, ergo peccare ponit necessitatem peccandi. Eo igitur modo posita veritate propositionis prædictæ; & posita præscientia de peccato Petri, necesse est Petrum peccare; quod posito peccato necesse est peccare: hæc autem necessitas impertinenter se habet ad libertatem, ergo & illa.

Ad argumentum in forma vel nega simpliciter ant. vel distingue: non potest non peccare in sensu composito talis veritatis & præscientiæ: concede; in sensu diuiso: nega. Sicut in sensu composito peccati nequit esse non peccatum: hoc est sicut nequit coniungi negatio peccati cum peccato; ita neque negatio peccati, cum veritate propositionis, & præscientiæ quod erit peccatum. Huiusmodi impossibilitas vocatur hypothetica & cõsequens, non autem absoluta & antecedens.

Idem dic de necessitate. Quia videlicet posito quod sit, necesse est esse: & impossibile est non esse simul & esse; adeoque implicat cum hypothesi non essendi, esse aut contra.

Dices. Hæc conseq. est infallibilis: Deus scit Antichristum peccaturum; ergo peccabit; ergo ex diuina scientia infertur infallibiliter peccatum Petri, ergo nequit non esse peccatum Petri cum diuina præscientia, ergo diuina præscientia est necessitas peccandi.

Resp. concedendo totum; præter vltimã consequentiam. Diuina præscientia non est necessitas peccandi; sed aliquid necessario consequens ad peccatum Petri. Posito enim quod Petrus cras in instanti *A* peccet, necessarium est in Deo esse ab æterno scientiam

talis

talis peccati: ab existentia autem rei necessario consequentis ad existentiam *A* est infallibilis consequentia ad existentiam ipsius *A*. Atque hic obiter nota duas istas illationes. *Antichristus peccabit, ergo Deus ab æterno vidit & videt illum peccaturum*, &: *Deus ab æterno videt Antichristum peccaturum, ergo Antichristus peccabit.* Ambæ sunt veræ & infallibiles, sed non eiusdem rationis. Prima est à priori secunda à posteriori: quod videri potest imperitis mirabile cum diuina scientia tota æternitate antecedat peccatum, hinc sic arguunt.

Diuina scientia necessario infert peccatū: hæc eadem antecedit peccatum, & quidem tota æternitate antecedit, ergo infert peccatū necessario necessitate antecedenti. Respondere potes concessa vtraque præmissa; negando consequētiā necessitas antecedens non est ea per quam vnum infertur ex alio quod antecedat tempore, sed est ea per quam vnū infertur ex alio quod antecedat causalitate: quamuis autem diuina scientia antecedat æternitate, non tamen antecedit causalitate peccatum Petri: sed potius peccatum Petri antecedit quadam causalitate præscientiam Dei: nam vt aiunt Sancti Patres: non ideo Petrus peccat quia Deus vidit illum peccaturum; sed ideo Deus vidit illum peccaturum, quia peccat: peccatum igitur determinat Deum ad scientiam sui; non autem scientia determinat peccatum ad existētiam. Propterea scientia Dei infertur ex peccato per illationem à priori; peccatum autem infertur ex præscientia illatione à posteriori.

In hac igitur materia, siue sermo sit de

præscientia siue de qualibet veritate, circa rem futuram tenendum est, veritatem ipsam siue præscientiæ siue cuiuslibet alterius cognitionis; haberi formaliter per ipsam rem: adeoque quicunque supponit veritatem, supponit rem ipsam: inepte autem petit quod etiam facta suppositione quod sit res, non sit: & consequenter inepte petit supposita veritate, quod res non sit. Vnde dicitur in tali casu res necessario esse necessitate ex suppositione, quia vt ait Philosophus, rem, posito quod sit, necesse est esse, quod nihil aliud significat nisi impossibile esse quod res simul sit & non sit.

ARTICVLVS IV.

Satisfit nonnullis quæsitis.

AD maiorem intelligentiam quæres 1. An detur veritas propositionis de futuro contingenti? Huic quæsito fortasse existimas satisfactum per conclusionem supra positam: qua dictum est propositionem de futuro contingenti esse vel determinate verã vel determinate falsam. Re ipsa satisfactum est; ita vt quod superest decidendum pertineat potius ad quæstionem de nomine. ¶Veritas, vt dictum est, consistit partim in actu, partim in obiecto: non datur obiectum simul, & actus, ergo non dantur ea in quibus consistit veritas. Hoc argumentum est clarum, adeoque veritas huius propositionis: *Petrus cras saltabit*: physice non est in rerum natura: est tamen logice, & denominatiue quia & in rerum natura est id supra

quod


quod cadit denominatio veri, & obiectum ipsum per quod completur in ratione veri est in tempore importato per propositionem Quamuis enim veritas habeatur formaliter partim per actum, partim per obiectum tamē, verum, est ipse met actus, non autem partim actus & partim obiectum. Ita cognitum habetur in ratione cogniti per formam sibi extrinsecam, & intrinsecam cognoscenti: ipsum tamen cognitum est adæquate extra cognoscentem. Idem apparet in antiquo, quod apret in vero. Si quis roget an detur nunc antiquum? respondebis affirmatiue, & ostendes templum Vestæ vel Pantheon Agrippæ. Si roget an detur antiquitas: quid respondebis? antiquitas habetur per annos prætetitos: nunc non dantur anni præteriti; ergo nunc non datur antiquitas: non datur physice: concedo, non datur denominatiue: nega; li *datur* & li *est* ex hominum placito sumūtur ampliatiue & faciunt propositionem veram per hoc quod forma exigita seu res quā ad sui veritatem requirit propositio, fuerit, vel sit, vel futura sit, in differentia temporis opportuna.

Quæres secundo. An eodem modo detur veritas de futuro, sicut datur de preterito Ratio dubitandi est quia cum præterito datur aliquid quod sit cōnexū & est de præsenti: futuro nihil: secundo propositionem de præterito esse determinate veram determinate scimus, & hoc ipsum, per id quod est connexum cum ipsa: puta scimus hanc propositionem: *heri egregie recitatum est in Seminario Romano* esse veram, & hoc ipsum scimus per species relictas, quas nulla vnquā

delebit

delebit obliuio. Esse autem veram hanc aliam: *etiam sequenti festo egregie recitabitur:* nescimus quamuis aliqualiter possimus conijcere. *Hinc* alia species veritatis conuenire videtur propositioni de preterito, ac propositioni de futuro.

Resp. ad quæsitum affirmatiue: eandem videlicet veritatem conuenire propositioni de futuro, quæ conuenit de præterito. Ad rationem dubitandi dic ea omnia impertinenter se habere ad conceptum veritatis; sicut impertinenter se habet ad rationem hominis quod sit rectus vel clausus, niger vel albus, personatus vel nudus. Vtrobique veritas consistit in hoc quod res in esse rei, & in se ipsa ita se habeat, sicut repræsentatur per cognitionem, vtrobique autem res ita se habet, sicut importatur per propositionem; ergo vtrobique habetur eadem veritas: sic enim præteritum fuit, vt non sit: sic futurum erit, vt non sit; & per hoc ipsum, vtrumque est in tempore significato per propositionem.



QVA.

QVAESTIO IIII.

De veritate propositionis de futuro conditionato in materia contingenti.

ARTICVLVS I.

An propositiones huiusmodi sint vel determinate veræ, vel determinate falsæ.

AD quæsitum pro titulo positum ponimus pro responsione conclusionem affirmatiuam, quam ex ijsdem principijs deducimus, ex quibus deduximus supra determinatam veritatem, vel falsitatē propositionum de futuro absoluto in eadem materia. Sit igitur hæc propositio: *si Petro cantauero, Petrus saltabit*: hac propositione nec affirmo me cantraturũ, nec Petrũ saltaturũ sed saltaturũ Petrũ si Petro cãtauero. Probatur autẽ quod sit vel determinate vera, vel determinate falsa: quia implicat, posita conditione, videlicet meo cantu, Petrum neque saltare, neque non saltare; aut saltare simul, & non saltare, ergo in illa differentia temporis, in qua cantarem, quæcunq. illa sit, necessario vel dabitur determinate, saltus Petri, vel negatio eiusdem. Implicat enim pro qualibet differentia temporis nec esse, nec non esse saltum Petri: vtrumlibet autem ex contradictorijs sit, determinate est,

vt patet; sed si esset saltus, est vera; si esset negatio saltus, est falsa, ergo hæc propositio est vel determinate vera, vel determinate falsa. Probatur minor, quia: *eo quod res est, aut non est, prout effertur per propositionem; oratio vera vel falsa dicitur.* Sicut igitur ex eo, quod potius fuit, quam non fuit saltus, verum est, *saltauit*, aut contra. Ex eo, quod erit potius, quam non erit, est verum: *saltabit*; ita eo quod potius esset, quam non esset, verum est: *saltaret*, aut contra. In hypothesi autem mei cantus, impossibile est, quod neutrum esset; adeoque quod non esset vnum ex contradictorijs determinatè præ alio.

Hoc eodem ratiocinio probabis etiam conditionatam sub hypothesi disparata, qualis est hæc: *si Turca saltaret, ego dormirem* vel; *si Turca saltaverit, ego dormiam*, &c. Esse vel determinate veram vel determinate falsam. Nam posita tali hypothesi, videlicet saltu Turcę, est impossibile metaphysice non coexistere ipsi nec dormitionem meā; nec negationem meę dormitionis: quæcunque autem coexistat, determinate coexistit, & prę suo contradictorio coexistit; si autem coexisteret dormitio, verum est: *dormirem*; si negatio, falsum est: *dormirem*, vt habes ex dictis.

Explicatur hoc ipsum vberius: quia sicut si ego cantarem, in aliqua differentia temporis cantarem; ita si Turca saltaret, in aliqua differentia temporis saltaret. Sicut igitur implicat, quod in illa differentia temporis, in qua Petro cantarem, nec sit saltus, nec sit negatio saltus Petri, aut sit simul saltus, &

nega-

negatio saltus: ita implicat quod in illa differentia temporis, in qua Turca saltaret, nec sit mea dormitio, nec negatio meæ dormitionis, aut quod sit vtrumque. Quamcumque enim differentiam temporis excogites; implicat quod non sit in illa alterutrum ex quibuslibet contradictorijs, aut quod in illa sit ex quibuslibet, vtrumque simul.

Contra conclusionem proponi posset hoc sophisma. Si Petro cantabo, Petrus saltabit: sed si Petro cantabo, & non saltabit; Petro cantabo: ergo si Petro cantabo, & non saltabit. saltabit Vel: si Petro cantaré, Petrus saltaret: si cantaré Petro, & non saltaret; Petro cantarem: ergo si Petro cantarem, & non saltaret, saltaret. In quo concludi vides, quod etiam non saltans saltat, quod repugnat. Maior autem est doctrina nostra: minor est euidens: nam siue saltet Petrus, siue non saltet; Petro cantas, dum Petro cantas.

Resp. conc. mai. & min. neg. cons. in maiori ponitur conditio sine vlla restrictione; in minori autem restringitur per contradictorium conditionati: adeoque committitur fallacia, quam vocant à simpliciter ad secundum quid, vel à non restricto ad restrictum: qualis est hæc: *qui dicit te esse animal, dicit verum: qui dicit te esse equum, dicit te esse animal: ergo qui dicit te esse equum dicit verum.* In qua *animal* in maiori ponitur sine restrictione ad vllam speciem; in minori autem cum restrictione ad speciem equinam. Similiter in proposito sophismate ponitur in maiori pro conditione: *si cantabo*, vel *si cantarem*, sine vlla restrictione: in

in minori autem hæc eadem cōditio restringitur ad *cantarem* coniunctum cum negatione saltus; dicitur enim: *si cantarem, & non saltaret.*

ARTICVLVS II.

Per quid formaliter sint veræ propositiones prædictæ.

AD resolutionem quæsiti dicendum est primò: non omnis propositio ad sui veritatem requirit obiectum pro aliqua differentia temporis existens. Probatur hoc. *Alter mundus, non est*, aut: *alter mundus non erit* est propositio vera. hæc non requirit existentiam physicam vllius obiecti, pro vlla differētia tēporis, ergo non omnis propositio ad sui veritatē &c. minor probatur, quia per hoc præcise, quod alter mdndus nō sit, & numquam futuris sit, est formaliter verum: *alter mundus non est*, & *alter mundus non erit*. Nam, vt ait Philosophus, *eo quod res sit aut non sit; propositio vera vel falsa dicitur*. Quod autem alter mundus nec, sit nec futurus sit, nō est formaliter quod aliquid sit pro vlla differentia temporis. De negationibus obiectiuis, quas pro verificatiuis istarum propositionum ponunt aliqui, vide in secundo anno huius cursus triennalis, disp. secunda quęst. 9. art. secundo, & seq. Certe sententia negans negationes huiusmodi, quę nobis est euidens, est alijs saltem probabilis: cum tamen sit omnibus euidens verum esse: *alter mundus non est*

Quod diximus de hac propositione: *alter mun-*

mundus non erit, dicimus de hac alia: *Si Petro cantarem, Petrus saltaret*: vel: *Si Petro cantabo Petrus saltabit*; & probamus, quia ideo hæc propositio, *alter mundus non erit*, ad sui veritatem non exigit obiectum existens in vlla differentia temporis, quia non affirmat existentiam vllius obiecti, sed neque hæc alia, *si cantarem*, &c. affirmat existentiam vllius obiecti pro vlla differentia temporis; ergo si prima non exigit vllum obiectum vnquam existens, neque secunda. Minor probatur ex communi inter summulistas proloquio, *conditionalis nihil ponit in esse*. Hæc eadem doctrina magis elucidatur per propositionem oppositam, *Si Petro cantabo, Petrus non saltabit*. Vt vera sit hæc propositio, oportet vt si cantem Petro, Petrus non saltet, non autem necesse est, vt vnq. Petro canté, nihil igitur requiritur pro vlla differétia téporis physice existés. Patet hoc, quia in illa propositione nihil ponitur absolutè; códitionate autem, nihil omnino pro códitionato. Nã códitionatũ est nõ salsaltus Petri, qui nihil est, pro conditione vero meus cantus. Non requiri autem ad veritatem conditionalis, quod vnquam purificetur conditio, est primum principium apud summulistas; sicut est primum principium, quod nihil ponat in esse, quamuis requiratur, quod purificata conditione detur conditionatum, quod tunc dicitur transire in absolutum. Propterea in syllogismo hypothetico purificante in minori conditionem positam in maiori, infers conclusionem absolutam v. g. *si est musicus, est homo: sed est musicus, ergo est homo*.
Dices

Dices aliud esse obiectum terminatiuum, seu materiale, aliud obiectum verificatiuum, primi non affirmatur existentia per hanc propositionem, *alter mundus non est*, affirmatur secundi, & supra secundum cadit denominatio negationis, quæ secundum alios est aliqua entitas diminuta, secundum alios est ipsummet decretum Dei nolentis mundum existere. Idem similiter dices de hac alia, *si est musicus est homo*, in qua neque affirmatur quod sit musicus, neque quod sit homo, affirmatur tamen necessitas; quod, si musicus sit, homo sit. Alijs etiā vocibus ludere posses in hac materia. puta si dicas aliud esse id, quod affirmatur signate per propositionem; aliud id, quod exercite. Propositio affirmatiua signate affirmat existentiam sui obiecti materialis, exercitè autem se esse veram, hæc alia, *alter mundus non erit*, non affirmat quidem signate existentiā obiecti, ad quod terminatur, pro vlla differentia temporis; affirmat tamen exercite se esse veram: sed eo ipso, quod affirmat se esse veram, affirmat existentiam sui verificatiui: ergo omnis propositio, siue sit affirmatiua, siue negatiua, affirmat existentiam sui verificatiui, saltem pro aliqua differentia temporis, quod si obiectum verificatiuum sit aliquid futurum in tempore, vel quod iam extiterit, affirmat existentiam talis obiecti pro eo tempore, in quo fuit vel erit. Si autem sit aliquid, quod semper est; affirmat existentiam rei, quæ semper est, Hæc propositio, *Antichristus erit*, quia verificatur per suum obiectum terminatiuum, quod non est, sed erit; affirmat existentiam sui obiecti termina-

minatiui in futuro, quod non eſt, ſed erit. Hæc alia: *alter mundus non eſt*, quia non verificatur per obiectum terminatiuũ, quod numquam erit, ſed per voluntatem Dei de numquam ponendo mundo, quę eſt ſemper; affirmat exiſtentiam talis voluntatis, quæ ſemper eſt. Hinc vlterius inferes nullam propoſitionem eſſe purè, & preciſè negatiuã cum quælibet ſaltem affirmet ſe eſſe veram: & quia affirmat ſe eſſe veram nunc, hoc eſt dum profertur, aiunt alij affirmare etiam dari nunc id, per quod ſit vera. Cum igitur neque nunc, neque nunquam detur id, per quod verum ſit, aut falſum: *Si Petro cantaret, Petrus ſaltaret*; hæc propoſitio neq; determinate vera eſt, neque falſa.

Hęc omnibus ſatisfaciendum eſt per partes. In primis nego aliud eſſe obiectum terminatiuum, ſeu materiale; aliud verificatiuum. Propoſitio enim vera eſt aut falſa per habitudinem ad obiectum, ad quod terminatur: iuxta doctrinam Philoſophi. *eo quod res eſt, aut non eſt; propoſitio vera, vel falſa dicitur.* Loquitur autem Philoſophus de re affirmata, aut negata, quæ eſt obiectum materiale propoſitionis. Secundò nego propoſitionem hanc: *alter mundus non erit*, terminari ad negationem mundi. Eſt enim huius propoſitionis idem obiectum, ac huius alterius: *alter mundus erit*: propoſitiones enim contradictoriæ ſunt de eodem obiecto, quod per alteram quidem negatur, per alteram affirmatur. Vnde non recte dices, propoſitiones prędictas terminari ad contradictoria; recte autem eſſe con-

contradictorias: cum contradictio non sit in rebus, sed in propositionibus; quę per hoc, quod idem affirmetur, & negetur, sunt formaliter contradictoriæ. Tertiò sicut hæc propositio: *mundus est*, non verificatur per voluntatem Dei, quæ est causa quod sit; ita neque hæc alia: *alter mundus non erit* verificatur per eandem, quæ est causa quod non erit. Dico: *est causa quod non erit*, vt vocibus vtar Aduersarij, nam, vt alibi dicetur, non entis non est causa: distinguere autem hic inter causam efficientem, & deficientem, non facit ad rem, nam quemadmodum causa efficiens non est verificatiuum formale, & logicum propositionis, affirmantis quod res sit; ita nec causa deficiens est verificatiuum formale, & logicum propositionis, negantis quod res sit: sed *eo quod res est, aut non est; propositio vera vel falsa dicitur.*

Notanter dixi *formale & logicum*: apparet enim Aduersarios verificatiua propositionum inquirere non Logicorum instar, sed Iuristarum, qui rem connexam cum esse, aut non esse rei, habent pro verificatiuo, quod res sit, aut non sit. Rem explico. Roga Logicum per quid verificatur, quod Petrus occiderit Franciscum? Respondet: per hoc, quod occiderit. Roga Iuristam; respondet: per testes de visu, aut aliquid aliud, siue antecedens, siue consequens connexum cum hoc, quod Petrus occiderit Franciscum. Roga iterùm Logicum, per quid verificetur quod non occiderit? Respondet: per hoc, quod non occiderit: *eo enim, quod res est, aut non est, oratio vera vel falsa dicitur.* Roga Iuristam; respondet: per hoc, quod

Petrus

Petrus tunc procul aberat à Francifco, non erat Francifci inimicus;& per alia huiufmodi incompoffibilia cum hoc, quod Petrus occiderit Francifcum. Vbi vides à Logico affignari obiectum ipfum, à Iurifta aliquid cum obiecto connexum. Secundum faciunt Aduerfarij affignantes pro verificatiuis modo voluntatem, modo intellectum diuinum: primum facimus nos.

Præterea malè arguet Aduerfarius ex eo, quod propofitio affirmet exercite fe effe veram, affirmare exiftentiam obiecti, per quod verificetur. Oporteret prius probare non poffe effe veram, nifi per exiftentiam obiecti verificatiui; & deinde ex eo, quod affirmet fe effe veram, inferre quod affirmet exiftentiam talis obiecti. Cæterum fi vera eft hæc propofitio: *Alter mundus non erit*, per hoc, quod ipfa fit, & non fit vnquam alter mundus: cum non effe alterum mundum non fit aliquid exiftere; affirmans fe effe veram, non affirmat aliquid exiftere, per quod fit vera. Quæ omnia magis patebunt, vbi de negationibus ex profeffo. Obferua tamen, quod qui huiufmodi verificatiuum exiguunt ad veritatem propofitionis cuiuslibet, cohęrentius negant veritatem propofitionis de futuro contingenti. Nam fi ifta propofitio: *Homo neceffariò eft animal*: ideò exigit verificatiuum exiftens nunc, quia affirmat neceffitatem, quod homo fit animal; quæ affirmata nunc, debet dari nunc: ità propofitio, per quam dico: *Propofitio de futuro contingenti eft determinatè vera*: exigit verificatiuum exiftens nunc, quia affirmat determinationem ad veritatem; quæ affirmata

nunc,

nunc, debet dari nunc. Vbi nota me quærere in uerificatiuo propositionis de futuro aliquid, per quod ipsa possit verificare propositionem de præsenti, per quam affirmatur, quod vera sit.

Denique ex eo, quod neque nunc, neque vnquam detur id, per quod hæc propositio: *Si Petro cantarem, Petrus saltaret*, sit aut determinatè vera, aut determinatè falsa; malè infert Aduersarius, quod neque determinatè vera sit, neque falsa: deberet inferre esse determinate falsam. Nam, ex discursu Aduersarij omnis propositio affirmat se esse veram: ergo si neque est determinatè vera, neque determinatè falsa, eo ipso est falsa. Probatur consẽq. quia propositio neque uera, neque falsa, non est uera. ergo si affirmet se esse ueram, est falsa. Ex his.

Dicendum est secundo propositiones de futuro conditionato in materia contingenti esse determinatè ueras, aut determinatè falsas per hoc formaliter, quod posita conditione res determinatè esset, aut determinatè non esset. V. G. *Si Petro cantarem, Petrus saltaret*: est uerum determinatè, aut determinatè falsum per hoc formaliter, quod in tali hypothesi Petrus, aut determinatè saltaret, aut determinatè non saltaret. Quod in prædicta, & quacumq. alia hypothesi daretur alterutrum ex contradictorijs, probatum est suprà: quod autem per hoc formaliter sit determinatè uera, aut determinatè falsa propositio, patet ex principio Philosophi: *Eo quod res sit, aut non sit eo modo, quo per propositionem effertur, oratio vera, vel falsa est.*

AR-

ARTICVLVS III.

Satisfit obiectionibus.

OBijc. primò. Implicat quod propositio sit potius uera, quam falsa, aut è conuerso, & nihil unquam sit in natura, per quod sit potius uera, quam falsa, aut è conuerso: nihil unquam erit in natura, per quod sit potius uerum, quam falsum: *Si Petro cantarem, Petrus saltaret*: ergo implicat, quod hæc propositio sit potius uera, quam falsa, aut è conuerso. Probatur mai. quia propositio ex se indifferens, & ad uerum, & ad falsum, nequit ex se ipsa determinari ad uerum potius, quam ad falsum: ergo debet determinari per aliquid aliud: ergo debet aliquando esse in natura aliquid, per quod determinetur ad uerum potius, quam ad falsum, aut è conuerso. Sicut paries ex se indifferens ad album, & non album, determinatur ad album per inexistentiam albedinis; ad non album per carentiam eiusdem. Minor autem probatur, quia contingere potest me numquam cantare; adeoq. numquam dari, neque coniunctionem saltus Petri cum meo cantu, neque coniunctionem negationis eiusdem. Veritas autem haberetur per coniunctionem saltus Petri cum meo cantu; falsitas autem per coniunctionem negationis, seù carentiæ saltus cum eodem.

Resp. neg. mai. Ad probationem nego ultimam consequ. Determinatur quidem ad uerum potius, quam ad falsum per aliquid aliud; non tamen per aliquid aliud, quod sit

sed per aliquid aliud, quod esset: quia non affirmat, quod aliquid aliud sit, aut futurum sit, aut fuerit; sed quod aliquid aliud esset. Ad paritatem de pariete albo dictum est alibi. Neque paries est albus per albedinem, quæ fuit, aut erit, & tamen propositio uera est per aliquid, quod fuerit, aut erit. Verificatur igitur propositio prædicta per hoc, quod Petrus saltaret, aut falsificatur per hoc, quod non saltaret in hypothesi, quod Petro cantarem. Si roges quid sit ly *Saltaret*; respondeo non esse aliquid, quod sit; sed aliquid, quod esset: & hoc facile intelligitur ab intelligentibus, quid significet: *Salto, saltas*. Si autem petis assignari aliquid, quod simpliciter, & physice sit in natura, accipiendo ly *Sit*, ut aiunt Summulistæ, *In statu*, laboras in supposito: nam supponis non posse esse ueram propositionem, nisi detur aliquid physicè existens, per quod sit uera. Quod si ly *Est* accipias cum ampliatione, sicut extenditur ad *Erit*, & *fuit*, poterit extendi ad *Esset*: & tunc uerificatur propositio per aliquid, quod sit modo importato per propositionem, quæ dicit *Esset*: hoc est uerificatur propositio per aliquid, quod esset.

Obijc. 2. Cum meo cantu non est ita connexus saltus Petri, ut non æque possit cum eodem coniungi negatio saltus. Item: cum negatione mei cantus non est ita connexa negatio saltus, ut nō æque possit cum eadem coniungi saltus: ergo tam cantus, quàm non cantus æqualiter se habent ad contradictoria: hoc est neque necessario coniungitur cum saltu, neq. cum non saltu: ergo neutrum

ex

ex cõtradictorijs uerificari poteſt per meum cantum: ergo neque per meum cantum uerificatur: *Saltaret*, neque: *non ſaltaret*.

Reſp. conc. totum. Non uerificatur quod ſaltaret per hoc quod cantarem; ſed per hoc quod ſaltaret: neque uerificatur: *Non ſaltaret*, per hoc, quod cantarem, aut non cantarem; ſed per hoc, quod non ſaltaret. Vbi aduerte, quod poſſet poni in hypotheſi aliquid, ſine quo non poſſet haberi conditionatum; quamuis poſſet cum ipſo non haberi; putà ſi meus cantus eſſet quid neceſſario requiſitum ad ſaltum; & tunc non æqualiter ſe haberet ad ſaltum cantus, ac negatio cantus: quia quamuis etiam cum cantu poſſet Petrus non ſaltare, non poſſet tamen ſine cantu ſaltare, ſicut v. g. poſſum, etiam cum cognitione alicuius boni illud non amare; quamuis non poſſim amare illud ſine cognitione eiuſdem.

Obijc. vltimo. Saltus Turcæ non habet vllam rationem actus primi reſpectu meæ determinationis, ſed omninò impertinenter ſe habet ad dormitionem, & negationem dormitionis: ergo nequit eſſe verum: *Si Turca ſaltaret, ego dormirem*. Probatur conſeq. quod impertinenter ſe habet ad dormitionem, aut negationem dormitionis, nequit verificare, quod dormirem, aut quod non dormirem. Ità ſe habet ſaltus Turcæ ad dormitionem, aut negationem eiuſdem: ergo nequit verificare neque: *Dormirem*, neque. *Non dormirem*.

Reſp. conc. ant. nego conſeq. Ad probationem conc. totum. Verificatur autem, quod dormirem per hoc, quod dormirem; aut

quod non dormirem, per hoc, quod non dormirem: non per hoc, quod saltaret, aut non saltaret Turca, vt dictum est suprà.

Dices. Quamuis conditionalis non affirmet, neque conditionem, neque conditionatum; affirmat tamen connexionem conditionati cum conditione: In hac propositione: *Si Turca saltaret, ego dormirem*, non datur talis connexio, ergo hæc propositio est falsa.

Resp. dist. mai. affirmat connexionem necessariam: nego: connexionem contingentem: subdistinguo: in conditionali sub hypothesi non disparata: concedo. In conditionali sub hypothesi disparata: nego. Hoc ipsum est esse conditionem disparatam: non habere vllam connexionem cum conditionato. In conditionalibus autem, in quibus cõditio habet aliquam rationem actus primi, respectu conditionati, datur connexio inter conditionatum, & conditionem, non tamen semper necessaria, sed contingens, ità vt possit quidem per talem conditionem positam, determinare te ad conditionatum, non tamen necessario id facias. Ità accidit in hac: *Si Petrus cantarem, Petrus saltaret*, quia Petrus potest ex vi mei cantus determinare se ad saltũ, quamuis non necessario meus cantus trahat saltum.



QVAESTIO V.

De transitu propositionis veræ in falsam.

ARTICVLVS I.

Aliqua præmittuntur.

COntrouersia presens agitari nequit, nisi in aliqua hypothesi, quam vltro conceditur etiam à controuertentibus esse falsam, vt enim propositio sit capax huiusmodi transitus, necesse est, vt eadem duret per plura instantia: nam de cognitione, quæ per vnicum instans fit in rerum natura, dubitare non potes, an in primo instanti vera existens, in secundo sit falsa, vel è conuerso. Quamuis igitur sit doctrina communis cognitiones nostras esse de natura temporis, adeoq. in continuo fluxu, tamen ad dandum locum præsenti controuersiæ supponamus vnam eandemq. cognitionem, putà hanc: *Socrates sedet*, durare per horam integram. Hac suppositione facta quæritur, an possit esse in prima medietate vera, in secunda falsa; vel è conuerso. Sententiam negatiuam tuentur ex recentioribus multi, multi etiam affirmatiuam, inter quos est P. Suarius. Tota resolutio quęstionis pendet ex hoc puncto. An videlicet cognitio possit eadem esse diuersorum obiectorum: hoc est, an cognitio, quæ nunc repræsentat aliquid, possit deinceps illud idem

non repræsentare aliquid aliud repræsentando: nam quod propositio possit simpliciter, & absolutè repræsentare diuersa, est indubitatum, cum hæc cognitio: *Animal* repręsentat hominem, bouem, & equum.

Pro quo sciendum est cognitionem abstractiuam repręsentare aliquid per se, & aliquid per accidens: qui dicunt propositionem posse variare obiectum, id intelligunt non de obiecto repræsentato per se, sed de obiecto repræsentato per accidens. Exemplum sit in hac cognitione, in qua simul apparebit quid sit repræsentari per se, quid per accidens. *Homo sedens in foro*. Hæc cognitio repræsentat per se rationem hominis sedentis in foro, seu rationem hominis, & rationem sedentis in foro, per modum vnius rationis complexæ: & hoc repręsentat ita vt non possit hoc non repræsentare: quia autem ratio hominis sedentis in foro, aliquando conuenit Petro, aliquando Paulo; & hoc ipsum; an videlicet conueniat Petro, an Paulo, non apparet per cognitionem; dicitur repræsentare per accidens, vel Petrum, vel Paulum: quod si stante hac cognitione, nullus sedeat in foro; prædicta cognitio neminem determinate repræsentat; imò nihil repræsentat; nisi rationem hominis sedentis in foro.

His positis facile est controuersiam dirimere: nam si propositio potest variare obiectum represẽtatum per accidens; vix est vlla difficultas circa ipsius mutabilitatem: controuersia enim nequit esse circa cognitionem intuitiuam, cum certum sit cognitionem huiusmodi esse semper veram. Ad resolutio-

lutionem igitur tenendum est, quod dictum est in Summulis propositiones fieri per verba, verba autem significare cum tempore, v.g. hæc propositio: *Socrates sedet*, non solùm significat sessionem Socratis, sed etiam consignificat tempus talis sessionis; & quia est per verbum de præsenti, significat Socratem in tempore, quod est præsens, seu quod coexistit propositioni, sedere: repræsentat igitur & Socratem sedere, & Socratem tempore sibi præsenti sedere. His positis.

ARTICVLVS II.

Dirimitur Controuersia.

DIcendo. Potest propositio mutari de vera in falsam, & è conuerso. Hæc conclusio facillime probatur. Dic per horam integram: *Socrates sedet*, & fac in prima medietate horæ Socratem sedere, non sedere in secunda. In tali casu per primam medietatem horæ propositio est vera, per secundam est falsa; ergo potest propositio de vera euadere falsa. Oppositum continget si ponas Socratem non sedere in prima, sedere autem in secunda medietate horæ. Casus positus nequit negari; hoc autem posito probatur antecedens: quia hæc propositio in prima medietate est conformis obiecto; in secunda difformis; ergo in prima medietate, est vera, in secunda est falsa. Item ab eo, quod res est, vel non est, oratio vera, vel falsa est: in prima medietate est res affirmata, in secunda non est; ergo in prima medietate propositio est vera, in secunda est falsa.

Hanc eandem conclusionem habes expressam apud Philosophum in prædicamentis cap. de substantia, vbi dicit, quòd quemadmodum oratio susceptiua est veritatis, & falsitatis, ità eadem substantia est susceptiua contrariorum, putà sicut hæc propositio: *Socrates sedet*, est modo vera, & modo falsa; ita idem Socrates est modo sanus, & modo ęgrotus, modo sedens, & modo stans.

Contra hanc conclusionem obijcitur primo. Hæc propositio: *Socrates sedet*, repręsentat semper totū tempus sibi præsens, ergo hæc propositio non mutatur de vera in falsū. Consequétia probatur: quia vel repręsentat illud tépus collectiuè, vel disiunctiuè, vel indeterminatè, vel distributiuè: quolibet ex istis modis repręsentet; est vel semper vera, vel semper falsa: ergo si huiusmodi propositio repręsentat totum tempus sibi præsens non mutatur de vera in falsam. Maior probatur, quia nullus est alius modus repręsentandi totum tempus prædictum: minor etiam probatur, quia si repręsentet aut collectiuè, aut distributiuè; eo ipso est semper falsa; sensus enim est per totam horam mihi coexistentem, aut & in hac, & in illa medietate horæ mihi coexistentis, Socrates sedet: quod falsum est in prædicta hypothesi; in qua per primam medietatem sedet, per secundam non sedet. Si autem repręsentet disiunctiuè, vel indeterminatè, est semper vera: sensus enim est: Socrates in aliqua parte horæ mihi coexistentis; aut: Socrates, vel in hac, vel in illa parte horæ mihi coexistentis, sedet: & in hoc sensu est semper vera: nam etiam dum Socrates non sedet: videli-

delicet in secunda medietate horæ, verum est in aliqua parte totius horę sedere: igitur propositio vel semper est vera, vel semper falsa.

Resp. concesso antecedenti: negando consequentiam. Ad probationem nego maiorem. Dico autem cognitionem prędictam repræsentare in prima medietate primam medietatem, in secunda secundā, semper autē affirmare: *Socrates sedet*: in prima medietate sedet, in secunda non sedet; ergo propositio est vera in prima medietate, falsa in secunda. In secunda medietate non est verum *Socrates sedet tempore mihi coexistente*; sed verum est: *Socrates sedit in tempore, quod mihi coexstitit.* Vbi notandum est rationem temporis coexistentis repræsentari per se, per cognitionem prædictam; hoc autem, vel illud determinatum instans, materialiter consideratum, putà instans matutinum, aut meridianum repræsentari per accidens.

Dices. Si propositio repræsentet modo vnum, modo alterum instans, propositio non est eadem: consequens est contra hypothesim, ergo & antecedens. Maior probatur, quia non potest eadem propositio esse modo vnius, & modo alterius obiecti, ergo si propositio in instanti *A*, est vnius obiecti, in instanti *B* alterius non est eadem in vtoque instanti.

Resp. negando sequelam maioris. Ad probationem distinguo antec. propositio nequit esse eadem modo vnius modo alterius obiecti repræsentati per se: concedo antecedens; obiecti repræsentati per accidens: nego antecedens, & consequentiam.

Ratio præsentis est ratio repræsentata per se in hac propositione: *Socrates sedet*, hæc enim propositio est essentialiter de præsenti. Quod autem ratio præsentis hic, & nunc cadat supra instans *A*, vel supra instans *B*, adeoque quod determinatè repræsentet instans *A*, vel instans *B*, se habet per accidens. Ratio à priori est, quia ratio præsentis attingitur hic non per species indiuiduales huius, aut illius præsentis; sed per species cōmunes omni præsenti, videlicet secundum rationem coexistentis propositioni, quando profertur: species autem, seu ratio communis omni coexistenti, non magis est ex se determinata ad vnum, quam ad alterum coexistens.

Obijcies secundo. Cognitio est relatio transcendentalis ad obiectum, quod repræsentat, ergo non repræsentat modo vnum, & modo alterum obiectum. Antecedens patet ex dictis vbi de relatione. Consequentia probatur, quia relatio trascendentalis est essentialis rei, quę refertur, vt ibidem assertum est, ergo si est modo relatio trãscendentalis vnius, modo alterius obiecti, est modo vna, & modo altera relatio; & consequenter modo vna, & modo altera cognitio.

Resp. cum distinctione: cognitio est relatio trascendentalis ad obiectum repræsentatum per se: concedendo; ad obiectum repræsentatum per accidens, nego. Distinctio claret ex dictis.

Obijcitur tertio. Sequitur ex data doctrina dari aliquam cognitionem, quæ nihil repræsentet, consequens est impossibile, ergo & an-

& antecedens. Sequela probatur. Sit hæc cognitio : *Homo existens in atrio* : hac posita sic arguitur. Si Petrus est in atrio ; hæc cognitio repræsentat Petrum : si Paulus, Paulum, si Antonius, Antonium; si autem nullus homo sit in atrio, nullum repræsentat. Probatur hoc vltimum, quia in tantum existente Petro in atrio repræsentat Petrum, & existente Paulo, Paulum, in quantum ratio existentis in atrio coniungitur modo cum Petro, & modo cum Paulo, ergo si cum nullo homine coniungitur, hæc cognitio nullum hominem repræsentat.

Resp. negando sequelam maioris. Ad probationem tene, quod dictum est : aliud nimirum repræsentari per se, aliud per accidens. Cognitio supra posita semper essentialiter repræsentat rationem hominis existentis in atrio, siue aliquid existat, siue nullus. Si autem nullus existat, nullum significat in actu secundo ; significat quemlibet in actu primo : hoc est actu nullum determinate significat, potest autem quemlibet significare. Igitur falsum est, quod nihil repræsentet, quamuis verum sit, quod nullum determinatè repræsentet, adeoq. rem repręsentatam per se etiam in casu posito determinatè repręsentat, rem repręsentabilem per accidens, etiam per accidens non repręsentat.

Hinc si quis hanc propositionem faciat : *Homo existens in atrio, dormit*, & nullus homo existat in atrio: non solum negas propositionem, quod faceres si aliquis homo ibi existeret, & non dormiret; sed insuper negas

suppositum propositionis, & dicis esse de subiecto non supponente, quia videlicet obiectum quod possit hanc propositionem verificare non datur: seu potius subiectum propositionis, videlicet. homo existens in atrio, non existit.

Dices: aliud est esse obiectũ propositionis, aliud est esse verificatiuũ propositionis. In casu posito propositio non habet verificatiuum. habet tamen obiectum: obiectum autem est omnis homo, quandoquidem cũ omni homine coniungibilis est ratio existentis in atrio.

Resp. verum esse quod aliud est esse verificatiuum in actu secundo, aliud esse obiectũ: esse verificatiuum in actu secundo est ita se habere sicut per propositionem effertur: esse obiectum nihil aliud est quam per cognitionem attingi. Sed hoc non facit ad rem. Quãdo dicit aduersarius obiectum huius propositionis: *Homo existens in atrio*, &c. Esse omnem hominem, quia cum omni homine coniungibilis est ratio existentis in atrio, cognitionem prædictam confundit cum hac alia: *homo potens existere in atrio*; cum tamen sint valde diuersæ. *Homo potens existere in atriò* est appræhensio rationis complexæ necessariæ; hoc enim epitethon: *potens existere in atrio*, necessario conuenit huic substantiuo *homo*: at: *homo existens in atrio* est appręhensio rationis complexæ contingentis: existere enim in atrio non est quid necessario conueniens homini: vnde patet discrimen inter vnam & alteram rationem.

QVAE-

QVAESTIO VLTIMA.

De reliquis ad veritatem spectantibus.

ARTICVLVS I.

Satisfit nonnullis dubitationibus.

CAEtera quæ pertinent ad veritatem paucis dubitationibus compræhendenda sunt & resoluenda.

Dubitabis primo vtrum eadem propositio possit esse vera simul & falsa respectu diuersorum obiectorum. Ratio dubitandi est quia vna eademque propositio potest affirmare diuersa quorum aliud se habeat vt dicitur per ipsam, aliud aliter: puta si dicas: *Magister dictat, & discipuli saltant*: videtur hæc propositio esse vera quia dicit: *Magister dictat*, cum re ipsa dictet; & simul esse falsa quia dicit *discipuli saltant* cum re ipse non saltent.

Resp. ex ijs, quæ dicta sunt in summulis, propositionem prædictam esse simpliciter & sine vlla limitatione falsam. Ratio est quia ad veritatem copulatiuæ requiritur vt secũdum omnem sui partem verificetur: hanc autem non esse huiusmodi patet. Ratio à priori est. quia huiusmodi propositio quamuis vocaliter constet partibus est tamen vna indiuisibilis qualitas mentalis, adeoque non constans parte & parte quarum altera vera

sit,

sit, & altera falsa. Præterea propositio prædicta nec affirmat solum dari cursum Petri; nec solum dari sessionem Pauli: sed complexum ex cursu Petri, & sessione Pauli: eo ipso autem quod vel sessio, vel cursus desit, deest totum complexum. Quia tamen prædicta propositio æquiualet duabus, frequentissime etiam qui nobiscum sentiunt, aiunt esse veram secundum vnum partem, falsam vero secundum alteram; nihil aliud intelligentes, nisi quod non ab vtroque obiecto, sed ab altero tantum falsificetur: in quo nequit esse vlla difficultas.

Quæritur secundò. An eadem propositio, respectu eiusdem obiecti, possit esse vera simul & falsa.

Resp. negatiuè. Ratio est quia, eo quod res est vel non est, oratio vera vel falsa dicitur; nequit eadem res simul esse & non esse, ergo nequit eadem propositio esse vera simul & falsa. Ex hoc eodem principio vides propositionem non posse esse neque veram neq; falsam, hoc est non dari propositionem quæ neque vera sit neque falsa, nam quemadmodum res nequit simul esse & non esse; ita nequit nec esse, nec non esse: datur enim metaphysica necessitas vt sit, vel non sit.

Adverte obiter me non vti hac phrasi: necesse est vt res sit vel contradictoriū ipsius: nam vt iam indicatum est, & alibi ostendetur, rei non existentis non existit propterea contradictoriam obiectiuum, sed propositiones contradictoriæ, & in omni rigore contradictoriæ, versantur circa idem obiectum, quod per vnam quidem affirmatur, per alteram autem negatur. Puta hæ duæ

pro-

propositiones: *Antichristus existit*, & : *Antichristus non existit*, habent idem indiuisibile obiectum, hęc autem propositio: *existit negatio Antichristi* in sensu formali, est falsa, sicut hæc; *existit contradictorium Antichristi*: sunt autem veræ in sensu ęquiualēti quatenus grammaticaliter affirmantes; philosophice negant: dum idem dicunt atq; hęc: *non existit Antichristus*. Hæc indicare oportuit quæ alibi ex professo tractanda sunt ad mentem D. Augustini dicentis hanc affirmationem: *Tenebræ erant super faciem abissi* non importare existentiam tenebrarū; quasi vero hæ sint nebulæ quędam super faciem abissi dispersæ; sed idem sonare ac: *Non erat lux super abissum*; non est autem necesse vt hęc propositio: *non est lux* differens ab hac: *est lux*, differat ex obiecto.

Contra responsionem ad vltimum quæsitum sic obijcitur. Dantur aliquæ propositiones quę per hoc ipsum quod veræ sint; sunt falsæ, & per hoc ipsum quod sint falsæ, sunt veræ, ergo dantur propositiones veræ simul, & falsæ. Probatur, dicat aliquis: *Ego nunc dico falsum*, si vera est hæc propositio eo ipso est falsa; si enim verum est ipsum dicere falsum; dicit falsum: si autem hac propositione dicat falsum, propositio est falsa, ergo si vera est, est falsa. Rursus si falsa est, eo ipso est vera. Nam si falsa est hęc propositio: *ego dico falsum* eo ipso dico falsum, si autē dico falsum; verum dico dicens me dicere falsum, ergo si falsa est hæc propositio, eo ipso est vera.

Resp. propositionem prædictam non esse propositionem: quod æque verum est, ac verum

rum est hominem pictum non esse hominem. Est quidem materialis quædam & nugatoria combinatio terminorum in similitudinem propositionis: Cæterum non est propositio, hoc est iudicium quo ego existimem me per huiusmodi dicere verum, vel dicere falsum. Ad argumentum in forma, nega antecedens: ad probationem nega suppositum, hanc videlicet esse propositionem formalem seu intellectualem: posset quidem aliquis dicere: *ego dico falsum*, & quidem serio; sed appellando aliquam aliam propositionem quam vel fecisset vel simul faceret, vel facturus esset, puta si Petrus dicat Paulo: *tu es vir modestissimus*, & super hac propositione reflectens simul & super immodestia Pauli dicat: *ego dico falsum*, dicet hac vltima propositione verum quia appellabit vltimam propositionem quam fecit, & qua falsum dixit; est autem satis familiare propositionem immediate vel præteritam vel sequentem appellare per modum præsentis.

Porro quemadmodum est principium lumine naturæ notum: non potest idem simul esse & non esse; ita notum est intellectum de eodem in eodem instanti dicere non posse, *est & non est*, vnde diximus in summulis quod reducere aduersarium ad dicendum *est* de eo de quo dixi, *non est* in eodem syllogismo, vel è conuerso, est reducere aduersarium ad impossibile. Ex his manifestum est quod quamuis possis vocaliter facere hanc propositioné, *Petrus est & non est* nequis tamen habere hanc propositionem in intellectu, est enim impossibile quod vtrique contradictorio euidenter apparenti præbeas assensum;

quam-

quamuis non sit impossibile quod vtriusque speciem simul componas etiam in intellectu.

Atque hic obiter nota aliud esse proponi intellectui aliquas propositiones materiales; imò & formales nonnumquam respectu alterius intellectus; aliud intellectum assentiri prædictis propositionibus; adeoque prædictas propositiones esse formales propositiones, seu formalia iudicia intellectus, cui proponuntur. Exemplum habes in hæretico arguente contra te de Mysterio Santiss. Trinitatis: implicat, ait ille, vnam essentiam esse cum multiplicitate Personarum, ergo implicat mysterium Trinitatis. *Hoc* argumentum cui assentitur proponens, tibi proponitur, sed non propterea dum mente reuoluis. implicat vnam essentiam, &c. iudicas implicare huiusmodi essentiam imo statim negas antecedens. Hinc alibi dictum est iudicia, discursus, imo integra volumina posse esse obiectum simplicium appræhensionum.

In doctrina tradita fundatur id quod aiunt, omnem videlicet propositionem de seipsa exercite dicere: sum vera, quod nihil aliud significat quam nos per iudicia, quæ formamus, assentiri formaliter res ita se habere, sicut concipiuntur à nobis, adeoque habens hoc iudicium, *Petrus est homo*, assentitur Petrum esse hominem, habens hoc aliud, *Petrus non est homo*, dissentitur.

Quæritur tertiò. Vtrum vna propositio sit verior altera. Ratio dubitandi est quia si quis dixerit, *Aliqui homines currunt*, & decem homines currant videtur esse verior

Hanc eandem conclusionem habes expressam apud Philosophum in prædicamentis cap. de substantia, vbi dicit, quòd quemadmodum oratio susceptiua est veritatis, & falsitatis, ità eadem substantia est susceptiua contrariorum, putà sicut hæc propositio: *Socrates sedet*, est modo vera, & modo falsa; ita idem Socrates est modo sanus, & modo ęgrotus, modo sedens, & modo stans.

Contra hanc conclusionem obijcitur primo. Hæc propositio: *Socrates sedet*, repręsentat semper totũ tempus sibi præsens, ergo hæc propositio non mutatur de vera in falsã. Consequẽtia probatur: quia vel repręsentat illud tẽpus collectiuè, vel disiunctiuè, vel indeterminatè, vel distributiuè: quolibet ex istis modis repręsentet; est vel semper vera, vel semper falsa: ergo si huiusmodi propositio repręsentat totum tempus sibi præsens non mutatur de vera in falsam. Maior probatur, quia nullus est alius modus repręsentandi totum tempus prædictum: minor etiam probatur, quia si repręsentet aut collectiuè, aut distributiuè; eo ipso est semper falsa; sensus enim est per totam horam mihi coexistentem, aut & in hac, & in illa medietate horæ mihi coexistentis, Socrates sedet: quod falsum est in prædicta hypothesi; in qua per primam medietatem sedet, per secundam non sedet. Si autem repręsentet disiunctiuè, vel indeterminatè, est semper vera: sensus enim est: Socrates in aliqua parte horæ mihi coexistentis; aut: Socrates, vel in hac, vel in illa parte horæ mihi coexistentis, sedet: & in hoc sensu est semper vera: nam etiam dum Socrates non sedet: videli-

delicet in secunda medietate horæ, verum est in aliqua parte totius horę sedere: igitur propositio vel semper est vera, vel semper falsa.

Resp. concesso antecedenti: negando consequentiam. Ad probationem nego maiorem. Dico autem cognitionem prędictam repræsentare in prima medietate primam medietatem, in secunda secundã, semper autẽ affirmare: *Socrates sedet*: in prima medietate sedet, in secunda non sedet; ergo propositio est vera in prima medietate, falsa in secunda. In secunda medietate non est verum *Socrates sedet tempore mihi coexistente*; sed verum est: *Socrates sedit in tempore, quod mihi coexstitit.* Vbi notandum est rationem temporis coexistentis repræsentari per se, per cognitionem prædictam; hoc autem, vel illud determinatum instans, materialiter consideratum, putà instans matutinum, aut meridianum repræsentari per accidens.

Dices. Si propositio repræsentet modo vnum, modo alterum instans, propositio non est eadem: consequens est contra hypothesim, ergo & antecedens. Maior probatur, quia non potest eadem propositio esse modo vnius, & modo alterius obiecti, ergo si propositio in instanti *A*, est vnius obiecti, in instanti *B* alterius non est eadem in vtoque instanti.

Resp. negando sequelam maioris. Ad probationem distinguo antec. propositio nequit esse eadem modo vnius modo alterius obiecti repræsentati per se: concedo antecedens; obiecti repræsentati per accidens: nego antecedens, & consequentiam.

Ratio præsentis est ratio repræsentata per se in hac propositione : *Socrates sedet*, hæc enim propositio est essentialiter de præsenti. Quod autem ratio præsentis hic, & nunc cadat supra instans *A*, vel supra instans *B*, adeoque quod determinatè repræsentet instans *A*, vel instans *B*, se habet per accidens. Ratio à priori est, quia ratio præsentis attingitur hic non per species indiuiduales huius, aut illius præsentis ; sed per species cōmunes omni præsenti, videlicet secundum rationem coexistentis propositioni, quando profertur : species autem, seu ratio communis omni coexistenti, non magis est ex se determinata ad vnum, quam ad alterum coexistens.

Obijcies secundo. Cognitio est relatio transcendentalis ad obiectum, quod repræsentat, ergo non repræsentat modo vnum, & modo alterum obiectum. Antecedens patet ex dictis vbi de relatione. Consequentia probatur, quia relatio trascendentalis est essentialis rei, quę refertur, vt ibidem assertum est, ergo si est modo relatio trāscendentalis vnius, modo alterius obiecti, est modo vna, & modo altera relatio ; & consequenter modo vna, & modo altera cognitio.

Resp. cum distinctione : cognitio est relatio trascendentalis ad obiectum repræsentatum per se : concedendo ; ad obiectum repræsentatum per accidens, nego. Distinctio claret ex dictis.

Obijcitur tertio. Sequitur ex data doctrina dari aliquam cognitionem, quæ nihil repræsentet, consequens est impossibile, ergo

& an-

& antecedens. Sequela probatur. Sit hæc cognitio: *Homo existens in atrio*: hac posita sic arguitur. Si Petrus est in atrio; hæc cognitio repræsentat Petrum: si Paulus, Paulum, si Antonius, Antonium; si autem nullus homo sit in atrio, nullum repræsentat. Probatur hoc vltimum, quia in tantum existente Petro in atrio repræsentat Petrum, & existente Paulo, Paulum, in quantum ratio existentis in atrio coniungitur modo cum Petro, & modo cum Paulo, ergo si cum nullo homine coniungitur, hæc cognitio nullum hominem repræsentat.

Resp. negando sequelam maioris. Ad probationem tene, quod dictum est: aliud nimirum repræsentari per se, aliud per accidens. Cognitio supra posita semper essentialiter repræsentat rationem hominis existentis in atrio, siue aliquid existat, siue nullus. Si autem nullus existat, nullum significat in actu secundo; significat quemlibet in actu primo: hoc est actu nullum determinate significat, potest autem quemlibet significare. Igitur falsum est, quod nihil repræsentet, quamuis verum sit, quod nullum determinatè repræsentet, adeoq. rem repręsentatam per se etiam in casu posito determinatè repręsentat, rem repręsentabilem per accidens, etiam per accidens non repręsentat.

Hinc si quis hanc propositionem faciat: *Homo existens in atrio, dormit*, & nullus homo existat in atrio: non solum negas propositionem, quod faceres si aliquis homo ibi existeret, & non dormiret; sed insuper negas

ſuppoſitum propoſitionis, & dicis eſſe de ſubiecto non ſupponente, quia videlicet obiectum quod poſſit hanc propoſitionem verificare non datur: ſeu potius ſubiectum propoſitionis, videlicet. homo exiſtens in atrio, non exiſtit.

Dices: aliud eſt eſſe obiectũ propoſitionis, aliud eſt eſſe verificatiuũ propoſitionis. In caſu poſito propoſitio non habet verificatiuum. habet tamen obiectum: obiectum autem eſt omnis homo, quandoquidem cũ omni homine coniungibilis eſt ratio exiſtentis in atrio.

Reſp. verum eſſe quod aliud eſt eſſe verificatiuum in actu ſecundo, aliud eſſe obiectũ: eſſe verificatiuum in actu ſecundo eſt ita ſe habere ſicut per propoſitionem effertur: eſſe obiectum nihil aliud eſt quam per cognitionem attingi. Sed hoc non facit ad rem. Quãdo dicit aduerſarius obiectum huius propoſitionis: *Homo exiſtens in atrio, &c.* Eſſe omnem hominem, quia cum omni homine coniungibilis eſt ratio exiſtentis in atrio, cognitionem prædictam confundit cum hac alia: *homo potens exiſtere in atrio;* cum tamen ſint valde diuerſæ. *Homo potens exiſtere in atriò* eſt appræhenſio rationis complexæ neceſſariæ; hoc enim epitethon: *potens exiſtere in atrio*, neceſſario conuenit huic ſubſtantiuo *homo*: at: *homo exiſtens in atrio* eſt apprçhenſio rationis complexæ contingentis: exiſtere enim in atrio non eſt quid neceſſario conueniens homini: vnde patet diſcrimen inter vnam & alteram rationem.

QVAE-

QVAESTIO VLTIMA.

De reliquis ad veritatem spectantibus.

ARTICVLVS I.

Satisfit nonnullis dubitationibus.

CAEtera quæ pertinent ad veritatem paucis dubitationibus comprahendenda sunt & resoluenda.

Dubitabis primo vtrum eadem propositio possit esse vera simul & falsa respectu diuersorum obiectorum. Ratio dubitandi est quia vna eademque propositio potest affirmare diuersa quorum aliud se habeat vt dicitur per ipsam, aliud aliter: puta si dicas: *Magister dictat, & discipuli saltant*: videtur hæc propositio esse vera quia dicit: *Magister dictat*, cum re ipsa dictet; & simul esse falsa quia dicit *discipuli saltant* cum re ipse non saltent.

Resp. ex ijs, quæ dicta sunt in summulis, propositionem prædictam esse simpliciter & sine vlla limitatione falsam. Ratio est quia ad veritatem copulatiuæ requiritur vt secundum omnem sui partem verificetur: hanc autem non esse huiusmodi patet. Ratio à priori est. quia huiusmodi propositio quamuis vocaliter constet partibus est tamen vna indiuisibilis qualitas mentalis, adeoque non constans parte & parte quarum altera vera

sit, & altera falsa. Præterea propositio prædicta nec affirmat solum dari cursum Petri; nec solum dari sessionem Pauli: sed complexum ex cursu Petri, & sessione Pauli : eo ipso autem quod vel sessio, vel cursus desit, deest totum complexum . Quia tamen prædicta propositio æquiualet duabus, frequentissime etiam qui nobiscum sentiunt, aiunt esse veram secundum vnum partem , falsam vero secundum alteram; nihil aliud intelligentes, nisi quod non ab vtroque obiecto, sed ab altero tantum falsificetur : in quo nequit esse vlla difficultas .

Quæritur secundò . An eadem propositio, respectu eiusdem obiecti, possit esse vera simul & falsa .

Resp. negatiuè . Ratio est quia, eo quod res est vel non est, oratio vera vel falsa dicitur : nequit eadem res simul esse & non esse, ergo nequit eadem propositio esse vera simul & falsa. Ex hoc eodem principio vides propositionem non posse esse neque veram neque falsam, hoc est non dari propositionem quæ neque vera sit neque falsa, nam quemadmodum res nequit simul esse & non esse; ita nequit nec esse, nec non esse : datur enim metaphysica necessitas vt sit, vel non sit .

Aduerte obiter me non vti hac phrasi: necesse est vt res sit vel contradictoriũ ipsius : nam vt iam indicatum est , & alibi ostendetur, rei non existentis non existit propterea contradictoriam obiectiuum , sed propositiones contradictoriæ , & in omni rigore contradictoriæ , versantur circa idem obiectum , quod per vnam quidem affirmatur, per alteram autem negatur . Puta hæ duæ

pro-

propositiones: *Antichristus existit*, & : *Antichristus non existit*, habent idem indiuisibile obiectum, hęc autem propositio: *existit negatio Antichristi* in sensu formali, est falsa, sicut hæc: *existit contradictorium Antichristi:* sunt autem veræ in sensu ęquiualēti quatenus grammaticaliter affirmantes, philosophice negant: dum idem dicunt atq; hęc: *non existit Antichristus.* Hæc indicare oportuit quæ alibi ex professo tractanda sunt ad mentem D. Augustini dicentis hanc affirmationem: *Tenebræ erant super faciem abissi* non importare existentiam tenebrarū; quasi vero hæ sint nebulæ quędam super faciem abissi dispersæ; sed idem sonare ac: *Non erat lux super abissum*; non est autem necesse vt hęc propositio: *non est lux* differens ab hac: *est lux*, differat ex obiecto.

Contra responsionem ad vltimum quæsitum sic obijcitur. Dantur aliquæ propositiones quę per hoc ipsum quod veræ sint; sunt falsæ, & per hoc ipsum quod sint falsæ, sunt veræ, ergo dantur propositiones veræ simul, & falsæ. Probatur, dicat aliquis: *Ego nunc dico falsum*, si vera est hæc propositio eo ipso est falsa; si enim verum est ipsum dicere falsum; dicit falsum: si autem hac propositione dicat falsum, propositio est falsa, ergo si vera est, est falsa. Rursus si falsa est, eo ipso est vera. Nam si falsa est hęc propositio: *ego dico falsum* eo ipso dico falsum, si autē dico falsum; verum dico dicens me dicere falsum, ergo si falsa est hæc propositio, eo ipso est vera.

Resp. propositionem prædictam non esse propositionem: quod æque verum est, ac ve-

rum

quamuis non sit impossibile quod vtriusque speciem simul componas etiam in intellectu.

Atque hic obiter nota aliud esse proponi intellectui aliquas propositiones materiales, imò & formales nonnumquam respectu alterius intellectus; aliud intellectum assentiri prædictis propositionibus; adeoque prædictas propositiones esse formales propositiones, seu formalia iudicia intellectus, cui proponuntur. Exemplum habes in hæretico arguente contra te de Mysterio Santiss. Trinitatis: implicat, ait ille, vnam essentiam esse cum multiplicitate Personarum, ergo implicat mysterium Trinitatis. Hoc argumentum cui assentitur proponens, tibi proponitur, sed non propterea dum mente reuoluis. implicat vnam essentiam, &c. iudicas implicare huiusmodi essentiam imo statim negas antecedens. Hinc alibi dictum est iudicia, discursus, imo integra volumina posse esse obiectum simplicium appræhensionum.

In doctrina tradita fundatur id quod aiūt, omnem videlicet propositionem de seipsa exercite dicere: sum vera, quod nihil aliud significat quam nos per iudicia, quæ formamus, assentiri formaliter res ita se habere, sicut concipiuntur à nobis, adeoque habens hoc iudicium, *Petrus est homo*, assentitur Petrum esse hominem, habens hoc aliud, *Petrus non est homo*, dissentitur.

Quæritur tertiò. Vtrum vna propositio sit verior altera. Ratio dubitandi est quia si quis dixerit, *Aliqui homines currunt*, & decem homines currant videtur esse verior

pro-

propositio, quam si solum quinque: est enim vera ex pluribus titulis, siue, habet plura verificatiua. Ex alio capite dici solet veritatem consistere indiuisibili, hoc est non suscipere magis & minus. Item hæc alia propositio: *vel Petrus currit, vel Paulus sedet*, quæ est disiunctiua imperfecta, si solum Petrus currat, aut solum Paulus sedeat, est vera, quod si & Petrus currat & Paulus sedeat videtur esse verior.

Resp. quæstionem hanc esse de mero nomine: in re enim nulla est difficultas. Certũ est in casu prædicto dari plura verificatiua propositionis prædictæ. Si hoc sit esse verius propositio est verior, si autem hoc impertinenter se habet ad veritatem, non est verior. Impertinenter autem se habebit si dixeris veritatem in hoc consistere præcise quod ex parte obiecti detur quidquid requiritur ad hoc vt propositio sit vera: hoc autem habes in vtroque casu. Quod autem in altero aliquid aliud insuper habeas: dic superuacaneum esse ad veritatem, æqualiter mãsuram, si istud deficiat. Exemplum sit in solutione alicuius debiti. Petrus & Paulus debent singuli decem nummos Francisco: Petrus dat decem; Paulus quindecim: vter plus soluit? neuter plus sed vterque per hoc præcise quod dederit quantum debuit, soluit: quinq. nummi, quos superaddit Paulus, non pertinent ad solutionem: quia solutio est positio æqualitatis cum debito: quinque autem supra decem sunt extra æqualitatem decem ad decem.

Quæritur vltimo an veritas formalis reperiatur in simplici apprehensione? Ratio du-

dubitandi eſt: quia veritas eſt conformitas cognitionis cum obiecto: datur hæc conformitas inter apprehenſionem & obiectum; ergo in apprehenſione datur veritas. Ex alio capite, dicit Philoſophus non eſſe verum aut falſum ſine compoſitione aut diuiſione: donec enim dicas, *eſt* vel *non eſt*, nondum verũ aut falſum dicis; in apprehenſione autem neque *eſt* reperitur, neque *non eſt*, ergo in apprehenſione non reperitur veritas.

Reſp. veritatem complexam quę ſimpliciter & abſolute dicitur à Philoſopho veritas, non reperiri in apprehenſione, ſed ſolũ in actu iudicatiuo; veritatem autem incõplexam quæ conſiſtit in ratione purę imaginis reperiri in apprehenſione. Prima eſt veritas aſſenſus aut diſſenſus, opponiturq. falſitati, deceptioni, errori. ſecunda opponitur puræ & præciſæ ignorantiæ. Idem autem Philoſophus qui dicit non dari verum niſi, vbi eſt affirmatio aut negatio; dicit etiam in apphæhenſione ſimplici dari verum, quamuis nequeat dari falſum: ratio cur nequeat dari falſum eſt: quia eo ipſo quod diſformetur obiecto nõ eſt imago talis obiecti; cur autem aliquo modo contineat verum, eſt: quia conformis eſt. Intelligere hæc ſimplicia, ait Philoſophus, continet verum: nõ intelligere autem non continet decipi, ſed ignorare. Vnde conſtat aliam eſſe veritatem quam Philoſophus negat, aliam quam concedit primæ apprehenſioni, vt dictum eſt.

ARTICVLVS II.

Soluuntur aliqua Sophismata.

OPponitur primo. Intellectus assentitur aliquando duobus contradictorijs; ergo falsum est non posse intellectum dicere de eodem : *est & non est.* Antecedens probatur:potest rusticus dicere se esse hominem & negare se esse animal. Hæreticus affirmat dari Deum ,negat dari Trinitatem, & sic de alijs infinitis.

Resp. intellectum non assentiri contradictorijs si vt talia appareant : qualia apparerent si diceret : est homo & non est homo, &c. Si autem non apparet contradictio non est dubiũ quin assentiri possit. Vnde virtus arguentis consistit in hoc vt contradictoria latentia educat è tenebris & faciat manifesta, vt ostendat aduersarium sibi ipsi contradixisse.

Opponitur secundò. Dicat Deus Petro: *Si dixeris verum dabo tibi regnum*: audita hac promissione dicat Petrus Deo : *Non dabis mihi regnum.* Hoc posito propositio Petri , si est vera, est falsa,si est falsa est vera ; ergo aliqua propositio potest esse simul vera & falsa. Antecedens probatur: quia si vera est propositio Petri ; Deus qui fidelis est in promissis dabit illi regnum : si autem det regnum eo ipso propositio Petri est falsa ; ergo si propositio Petri est vera eo ipso est falsa. Idem dic de promissione diuina : nam vel Deus dat vel non dat regnum: si dat,Petrus dixit falsum adeoque non dat regnum

dicenti verum vt promisit; si non dat, eo ipso non dat quod promisit dicenti verum: Petrus enim verum dixit, dum dixit: *non dabis regnum.*

Resp. negando hypothesim, vtpote nugatoriam. Deus potest dicere: si dixeris verum dabo tibi regnum, conditionando collationem regni sub dictione veri non circa ipsam collationem vel non collationem; sed circa aliud obiectum. Puta si post talem promissionem Petrus dixisset: *cras pluet*, aut aliquid aliud huiusmodi.

Opponitur tertio. Dicat Petrus: *Prima propositio quam faciet Paulus erit vera*: & immediate post dicat Paulus: *vltima propositio quam fecit Petrus est falsa*, hoc posito, propositio Petri si vera est, eo ipso est falsa, nam si vera est, est etiā vera propositio Pauli; sed si vera est propositio Pauli, propositio Petri est falsa, ergo si vera est propositio Petri, est etiam falsa. Item probo quod si falsa sit, est vera: nam si propositio Petri est falsa, propositio Pauli est vera; si autem vera est propositio Pauli, est vera propositio Petri; ergo si falsa est, est vera. Hæc omnia patent comparanti vnam propositionem cum altera.

Resp. vtramq. ex prædictis propositionibus supponere in vtralibet obiectum a se distinctum, cum conformitate vel difformitate cum ipso, per quam sit vera vel falsa; & tamen in obiectione nihil assignatur vni propositioni pro obiecto præter alterā propositionem habentem pro obiecto illam eandem propositionem cum qua comparatur; & nihil aliud. Hinc propositio affirmans veritatem

aut

aut falsitatem vtriuslibet, est de subiecto non supponente. Est enim iudicium de veritate aut falsitate quæ haberi deberet per aliquid distinctum ab ipsis met propositionibus; hinc proponenti prædictas propositiones negandum est suppositum: quia hæc ipsa iudicia supponunt aliquid, quod non datur, per respectum ad quod debeat haberi veritas vel falsitas propositionis. Puta hæc propositio *prima propositio quam faciet Paulus erit vera*, supponit Paulum aliquid dicturum circa obiectum aliquod distinctum à propositione per quam dicitur dicturus verum. Idem dic de alia, quam facit Paulus, neutra autem habet obiectum huiusmodi; ergo vtraque laborat in supposito, & idem pro vtraque respondendum est, quod responderes in hypothesi in qua post propositionem Petri, Paulus nihil diceret, aut ante propositionem Pauli Petrus nihil dixisset. Fac Petrum dicere, *prima propositio quam faciet Paulus, erit uera*, & deinde per totam æternitatem Paulum tacere, quid diceres tunc, nisi negares suppositum? tam autem impertinenter se habet quod loquatur vt inducitur loquens quam quod non loquatur.



DISPV-



DISPVTATIO VI.


In Libros Priorum Analiticorum.

QVAESTIO I.

De necessitate Conclusionis post præmissas.

ARTICVLVS I.

Datur necessitas contrarietatis.



ICTVM est in summulis Syllogismum esse orationem, in quā quibusdam positis, aliud quid à positis necesse est contingere, eo quod hæc sint. Ea quæ in Syllogismo *quædam posita* appellantur sunt præmissæ: maior scilicet & minor, quæ præmissæ dicuntur quia præmittuntur conclusioni. Illud autem alterum, quod his positis, necesse est esse, est ipsamet Syllogismi conclusio, vt ibidem explicatum est. Cum igitur Philosophus dicat positis præmissis necesse esse conclusionem sequi; quæritur hic cuius rationis sit huiusmodi necessitas, pro cuius intelligentia.

Necessitas alia est contrarietatis, seu quo-ad

ad specificationem; alia contradictionis, seu quoad exercitium. Per primam ita determinamur ad actum, vt nequeamus elicere oppositum seu contrarium: per secundam ita determinamur ad actū, vt nequeamus illum omittere. Vtrique necessitati sua libertas opponitur. Necessitati contrarietatis libertas contrarietatis; qua videlicet exire possū in hunc vel in oppositum actum: puta in amorem vel in odiū: necessitati contradictionis, libertas contradictionis; qua exire possū vel non exire in actum; non tamen in hunc vel in oppositū. Exēplū vtriusq. necessitatis & libertatis habes in voluntate. Hæc bonum purū puta bonum diuinū, si clare proponatur necessario amat vtraque necessitate, quia non modo nequit odisse, sed nequit non amare. Hęc eadem bonum ad mixtum malo non solum potest non amare; sed etiam potest odisse. His positis.

Dicendum est præmissas recte dispositas & intellectas necessitare necessitate contrarietatis ad conclusionem. Explicatur conclusio. Pone has præmissas: *omnis homo est animal. sed Petrus est homo* tunc dico, intellectum, non esse indifferentem ad hunc actū, *ergo Petrus est animal*, vel ad oppositum, *ergo Petrus non est animal*. Adeoque si aliquam conclusionem eliciat, eliciet primam. Probatur hoc quia si posito assensu vtrique præmissæ posset intellectus dicere, *Petrus non est animal*; posset assentiri duobus cōtradictorijs manifestis: diceret enim, *omnis homo est animal*, & *aliquis homo non est animal*. Hoc autem esse impossibile est pri-

mum

mum principium sæpius hactenus repetitum.

Dices intellectum non posse quidem assentiri duobus contradictorijs simul, posse tamē successiue, adeoque potuit in instanti *A* dicere, *omnis homo est animal, & Petrus est homo*, & deinde in instanti *B* dicere *Petrus non est homo*.

Resp. nos nihil aliud velle, nisi quod stante assensu qui præbetur præmissis non possit ab intellectu elici actus conclusionis oppositus, coexistere autem assensum prędictum elicitioni conclusionis supponimus vbi cum aduersario.

ARTICVLVS II.

Datur etiam necessitas contradictionis

PRobatur hæc secunda conclusio, quia intellectus habens omnia requisita ad conclusionem nequit non elicere conclusionem, sed ita se habet habens præmissas rectè dispositas, & intellectas, ergo nequit tunc non elicere conclusionem. Maior probatur quia intellectus est potentia necessaria, adeoque impotens non agere, vbi dantur omnia requisita ad agendum. Hoc alibi dictum est, vbi intellectum cum voluntate contulimus; quæ positis omnibus ad agendum prerequisitis, potest, pro suo libito, agere vel non agere. Est igitur potentia intellectiua in cognoscendo, sicut visiua in vidēdo, sicut autem repugnat potentiam visiuam, habere omnia requisita ad videndum & non videre, ita repugnat potentiam in-

lectiuam habere omnia requisita ad cognoscendum, & non cognoscere.

Minor autem probatur, quia præstito assensu vtrique præmissę potest elicere conclusionem, ergo habet omnia requisita ad conclusionem, vbi nota hanc illationem esse bonam: intellectus positis pręmissis potest assentiri, ergo assentitur huic vel illi conclusioni. Ratio est quia potentia necessaria facit in quibuslibet circumstantijs, quidquid potest facere, ad differentiam potentiæ liberæ, quæ cum sit domina suæ actionis, illam elicit vel non elicit, nō prout potest, sed prout vult.

Dices: sæpe accidit quod intellectus assentiatur præmissis, & neget assensum conclusioni, ergo per præmissas intellectus non necessitatur ad conclusionem. Antecedens probatur, quia in syllogismis indirectis cū toto assensu præmissarum, negatur consequētia, vt constat in multis pręcipue autem in Barocco & Broccardo, ita vt necesse fuerit excogitare artem reducendi ad impossibile.

Resp. ex hoc ipso quod inuenta sit ars reducendi ad impossibile, confirmari conclusionem supra positam, si enim potest aduersarius reduci ad impossibile, nequit simul cum assensu præmissarum non assentiri conclusioni. In tantum autem in syllogismis prædictis contingit negari cōsequentiā, concessa vtraque præmissa, in quantum præmissæ non bene penetrantur, nec connexio ipsarum cum conclusione. In syllogismis autem directis, quia res aliter se habet, ideo dicitur aduersarius reduci ad impossibile, quando cogitur vel ad negandum assensum

conclusioni conceſſis præmiſſis, vel ad concedenda contradictoria. Ex his patet ad argumentum, Sæpe accidit &c. in ſyllogiſmis directis, nega, in indirectis, concede. Ratio diſparitatis eſt data.

Obijcitur præterea. Veritati non euidenter apparenti intellectus non neceſſario aſſentitur, in ſyllogiſmo probabili non apparet euidens veritas conclusionis, ergo ſaltem in ſyllogiſmo probabili aſſenſus præmiſſarum non neceſſitat ad aſſenſum conclusionis. Maior eſt certa. Minor probatur, quia conclusio ſyllogiſmi probabilis eſt ſolum probabiliter vera, non enim inferes euidens ex probabili, imo si ex præmiſſis altera est euidens, & altera dumtaxat probabilis, conclusio erit ſolum probabilis iuxta illud. Conclusio ſequitur debiliorem partem.

Reſp. conceſſa maiori, diſtinguendo minorem, veritas concluſionis non eſt euidens simpliciter, concedo, non eſt euidens ex ſuppositione quod præmiſſæ sint veræ, nego minorem, & conſequentiam. Aliter, non eſt euidens euidentia conſequentis, concedo, euidentia conſequentiæ, nego. Eſt euidens, quod si verum eſt omnem matrem diligere filios, & Medeam eſſe matrem, Medeam diligere filios, & in hoc ſyllogiſmo, *omnis mater diligit filios, Medea eſt mater, ergo Medea diligit filios*, eſt æque euidens conſequentia, ac in iſto, *Omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal* Hæc tamen propositio, *Medea diligit filios* eſt ſolum probabilis etiam positis præmiſſis quarum altera eſt ſolum probabilis, ſed non

solum probabiliter, imo euidenter iucluditur in præmissis, adeoq. nequit admissis præmissis ipsa non admitti.

Obijcitur vltimo. Voluntas habet vim inclinandi intellectum ad assensum, & eundem cohibendi ab assensu; ergo admissa vtraque præmissa poterit cohibere vel suspendere assensum circa conclusionem. Antecedens cōstat in assensu fidei; qui fit ex imeperio voluntatis: vnde dicitur: *nemo credit nisi volens*: & in illo imperio voluntatis consistit meritum. Hoc voluntatis in intellectum dominium explicat Philosophus in Rhetoricis vbi moneat oratorem, vt si iudicem velit sibi in sentiendo propitium, curet illum habere sibi bene affectum; & post Philosophum Augustinus super hæc: *noluit intelligere vt bene ageret*: &: *posuit in corde suo vt non intelligeret*: Quotiescunque enim non apparet euidenter veritas vel falsitas, incredibile est, quantum bona vel mala affectio voluntatis conferat ad assensum vel dissensum. Hæc omnia patent experientia. Cū in rebus naturà dubijs & vtrinque probabilibus omnes sentiant secundum affectum. Puta si agitur de pugna inter Catholicos & Hæreticos: omnes boni Catholici victoriam etiam dubiam adscribunt Catholicis, hæretici, hereticis.

Resp. distinguendo antecedens: voluntas habet vim, &c. in omnibus circumstantijs: nego; in aliquibus: concedo. Ad probationem concede quidquid ibi dicitur, nam & obiectum per fidem credendum; ità proponitur, vt ad assensum necessario requiratur imperium voluntatis: & in multis obscurè

pro-

propositis idem accidit: sed posito assensu præmissarum modo explicato, cum nihil obscuritatis sit circa consequentiam, nequit circa illam expectari imperium voluntatis. Vt autem voluntatis aliquale dominium in intellectum aliqualiter intelligas, sciendum est dominium huiusmodi exerceri non directè, sed indirectè: per hoc videlicet, quod ita distrahat intellectum ad hæc, & illa obiecta, vt consequenter nequeat ita attendere ad rem vt illam rectè penetret, atque intelligat. Eodem modo potest voluntas impedire oculum, nè videat hoc, aut illud obiectum, distrahendo videlicet illum ad aliud, & sic de cæteris, constat enim etiam potentias necessarias ad plura intentas minus attentas esse ad singula: iuxtà illud: *Pluribus intentus minor est ad singula sensus.*

QVAESTIO II.

De prærequisitis ad conclusionem.

ARTICVLVS I.

An prærequiratur iudicium de bonitate illationis.

AD intelligentiam propositæ dubitationis forma hunc syllogismũ: *Omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis.* Dubitatur hic, an ad eliciendam hanc conclusionem: *Omnis homo est risibilis*, prærequiratur in intellectu co-

gnitio, qua iudices ex præmissis hanc rectè deduci.

Dicendum est non prærequiri tale iudicium. Probatur conclusio ex dictis. Posita vtraque pręmissa datur quidquid requiritur ad eliciendam conclusionem, ergo non pręrequiritur tale iudicium. Consequentia est euidens. Probatur secunda, quia ad assentiendum pręmissis non pręrequiritur iudicium, quod talibus pręmissis debeatur assensus: determinatur autem intellectus ad assentiendum ab obiecto, quod sibi proponitur per pręmissas: igitur cum ipsę met præmissæ præsentent intellectui obiectum conclusionis: poterit per propositionem huiusmodi, seu præsentationem obiecti, determinari ad assensum. Probatur antecedens: quia si ante assensum, qui prębetur præmissis debeas iudicare talem assensum deberi; etiam ante hunc assensum, quod videlicet debeatur assensus, debes iudicare te debere habere hunc assensum: & cum quodlibet iudicium sit assensus si sit affirmatiuum: dissensus si negatiuum, ante quemlibet assensum debebis habere alium assensum, quod est impossibile: cur autem præbebis assensum *A*, sine iudicio antecedenti, quod benè præbeatur, non autem assensum *B*? Præterea per hoc ipsum quod iudices: debeo assentiri huic, vel illi obiecto, iudicas hoc, & illud esse verum: per hoc autem, quod iudicas esse verum hoc: *Omne rationale est risibile*: formaliter assentiris, quod omne rationale est risibile.

Quod dictum est vltimo loco de præmissis dic proportionaliter de conclusione. Per

hoc

hoc ipsum, quod iudices: ex his præmissis rectè deducitur hæc conclusio: *Omnis homo est risibilis*; iudicas hoc rectè inferri ex positis: hoc autem ipsum est assentiri conclusioni, seu concludere in syllogismo: & hoc ipsum est, quod affirmat exercite arguens; & negat defendens, dum consequentiam negat.

Hoc autem intelligendum est respectu intellectus nostri, qui per præmissas inducitur ad cognoscendum hoc deduci ex ipsis. Nam hoc iudicium: *Hæc conclusio necessariò sequitur ex his præmissis*: in se præcisè consideratum, non est illatio: Deus enim, quem implicat syllogizare, habet huiusmodi iudicium.

Obijcitur primò. Positis præmissis intellectus aliquando elicit conclusionem, aliquando non, ergo aliquando determinatur ad eliciendam conclusionem, aliquando nõ; sed non potest dici, cur determinetur in vno casu, & in alio non, nisi quia in vno casu iudicat esse bonam illationem, & in alio non: ergo quando elicit conclusionem determinatur à iudicio, quod illatio sit bona.

Resp. Aliquando intellectus iudicat esse bonam illationem, aliquando non, ergo aliquando determinatur ad hoc iudicium, aliquando non, &c. Dicat aduersarius, à quo determinetur ad tale iudicium, & per hoc ipsum dices determinari ad conclusionem. Determinatur autem à præmissis rectè dispositis, & intimè penetratis: quia autem præmissæ aliquando tales sunt, & aliquando non: ideò intellectus aliquando determinatur ad conclusionem, aliquando non.

Obijcitur secundò. Si quis argumentanti

in forma, concessa vtraque præmissa: neget consequentiam; debemus ostẽdere illi, quod talis conclusio rectè inferatur ex illis præmissis: ergo pro priori ad actum conclusionis debemus habere iudicium, quod hæc rectè sequatur ex præmissis. Probatur consequentia, quia pro priori ad conclusionem habemus illud iudicium, quod habemus, quando reflectentes supra argumentum factum, cognoscimus bonam esse illationem.

Resp. concesso antecedenti: negando consequentiam, & probationem eiusdem. In casu posito ostendimus aduersarium non benè penetrasse præmissas, quas benè penetrantes syllogizauimus.

Obijcitur tertiò. Si non prærequiritur prædictum iudicium actus illationis non erit assensus diuersæ rationis ab assensu, quẽ præstamus præmissis: consequens est falsum, ergo & antecedens. Sequela maioris probatur, quia tam in conclusione, quàm in præmissis præstabitur assensus obiecto ob immediatam præsentationem ipsius. Minor autem probatur, quia vnus assensus vocatur conclusio, alter iudicium: & ex communi omnium sententia illatio, seu conclusio intrinsecè differt à mero iudicio.

Resp. negando sequelam maioris. Ad probationem dic obiecto præmissarum præberi assensum immediatè propter ipsum: obiecto autem conclusionis propter assensum præmissis præstitum, quod est syllogizare. In hoc autem intrinsecè differt illatio a præmissis; quod hæc intrinsecè pendeat ab ipsis: ità vt hic assensus: *Petrus est animal*, si conside-

sideretur, vt in se est, & sine vllo antecedente intrinsecè differat ab hoc. *Ergo Petrus est animal*, qui ex antecedenti deducitur.

Atque hic oritur dubitatio, an dependentia illa conclusionis à præmissis sit dependentia à causa, an dependentia à conditione: hoc est, an præmissæ sint causa, an mera conditio respectu conclusionis. Discrimen inter conditionem, & causam alibi ex professo assignabitur à nobis. Interim stemus dicto communi, nè de omnibus in omnibus disputemus: differt, inquiunt, conditio à causa, quod hæc requiratur, vt aliquid diffusiuum sui, seu communicatiuum sui esse, & assimilatiuum passi: illa autem requiratur quidem, sed vt merum applicatiuum virtutis actiuæ. Vt ignis ex palea faciat ignem, requiritur & ignis, & proximitas ignis, ad paleam: ignis vel per se, vel per suum calorem est diffusiuus sui, & assimilatiuus passi: proximitas est conditio, sine qua ignis in paleam non ageret.

Hinc ratio inueniendi, an aliquid requisitum ad existentiam alterius sit causa, an solum conditio: attendere oportet, an effectus specialem aliquam similitudinem habeat cum illo, an nullam: si aliquam: est causa: si nullam est conditio. Conclusionem autem secundum aliquas speciales rationes assimilari præmissis apparet ex hoc, quod ex præmissis euidentibus conclusio euidens, ex obscuris obscura, ex probabilibus probabilis eruatur. Ad dubitationem igitur dic præmissas non esse meram conditionem, sed aliqualem causam conclusionis.

ARTICVLVS II.

An conclusio reflectat supra præmissas.

DVbitatio proposita duplicem sensum facere potest: primus est, an intellectus eliciens conclusionem, reflectat supra obiecta præmissarum: secundus est, an non solùm obiecta, sed etiam ipsasmet formales præmissas per actum conclusionis consideret. Prima reflexio dicitur supra præmissas obiectiuas, secunda supra præmissas formales. His positis.

Dicendum est primo. Intellectus in conclusione reflectit supra obiecta præmissarum. Probatur primò auctoritate Doctoris Angelici, qui prima secundæ, quæst. 8. art. 3. in corp. sic habet: *Nam primo aliquis intelligit principia secundum se, postmodum autem intelligit ea in ipsis conclusionibus, secundum quod assentitur conclusionibus propter principia*: ergo secundum Sanctum Doctorem ipsa principia, hoc est præmissæ prius intelliguntur in se ipsis, & eadem per conclusionem iterum attinguntur.

Probatur secundò, ratione quam ibidem habet Doctor Angelicus: præmissæ obiectiuæ sunt motiuum, propter quod intellectus elicit conclusionem; ergo per actum conclusionis præmissæ obiectiuæ attinguntur. Antecedens est certum: consequentia probatur: quia omnis actus intentionalis attingit non solùm suum obiectum materiale, sed etiam, & multò magis formale, puta amans medicinam propter sanitatem, non solùm

amat

amat medicinam, ſed etiam, & multò magis ſanitatem ipſam, quæ eſt obiectum formale, ſeu motiuum amoris erga medicinam.

Dicendum eſt ſecundò. Concluſio non reflectit ſupra præmiſſas formales. Probatur concluſio, quia per hoc quod concluſio pendeat à præmiſſis formalibus tanquam à principijs aliquo modo effectiuis conſtituitur ſufficienter in eſſe concluſionis, ſi ſimul pendeat à præmiſſis obiectiuis, tanquam à motiuo, ſiue obiecto formali, ergo non requiritur reflexio ſupra præmiſſas. Antecedens probatur ſolutione obiectionum.

Objicitur primò. Si per actum concluſionis non attingantur præmiſſæ formales; particula: *Ergo*, in ſyllogiſmo nihil ſignificat, conſequens eſt abſurdum; ergo, &c.

Reſp. negando maiorem. Particula *Ergo* ſignificat exercite dependentiam actus, tum à præmiſſis formalibus, tum ab obiectiuis modo ſuperiùs explicato. Per ly *Ergo*, ſignifico me elicere talem aſſenſum, tum quia elicui præcedentes, tum quia obiecta præcedentium aſſenſuum mouent me ad iſtum. Ly *Quia* appellat obiecta præmiſſarum pro motiuo: premiſſas ipſas pro applicatiuo motiui.

Dices. Ergo præmiſſæ formales habent rationem puræ conditionis. Probabis conſequentiam: quia habent rationem applicatiui.


Reſp. negando conſequentiam. Ad probationem dic rationem applicatiui eſſe rationem conditionis; adeoq. præmiſſis formalibus conuenire, quod ſint conditio: non tamen propterea ſunt mera conditio: ſunt

autem respectu motiui conditio, adeoq; non substinent rationem causæ in genere motiue: sed simul sunt causa in genere efficientis: non est autem nouum, quod idem sit in vno genere conditio, & in alio causa. Ità; vt Physici docent, cognitio boni in genere motiui est mera conditio, in genere effiijentis est causa amoris.

Obijcitur vltimo. Actus conclusionis sufficienter cōstituitur in esse tali, per hoc quod aliquo modo efficienter pendeat à præmissis formalibus, ergo non est necesse vt reflectat supra præmissas obiectiuas. Antecedens probatur: quia nullus alius actus intellectus talem habet dependentiam, ergo per hoc sufficienter differt ab omni alio.

Resp. per hoc præcisè quod actus *A* determinet ad actum *B*, non constituitur actus *B* in esse conclusionis. Patet hoc quia multæ appræhensiones determinant ad iudicia; determinant autem per præsentationem obiecti: ex quo apparet vnum actum non determinare ad alium, nisi per hoc quod obiectum præsentatum per ipsum, determinet in genere motiui ad cognitionem alterius. Igitur in præmissis duo considera. Primum est ipsa cognitio formalis principiorum, seu obiectorum: secundum est; ipsa principia obiectiua. Primum nequit esse sine secundo; implicat enim te cognoscere hoc obiectum, & hoc obiectum non proponi tuo intellectui. Obiecta per hoc quod cognoscantur, determinant ad aliū actū; mouēdo. præmissa ipsa formalis determinat aliqualiter efficiendo, & insuper applicando intellectui, id quod mouet. Ad argumentum in forma: nega antecedens.

cedens. Nam purus concursus ad actum conclusionis per modum causæ efficientis, est insufficiens constituere conclusionem formaliter talem. Ad probationem, & ad alia quæ ibi dicuntur; patet ex dictis.



DISPVTATIO VII.


In libros Posteriorum Analiticorum.

QVAESTIO I.

De Sientia.

ARTICVLVS I.

Quid sit scientia?



SCIENTIA multipliciter dicitur. Aliquando enim tam late vsurpatur nomen scientiæ, vt cuilibet cognitioni applicetur. In hoc sensu scimus ea, quæ opinamur, & credimus. Secundò accipitur scientia pro qualibet cognitione certa & euidenti, & in hoc sensu, scio me viuere & alia huiusmodi. Tertiò accipitur pro cognitione certa & euidenti rei per causam propter quam res est, & quod illius causa est; & non potest aliter, & aliter

se

se habere. In hoc sensu accipit scientiam Philosophus hoc lib. 1. post. cap. 2. dum ait: *scire autem arbitramur vnumquodque simpliciter, cum causam existimamus cognoscere propter quam res est, quod illius causa est, & non contingit aliter & aliter se habere.* Suæ definitionis probitatem probat ex eo quod & qui vere sciunt; rem per causam cognoscunt, & eiusdem causam esse cognoscunt: & qui existimant se scire, quamuis reipsa non sciant, putant se rem per causam cognoscere & quod illius rei causa est, & quod res non potest aliter se habere. Vnde sequitur quod quemadmodum omnes homines, natura scire desiderant; ita omnes homines, & qui sciunt, & qui non sciunt; in allata scientiæ definitione conueniant.

Hanc Philosophi definitionem, si præcise vt sonat, accipias: inuenies non repugnare diuino intellectui scientiam etiam tertio modo acceptam: nam & res omnes certo & euidenter cognoscit; & rerum omnium causam, tam altissimam, uempe se ipsum, quam alias omnes inferiores; & quod illarum causa est, & non contingit aliter & aliter se habere. Si tamen sensus definitionis sit, scientiam esse cognitionem euidentem alicuius obiecti, ortam ex cognitione causarum propter quas est: in hoc sensu scientia non conuenit Deo: qui res omnes cognoscit cum in seipso, tum in seipsis absque eo, quod cognitio vnius rei oriatur ex cognitione alterius. Scientiam autem à Philosopho hic definitam communiter accipiunt pro cognitione rei orta ex cognitione causarum.

Scientiam primo modo acceptam nemo

est

est qui negauerit. Secundo modo aliqui negarunt; aliqui de rebus omnibus dari asseruerunt: vtrique absurde, vt late probat Philosophus in metaphysicis. Absurditas vtriusque patet ex eo quod nemo est qui si sapiat non sit certus de multis; & viceuersa de multis non dubitet. Quilibet enim certus est de sua existentia; de sua vita, & de infinitis alijs quæ experimentaliter cognoscit. Vice versa sunt innumerabilia obiecta, circa quæ etiam sapiens dubitat, aut etiam penitus ignorat, vt vnicuique obuium est. De scientia tertio modo accepta maior controuersia est. Quia vero hæc per demonstrationem in nobis gignitur: de demonstratione agendum est.

ARTICVLVS II.

Quid sit demonstratio & quotuplex?

DEmonstrationis duplicem definitionē tradit Philosophus 1. post. cap. 2. Prima est: *Demonstratio est Syllogismus scientialis, seu faciens scire.* Dubitatur hic à nonnullis, an demonstratio faciat intellectum scientiem per modum causæ efficientis, sicut pictor facit parietem album; an per modum causæ formalis sicut albedo facit eundem parietem album. In hoc secundo genere causę demonstrationem facere intellectum scientem videtur expresse docere Philosophus, explicans definitionem quam affert: scientialem autem dico secundum quem, eo quod ipsum habeamus, scimus: vbi vides ex mēte Philosophi per hoc ipsum formaliter constitui scientem intellectum, quod habeat Syllogis-

logiſmum demoſtratiuum.

Secunda definitio eſt demonſtratiuã ſcientiam, ſeu demonſtrationem eſſe ex veris, & primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, & cauſis concluſionis. Et primo quidem oportet vera eſſe principia demonſtrationis; quia cum veritas concluſionis pendeat ex præmiſſis, ſi aliqua ex ipſis falſa ſit, ipſa etiam concluſio erit obnoxia falſitati. Adde quod præmiſſæ in Syllogiſmo demonſtratiuo debent eſſe certæ & euidentes, repugnat autem cum certitudine & euidentia falſitas. Secundò oportet principia eſſe notiora concluſione; quia per illa intellectus aſſentitur concluſioni: hoc eſt per illa obiectum concluſionis ſit intellectui manifeſtum: ignotum autem per aliud magis vel æque ignotum non manifeſtatur. Tertio oportet eſſe cauſas concluſionis: quia tunc ſcimus, cum rem per cauſas cognoſcimus. Cum igitur obiectum concluſionis cognoſcamus per præmiſſas; præmiſſas eſſe cauſas concluſionis oportet.

Quia vero dupliciter eſſe poſſunt cauſæ concluſionis: videlicet vel in eſſendo, hoc eſt in quantum obiecta ipſa præmiſſarũ ſint cauſa obiecti concluſionis; vel in cognoſcendo; hoc eſt quatenus obiecta præmiſſarum inducant in cognitionem obiecti concluſionis; ſicut effectus inducunt in cognitionem cauſæ; ideo.

Diuiditur Demonſtratio in demonſtrationem propter quid, ſiue à priori, & in Demonſtrationem quia, ſiue à poſteriori. Demonſtratio à priori eſt ila, in qua per causã demonſtratur effectus, vt cum in homine ex ratio-

rationali demonſtratur riſibile. Vbi aduertendum eſt, quod ad rationem demonſtrationis prædictæ non requiritur vt medium aſſumptum ſi phyſice cauſa prædicati quod demonſtratur de ſubiecto concluſionis; ſed ſufficit quod habeat ratione noſtra aliquam prioritatem reſpectu talis prædicati: ita in homine quamuis iuxta opinionem valde probabilem ſint realiter idem intellectus & voluntas: tamen Animaſticus per intellectũ bene demonſtrat voluntatem: *omne intellectiuum eſt volitiuum: ſed omnis homo eſt intellectiuus, ergo omnis homo eſt volitiuus*. Hac eadem demonſtratione circa Deum vtitur Theologus quamuis in Deo certum ſit intellectum non eſſe cauſam voluntatis, cũ hæc ſit eſſentialiter incauſata.

Demonſtratio à poſteriori eſt ea, in qua ex effectu demonſtratur cauſa. vt cum aliquis per riſibile demonſtrat rationale: *Omne riſibile eſt rationale: omnis homo eſt riſibilis, ergo omnis homo eſt rationalis*. Hoc genere demonſtrationis demonſtrat Metaphyſicus exiſtentiam Dei, ex effectibus ducens in cognitionem cauſæ ſecundum Apoſtolum: *inuiſibilia eius per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*. Vocant etiam Demonſtrationem à poſteriori quamlibet, per quam aliquid demonſtretur per aliud quomodolibet neceſſario connexum cum ipſo; dummodo non ſit connexio cauſæ cum effectu.

Quemadmodum autem in Demonſtratione à priori non eſt neceſſe vt mediũ ſit phyſice cauſa prædicati quod dicitur de ſubiecto concluſionis: ita in demonſtratione à poſteriori non requiritur vt medium ſit phyſice

effectus

effectus prædicati quod dicitur de subiecto: ideoque queamadmodum per veram demonstrationem à priori ostenditur in libris de Anima hominem esse volitiuum, ex eo quod sit intellectiuus; ita etiam ibidem per veram demonstrationem à posteriori, ostenditur hominem esse intellectiuum ex eo quod sit volitiuus. *Omne volitiuum est intellectiuũ: omnis homo est volitiuus, ergo, &c.* Intentum autem Philosophi hic est. Explicare naturam & conditionem demonstrationis perfectissimæ, siue potissimæ.

Est autem demonstratio potissima illa in qua demonstratur prima passio de subiecto, per definitionem ipsiusmet subiecti. Huiusmodi est hæc: *Omne animal rationale est risibile: omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis*: in qua pro medio termino assumis essentiam seu quidditatem hominis, cuius primam passionem demonstras. Aduertendum est autem, cum Philosopho non demonstrari hic essentiam siue substantiam hominis, sed supponi; & per ipsam; primam passionem, hoc est accidens cum ipsa conuertibile demonstrari. Hoc ipsum ex Aristotele docet passim D. Thomas; nimirum circa ipsum quid est demonstrationem non fieri, sed ipsum quid est supponi, & per ipsum cætera prædicata de subiecto monstrari. Ratio est quia per demonstrationem debet cõponi cum subiecto aliquod prædicatum quod insit; substantia autem non dicitur in esse, sed accidens.

Dices. Per accidens immediate profluens ab essentia, vel ab eadem quomodolibet inseparabile demonstrari potest ipsamet sub-

stantia, siue essentia; ergo falsum est quod de ipso quid est non detur demonstratio. Antecedens probatur hac demonstratione. Omne risibile est rationale, omnis homo est risibilis, ergo, &c.

Resp. per accidens inseparabile demonstrari substantiam, sed non demonstratione potissima de qua hic agitur.

Dices secundò. Hæc demonstratio: *omne rationale est homo: Petrus est rationalis, ergo est homo.* non est, neque à priori neque à posteriori; rationale enim non est neque causa, neque effectus hominis, ergo demonstratio insufficienter diuiditur in à priori, & à posteriori.

Resp. demonstrationem prędictam (si tamen sit demonstratio, cum non concludat vniuersaliter) esse à priori: videlicet per causam formalem: rationale enim est causa formalis hominis.

QVAESTIO II.

De præcognitis ad demonstrationem.

Omnis doctrina & omnis disciplina, ait Philosophus 1. post. cap. 1. ex præexistente fit cognitione. Quales igitur & circa quæ debeant esse cognitiones huiusmodi quærendum est. Tenendum est autem in qualibet demonstratione dari subiectum de quo aliquid demonstratur, prædicatum quod demonstratur de subiecto, & principium, seu medium; quo tale prædicatum

tum demonstratur de subiecto. Patet hoc in omni syllogismo.

Præterea: circa quodlibet obiectum duo cognosci possunt: videlicet: an est, & quid est: cognitio circa an est? est circa existentiam seu possibilitatem obiecti: circa quid est? est circa ipsius quidditatem siue essentiam. Omnis non cæcus habet de sole euidētiam circa an est; non tamen circa quid est, cum de ipsius quidditate varij varia opinentur.

Dicendum est primò. Ad demonstrationem debet præcognosci subiectum circa quid est. Probatur quia ad inuestigandum an hæc vel illa passio tali subiecto conueniat oportuit aliqualiter intelligere quid nā sit illud subiectum: si enim omnino ignores quid significet hoc nomen *homo*: quomodo inquires an hoc vel illud prædicatum ipsi conueniat? imo in demonstratione potissima debet subiectum præcognosci definitiue, cum definitio assumatur per modum principij: principium enim conclusioni prænoscitur.

Dicendum est secundo ad demonstrandum prædicatum reale debet præ cognosci subiectum circa an est. Probatur quia non entis non est passio, seu proprietas, vt ait Philosophus,. ergo demonstratio passionis seu proprietatis realis supponit subiectum reale.

Dicendum tertio. De prædicato quod dicitur de subiecto debet præcognosci quid sit, non autem quod sit. Hoc est præcognosci circa quid est, non autem circa an est. Probatur prima pars, quia nisi intelligas quid sit esse risibile, stulte illud affirmas aut negas de quo-

quolibet subiecto. Præterea illud ipsum prædicatum quod in conclusione vnitur subiecto, in præmissis vnitur medio termino, vt apparet in hoc syllogismo: *Omne rationale est risibile: omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis,* Igitur in maiori debeo cognoscere quid sit esse risibile; ne stulte dicam: *omne rationale est risibile.* Maior autem præcedit conclusionem.

Probatur secunda pars conclusionis positæ: quia quod per demonstrationem probatur ita esse, non prænoscitur demonstrationi: quod hoc prædicatum *risibile* insit huic subiecto *homo* probatur per demonstrationem, seu concluditur in demonstratione, ergo hoc ipsum non supponitur præcognitum demonstrationi. Igitur ante demonstrationem prædictam debes intelligere, quid sit esse risibile: non autem quod risibile insit homini.

Obijcies primo. Non debet præsupponi id quod probandum est per demonstrationẽ: sed aliquando de subiecto probatur circa an est; ergo non debet semper præcognosci subiectum circa an est. Minor probatur quia de aliquo subiecto puta de creatura immultiplicabili quæritur an sit possibilis, quod aliqui affirmant, aliqui negant; ergo de ipsa non prænoscitur neque quod sit, neque quod non sit.

Resp. concedendo totum. Non dicimus quod de quolibet subiecto de quo aliquid inquiritur præsupponi debeat quod sit. Hoc enim ipsum sæpe affirmauimus, disputari videlicet inter Philosophos de subiecto hu-
ius

ius vel illius propositionis an sit vel non sit, an sit possibile vel Chimericum. Etiamsi autem de obiecto dubitetur an sit possibile, vel contra: debet vtraque pars disputantium conuenire in aliquo conceptu quidditatiuo ipsius. Solum diximus quod demonstraturus passionem realem supponit subiectum esse quid reale, cùm non entis nulla sit passio, vt dictum est.

Obijcies secundo. Etiam non entis potest passio demonstrari, ergo non entis est passio. Antecedens probatur quia Chimeræ & Hyrcocerui potest passio demonstrari. puta quod nequeat esse vllibi aut vnquam. Quod nequit esse, nequit vllibi esse: Hyrcoceruus nequit esse, ergo nequit vllibi esse.

Resp. Sermonem fuisse de passione reali. An autem etiam entis chimerici demonstrari possit passio chimerica est quæstio de nomine. Certum est quod quemadmodum quidditatis realis sunt proprietates reales, ita & chimericæ intelligi possunt passiones chimericæ; tunc autem supponitur & conceptus quidditatiuus & esse obiectiuum illius cuius passiones quęruntur.

Dices impotentia essendi vllibi in chimera non est chimerica: hęc demonstratur: ergo in Chimera demonstratur passio non chimerica.

Resp. neq. Chimeram esse Chimeram est chimericum. Est enim necessarium & æternę veritatis Chimeram esse Chimeram. Quemadmodùm autem dum Chimeram concipis concipis id quod nequit esse physice: ita dum in eadem quamlibet potentiam vel impotentiam concipis, concipis aliquid quod ne-

quit

quit esse physice. In forma: impotentia quæ physice sit, non est chimerica: nega. Impotentia quæ logice sit, hoc est in pura ratione obiecti: concede antecedens & nega consequentiam.

Obijcies vltimo. Sufficit aliquando de subiecto cognoscere quid nominis: hoc non est cognoscere quidditatiue; ergo non est necesse semper cognoscere quidditatiue.

Resp. transmissa maiori: distinguendo minorem: hoc non est cognoscere quidditatiue perfecte: concedo; imperfecte: nego. Idem dic ad consequens & hoc sufficit.

QVAESTIO III.

De regressu demonstratiuo.

Regressus demonstratiuus est progressus nostri intellectus, quo postquam per aliquod principium aliquam conclusionem probauit, per eandem conclusionem reuertitur ad probandum illud idem principium: atque ita quod in prima demonstratione erat conclusio, in secunda fit medium; & quod erat medium fit conclusio. v. g. probat Philosophus inter positionem terræ lunam inter & solem, demonstratione à posteriori per Ecclipsim. *Quotiescunque datur ecclipsis lunæ, terra interponitur inter solem & lunã: nunc datur ecclipsis lunæ, ergo nunc terra interponitur inter solem & lunam.* Deinde regreditur ad probandam ecclipsim à priori per interpositionem terræ inter solem & lunam. *Quotiescunque datur interpositio terræ inter solem & lunam, datur ecclipsis lunæ: sed*

sed datur nunc talis interpositio, ergo datur nunc ecclipsis lunæ. In primo syllogismo probatur interpositio terræ per ecclipsim: in secundo ecclipsis per interpositionem terræ.

Regressum hunc demonstratiuum damnare videtur Philosophus primo post. cap. tertio: vbi dicit non probandum esse *A* per *B* & deinde *B* per *A*, quia committeretur circulus vitiosus & à primo ad vltimum probaretur *A* per *A*. Alibi tamen illum probat & adhibet vt cũ probat lunam esse sphericã quia recipit illuminationem circularem & deinde probat recipere illuminationem circularem quia est sphærica.

Dicendum est dari regressum demonstratiuum. Probatur conclusio primò auctoritate Philosóp. vt dictũ est. 2. ratione; quotiescũque vnũ euadit notius altero, & cõnexum cũ altero euadit mediũ aptum ad demõstrandum alterum: sed sæpe accidit vt causa demonstrata per effectum euadat notior suo effectu &c. ergo contingit vt demonstrata per effectum euadat medium aptum ad demonstrandum effectum. Maior est euidens. Minor probatur: quia contingere potest vt causam per effectum probatam profundiori attentione speculemur, illamque altius penetremus quam effectum ipsum. Manifestum est enim per maiorem actuationem mentis rem magis magisque intelligi: præterea possunt circa rem probatam accedere noua & noua motiua quæ illam notiorem reddant: & tunc potest assumi ad probandum id per quod prius probabatur.

Dices: in tali casu committitur circulus vitiosus, ergo non est admittendus regressus

demon-

demonstratiuus. Antecedens probatur quia in tali casu probatur *A* per *B*, & *B* per *A*; ergo committitur circulus vitiosus.

Resp. negando antecedens. Foret circulus vitiosus si neque *A* euaderet notius quā *B*; neque *B* quam *A*: & præterea probans ita probaret *A* per *B*, & *B* per *A*, ut neutrum vlterius probaret. Ad probationem distingue: probatur *A* per *B* factum notius quam *A*: concedo, non factum notius quam *A*: nego: & sic ad reliqua.

Obijcitur præterea. Demonstratio fieri debet per principia notiora conclusione; ergo nequit fieri regressus demonstratiuus. Cōsequētia probatur quia: in regressu demō-stratiuo per conclusionē probatur principiū, ergo conclusio euadit principiū sui principij. Confirmatur hoc idem: quia conclusio & principium sunt se ipsis mutuo notiora, quod videtur repugnans: nam eo ipso quod *A* est notius quam *B* implicat quod *B* sit notius quam *A*; alioquin *A* esset notius notiori se.

Resp. his omnibus obuiatum esse, vbi dictum est conclusionem euadere posse, per attentiorem speculatiònem, magis notam quam principium, ex quo deducitur: adeoq, idem potest euadere notius eo, quod ante fuit notius se. Quod in eodem syllogismo cònclusio sit notior suo principio repugnat; quod autem in syllogismo *B* conclusio quæ euasit principium, sit notior principio quod iam euasit conclusio, nullo modo repugnat. In forma respondeo cum distinct. conclusio materialiter accepta est notior principio materialiter accepto: concedo: conclusio

formaliter est notior principio formaliter, nego. Illa propositio quæ in uno syllogismo est conclusio, in alio est principium, vbi est conclusio non est notior, secus vbi est principium. Conclusio & principium non sunt mutuo seipsis notiora in eodem statu, retinentia videlicet relationem principij & conclusionis; sunt tamen in diuerso, & tali relatione mutata.

QVAESTIO IV.

An detur Scientia de nouo.

ARTICVLVS I.

Respondetur affirmatiue.

Contra Platonicos & Pyhagoricos agendum est hac quæstione: qui nullam scientiam aquiri de nouo opinabantur. Aiebant autem latere in humano intellectu rerum omnium scientias, quæ per exercitium excitarentur & è suis tenebris emergerent: iuxta hos nihil de nouo addiscimus: sed eorum quorum latent scientiam in nobis ipsi abscondimus, identidem reminiscimur: sicut v. g. qui didicit olim Poema Virgilij, auditis deinde aliquot eiusdem carminibus, totius Poematis paulatim reminiscitur. Hoc etiam modo iuxta Atomistas per affrictum silicis & chalybis non fit ignis de nouo, sed antea latens & abstrusus foras euocatur.

Contra hanc sententia varia proponuntur.

tur. Primum est: si omnis Anima habet omnem scientiam, etiam cæcus natus, habet scientiam de coloribus : consequens est contra proloquium : cæcus non iudicat de coloribus, ergo & antecedens. Idem dic de surdo circa musicã. Sequela maioris probatur : quia scientiæ in sententia Platonica nõ sunt in intellectu, beneficio sensuum, sed eidem insunt ab idea.

Hoc argumentum non premit Platonicòs: cum totum quantum est vltro concedi possit. Cæcus habet scientiam de coloribus, surdus de musica; sed vterque scientiam consopitam : neuter autem potest reminisci : quia quod per Philosophum per sensus gignitur in intellectu, per Platonicós solum excitatur:& sicut per Philophum habemus per sensus quod sciamus, ita per Platonicos quod reminiscamur.

Secundum argumentum est. Si omnis sciẽtia est semper in nobis, dantur in nobis simul actus contradictorij : consequens est impossibile; ergo & antecedens, Sequela maioris probatur : quia aliquando in nobis est hic actus: *dies est*, ergo hic actus semper est in nobis : nihil enim vnquam de nouo scimus: rursus in nobis aliquando est hic alius: *non est dies*, ergo simul in nobis sunt isti duo actus: *dies est*, & *dies non est*. Imo semper sunt in nobis; sicut enim primum, non aquirimus, ita nec secundum. Alia huiusmodi argumenta quæ nec teruntij valent congeruntur.

.Argumentum propositum nihil vale,ttum quia actus confundit cum habitibus: tum quia supponit scientiam esse circa contingẽ-

 tia.

tia. Etiamsi in nobis sit semper habitus sciẽtiæ, quo scimus omne rotundum circulariter moueri; non tamen hunc actum: *omne rotundum mouetur circulariter*: semper habemus: sed aliquando huius rei reminiscimur, aliquando non. *Dies est* non est actus scientiæ nisi superaddas *quando sol lucet*, aut aliquid aliud huiusmodi quod faciat propositionem necessario veram: vnde implicat tam in doctrina Peripatetica, quam in Platonica circa idem obiectum, scientiam dicere: *est, & non est*, etiam in diuersis differentis temporis: ratio est quia scientia nõ affirmat aut negat per verbum *est* simpliciter & sine addito, sed cum addito prædicait vel necessario conuenientis, vel necessario repugnantis subiecto: puta: *dies est effectus solis: dies non est effectus lunæ*: quæ propositiones præscindunt à tempore, & sunt eternæ veritatis.

Valet autem contra Platonem quod alibi dictnm est contra ideas; in quas cum omnia refundat, refundit omnia in Chimeras. Pretereà per id, per quod dicit Plato nos reminisci, affirmamus nos aliquid de nouo addiscere: quod nos antea sciuisse penitus ignoramus. Ignoro enim quod antequam didicissem in scholis modum faciendi carmen Asclepiadeum, sciuerim modum idem faciendi: debet igitur Plato mihi probare me ante habuisse scientiã, qua persuasissimus sum me omnino antea caruisse. *Hinc* apparet capacitatem addiscendi quam hausimus à natura confundi à Platone cum ipsismet habitibus scientiarum, quos impressos vult ab idea. Potissimum igitur argumentum post

im-

impugnatas ideas, est hanc sententiam, de reminiscentia, loco scientiæ de nouo, esse purum commentum, & nulla ratione probabile. Philosophari autem hoc modo est omnino absurdum.

Contra Pythagoram autem pugnare potes specialiter si aduertas omnes animas iuxta ipsius errorem esse eiusdē rationis: imo vnā eandemq. animam diuersa corpora per Metemsicosim successiuè animare. Hoc supposito sequitur Asinum esse ęque Philosophum, ac Pythagoram: consequens negabit Pythagoras, ergo & antecedens. Sequela maioris probatur, quia ęque in anima Asini sunt omnes scientiæ, ac in anima Pythagoræ: different igitur in hoc, quod illa anima, quando facit Pythagoram potest suscitare scientias consopitas; quando facit Asinum fortasse non potest: adeoq. Pythagoras ab Asino in ratione Philosophi differt, sicut Pythagoras vigil à Pythagora dormiente.

Prætereà de multis obiectis æque sapienter deberet philosophari Asinus, ac Pythagoras, quia scientiæ multorum obiectorum excitantur per sensus: putà scientia de coloribus per visum; de musica per auditum; cum tamen prouerbialiter dicatur: *Asinus ad lyram*.

ARTICVLVS II.

Satisfit obiectionibus.

OBijcitur primò. Nequit intellectus scire se scire, nisi antea sciuerit, ergo scientia non acquiritur, de nouo, sed con-

sopita excitatur. Probatur ant. fac aliquem quærere, an sydera sint paria, vel imparia, vel quodlibet aliud obiectum huiusmodi: hic non potest scire se inuenisse verum, nisi antea sciuerit quid verum sit: sciuisse autem quid verum sit est habuisse scientiam; ergo nequit scire, nisi prius habuerit scientiam. Maior probatur exemplo satis familiari. Mulier, quæ accendit lucernam, vt quærat mnam, quæ perierat, nisi prius nouerit mnam, quam quærit, etiam si inueniat, nesciet se inuenisse. Eodem modo si Petrus eat in forum quæsiturus Franciscum, nisi prius nouerit Franciscum, etiam si in eundem incurrat, nesciet tamen se illum inuenisse; ergo eodem modo intellectus per discursum veritatem aliquam inquirens, nisi prius illam nouerit, nescit se illam inuenisse, & consequenter debet illam scire, priusquam illius scientiam acquirat, quod implicat ex terminis: ergo non acquiritur scientia de nouo, sed solum excitatur remiuiscentia.

Resp. hoc argumentum magnis æquiuocationibus laborare. Si quis numeret nummos, quos habet in crumena, vt videat quot sint, per numerationem addiscit quot sint, & scit esse verum, quod sunt centum, quod tamen antea ignorabat. Item qui numerat sydera per enumerationem huiusmodi determinatè scit, esse paria, vel è contra, quod antea nesciebat; & tamen non dubitat se inuenisse, quod quærebat. Qui dissecat corpus animalis, vt videat ex quibus partibus constet, post sectionem huiusmodi habet scientiam de partibus animalis, quas anteà ignorabat, nec dubitat, animal his, & illis par-

tibus constare. Qui fodit vineam, vt inueniat latentem thesaurum; inuenta vrna plena nummis aureis, scit quis thesaurus lateret, quod anteà ignorabat, & sic de cæteris. Eodem modo qui profundè speculatur principia, sciens erui posse ex ipsis veritatem circà hoc, vel illud obiectum, post speculationem huiusmodi, scit se inuenisse veritatem, quæ anteà latebat: & veritas inuenta ità recreat intellectum, sicut thesaurus voluntatem auari. Ex his patet ad argumentum. In forma nega antecedens. Ad probationem dic mulierem non quærere quid sit mna, nec Petrum quærere quid sit Franciscus. Philosophus autem quęrit quid sit hoc, & illud; & quę passiones promanent ad hoc & illo. Ex principijs autem sibi notis, sic eruit veritatem, quæ latebat, sicut fossor thesaurum: & sicut fossor non dubitat se inuenisse thesaurum, sic nec sapiens se inuenisse veritatem. Ratio à priori est, quia veritas inuenta statim manifestat suam conformitatem cum principijs, ex quibus eruitur: quod non contingit Francisco, in quem Petrus incurrat, qui non magis monstrat se esse hominem, quem alius quærit; quā quilibet alius monstraret.

Objicitur secundo. Si puer paulatim interrogetur de aliquibus, v. g. an vnum, & vnum sint duo: an duo, & tria faciant quinque? an per detractionem duorum ex quinque maneant tria, & sic de cæteris, procedendo à facilioribus ad difficiliora; inuenietur antea sciuisse ea, de quibus interrogatur, ergo scientia non gignitur de nouo, sed cum antea lateret, excitatur. Hoc argumento vti-

principia huiusmodi agendum esse non ratione, sed suste, vtpotè contra dementes. Principia huiusmodi sunt: *Quodlibet est, vel non est. Non potest idem simul esse, & non esse.*

Obijcitur quartò. Vt sciam, debeo scire me scire, aut saltem debeo posse certificari me scire: non possum certificari me scire per vllam demonstrationem, ergo per nullam demonstrationem scio: & consequenter scientia nō acquiritur per demonstrationem. Minor probatur: quia qui paralogizat ęque firmiter putat se scire, ac qui syllogizat, & tamen implicat parasyllogizantem scire per paralogismum: ergo firmiter hærere in conclusione elicita, & in principijs, ex quibus elicitur, non te certificat, quod scias. Confirfirmatur hoc exemplo quotidiano duorum sibi contradicentium, qui ambo iurant, se suam sentētiam deducere euidenter ex principijs euidentibus; cum tamen euidens sit alterum falli. Hoc argumētum est Scotisticum, & ingeniosum.

Resp. hoc argumentum nihil valere, nisi valeat hoc aliud. Somnians æque firmiter somniat se non somniare, ac vigilans putet se non somniare, ergo per firmam adhæsionem, quod non somnies non certificaris te non somniare. Hanc autem firmam adhæsionem ęque habet qui somniat, ac qui non somniat, ergo non magis qui non somniat certificatur se non somniare, quam qui somniat. Antecedens constat experientia. Sunt enim infiniti, qui somniantes de aliquo obiecto, putā se esse Reges, aut filios Regum reflexe somniant se non somniare, sibique

ipsis somniando iurant se nō somniare. Somnianti compara paralogizantem, vigilanti syllogizantem, & inuenies alterum re ipsa certificari quod sciat, alterum verò non: sicut vigilans certificatur, quod vigilet; somnians verò non, licet etiam in somnio sibi ipsi videatur vigilans. Hinc patet ad argumentum; disparitas inter paralogizantem, & syllogizantem est ea, quam ostendimus inter vigilantem, & somniantem. Qui paralogizat dicit se esse certum, & euidenter concludere: hoc idem dicit, qui syllogizat, sed alter vere concludit, alter apparenter. Ex duobus sibi contradicentibus plerumq. neuter euidenter concludit, adeoq. vterque decipitur, non circà esse, aut non esse obiecti: cum repugnet neutrum dicere verum: sed circà esse, vel non esse euidens, cum sæpè accidat vtrumq. contradictorium esse probabile, neutrum euidens, putà dicit Petrus se demonstrare relationem esse formam modalem: dicit Paulus se demonstrare oppositum, cum fortasse neuter demonstret. Contingit enim sæpè, quod homo putet se syllogizare demonstratiuè, vbi vix probabiliter ratiocinatur: non tamen propterea nunquam demonstrat: cum autem demonstrat ipse per suam demonstrationem habet euidentiam de obiecto longè diuersam ab ea, quam, non habet, sed putat se habere cum paralogizat: sicut qui vigilat habet longe aliam euidentiam, quod vigilet, quam sit ea quam somnians ipse sibi affirmat se habere de sua vigilia, somniando dicens: *Est mihi euidens me vigilare.*


Obijcitur vltimò. Nihil est in intellectu,

quod

quod priùs non fuerit in sensu ; ergo non datur vlla scientia. Consequentia probatur: quia iuxtà hoc Aristotelicum axioma ipsa scientia debet in intellectu esse per sensus ; sed repugnat esse scientiam, & esse per sensus, seu mediante sensu; ergo,&c. Minor probatur,quia repugnat haberi cognitionem certam, & euidentem per testes mendaces: sed sensus sunt huiusmodi ; ergo, &c. Probatur vltima minor: quia oculus de baculo recto dicit, quòd curuus sit, vt patet si mergatur in aqua : gustus de cibo dulci dicit, quod sit amarus, & sic de cæteris. Igitur cognitio innixa testificationi sensuum est cognitio habita per testes fallaces, & consequenter cognitio fallax, atque incerta.

Resp. distinguendo antecedens: nihil est in intellectu quin fuerit in sensu, eodem modo: nego antecedens, diuerso modo subdistinguo : nihil ex sensibilibus: omitto, nihil omninò: nego antecedens, & consequentiam. Hoc axioma Philosophi plerumq.malè intelligitur. Agit Philosophus de obiectis sensibilibus, eorumq. notitiam per sensus ad intellectum transmitti affirmat. Prætereà etiam sensibilia ipsa aliter sunt in intellectu, quam sint in sensu: intellectus enim multa componit per sensum cognita, ex quorum compositione certas, & euidentes notitias colligit circà sensibilia: insuper quædam cognitiones ad alias determinant non per sensum, sed per se ipsas. In casu posito de baculo in aqua, & cibo dulci in palato infirmi: dic hoc ipsum animaduerti ab intellectu, videlicet palatum ęgrum determinare, si ipsi credas, ad falsa iudicia: sicut

v. g. sapiens Iudex, etiam viri probi testimonium reijcit, si sciat illum phrenesi laborare. Imò intellectus ipse rationem quærit, & inuenit, cur baculus in aqua demersus appareat fractus, cum tamen sit integer: scit enim obiecta transmitti ad sensum, non per seipsa, sed per species sui, quæ dum à medio densiori transeunt ad rariùs mutant lineam, & refranguntur à perpendiculo; sicut ex opposito cum à medio rariori transeunt ad densius, refranguntur ad perpendiculum. Vel vt melius intelligas, in primo casu magis disperguntur, in secundo magis vniuntur. Ad probationem dic intellectum non fidere sensibus in quibuscumq. circumstantijs; sed in ijs, in quibus intelligit ipsos agere fideliter, & sincerè. Hoc autem cognoscit sicut sapiens cognoscit hominem laborare, vel non laborare phrenesi, aut corrigendo vnum sensum per alium; aut eundem per testificationem sui, in infinitis casibus, in quibus aberat errandi periculum, putà rectitudinem baculi deprehendit per visum extra aquam exercitum, & simul per tactum, & sic de cæteris.



QVAE-

QVAESTIO V.

De simultate scientiæ, & opinionis.

ARTICVLVS I.

In quo consistat certitudo actus.

ACtus nostri intellectus alij certi sũt, & alij incerti. Certitudo spectat ad scientiam, & ad fidem supernaturalem siue diuinam; incertitudo ad opinionem, & fidem humanam. In quo consistat certitudo, non est vna omnium sententia. Alij certitudinem actus petunt ex necessitate obiecti, quod per talem actum attingitur, incertitudinem verò ex contingentia. Verum hæc sententia vana est: nam & de obiecto necessario haberi potest cognitio incerta, & de obiecto contingenti cognitio certa. Da enim te videre Petrum currentem, & dicere: *Petrus currit*: habes cognitionem certissimam, vtpotè intuitiuam, claram, & euidentem, de cursu Petri, cum tamen sit aliquid contingens; ergo potest haberi cognitio certa circa obiectum contingens. Prçtereà omnes actus fidei diuinæ sunt certi; & tamen innumerabiles actus fidei sunt circa obiecta contingentia: putà circa Incarnationem Verbi Diuini, institutionem Sacramentorum, & alia infinita huiusmodi.

Quod autem circa obiectum necessarium dari possit cognitio incerta, probatur: quia Deum esse vnum, & Trinum est necessarium:

adeo-

adeoq. quicumq. habet hanc cognitionem : *Deus est vnus , & Trinus* , habet cognitionem necessario veram : & tamen hanc ipsam cognitionem habere potest Ethnicus per rationes probabiles , & per fidem humanam assentiens huic obiecto, propter testimonium hominum , quod est impotens illum firmare in huiusmodi assensu.

Alij certitudinem actus aiunt consistere in firma quadam, & inconcussa mentis adhęsione ad aliquod obiectum , cum veritate coniuncta , putà habet cognitionem certam de Mysterio Trinitatis quisquis firmiter , & inconcusse tenet Deum esse vnum , & Trinum. Hæc autem certitudo non consistit, aut in sola veritate actus , aut in sola firmitate mentis per talem actum suo obiecto adhærentis ; sed in complexo ex vtroq. videlicet ex adhæsione ipsa, & veritate.

Hæc etiam sententia insufficienter explicat certitudinem actus : da enim me firmiter , & inconcusse dicere : *Turca saltat* ; ita vt tanta pertinacia hoc asseram , vt paratus sim mori potius , quam dictum retractare. Da etiam Turcam saltare : non proptereà actus ille erit certus. Hoc vt intelligas, scias me non loqui de saltu , quem videam , aut qui mihi reueletur à Deo ; sed me hoc asserere temere, & casu, quamuis pertinacissimè in ea differentia temporis , in qua contingit Turcam saltare.

Dicendum est igitur certitudinem consistere in determinatione quadam intrinseca cognitionis ad verum orta ex principijs, vel obiectiue, vel efficienter influentibus, vel ex vtriusque simul. Actus fidei diuinæ certus

est, tum ex lumine influente in ipsum, tum ex motiuo, hoc est ex obiecto formali; nimirum ex auctoritate, & reuelatione diuina, cui innititur: ità vt impossibile sit hominem tali auctoritate innixum vnquam decipi. Actus scientiæ est certus ex motiuo, & euidentia, quia tale motiuum connectitur cum re affirmata. Cum euidentia connectitur necessario certitudo, quamuis hæc sit ab euidentia separabilis. Omnis enim actus euidens est certus; non tamen omnis actus certus est euidens, vt constat in actibus fidei, à quibus nequit abesse certitudo, quamuis ab iisdem abesse possit euidentia.

Ille igitur actus erit certus, cui aderit prædicta determinatio ad verum, per quam firmissimè assentietur, quod obiectum ita se habet: ille erit incertus, qui tali determinatione carebit. In hac autem materia maximè discurrendum est inter veritatem, & certitudinem: tenendumq. etiam illum actũ, quem impossibile est esse falsum, esse posse incertum.

ARTICVLVS II.

In eodem intellectu stant simul scientia, & opinio circa idem.

TEnendum est primo, quod alibi passim insinuauimus, discrimen inter obiectum materiale, & obiectum formale. Obiectum materiale dicitur illud, ad quod terminatur actus, siue tendentia nostri intellectus; formale verò est motiuum, propter quod in tale obiectum noster intellectus sic

ten-

tendit, v. g. actus, quo assentior hominem esse risibilem, quia est rationalis: habet pro obiecto materiali, hominem risibilem, pro formali verò ipsum rationale. Actus, quo assentior Medeam diligere, quia est mater; habet pro obiecto materiali Medeam diligentem, pro formali maternitatem Medeæ.

Tenendum est secundo ex dictis, actum opinionis esse ex se incertum: hoc est non firmare per se ipsum intellectum in assensu, quod obiectum ità sit: ita vt per reflexionem supra huiusmodi actum, & motiuum ipsius certificetur intellectus rem ita se habere. Exemplum habes in assensu, quod Medea diligat filios innixo super hoc motiuum præcisè, quia mater est. Si enim intellectus reflectat supra actum huiusmodi inueniet contingere posse, vt cum maternitate coniungatur odium; quod de facto accidit in Medea.

Tenendum est tertio aliud esse quod opinio non certificet, aliud quod faciat fluctuãtem, seu formidantem intellectum circa obiectum cui assentitur: vnde dicitur opinio non facere intellectum certum; non autem facere positiue incertum. Non facit certum; ex ratione dicta: non tamen facit positiue incertum; quia non est de ratione ipsius expellere ab intellectu certitudinem circa obiectum. In hoc tamen versatur Aduersarius vt ostendat cũ opinione non stare scientiam: quia videlicet opinio, inquit, ponit incertitudinem seu formidinem; scientia autem certitudinem, & euidentiam. Quæ omnia corruunt si ista duo distinguas: non dare certitudinem; &, expellere certitudinem, seu

seu ponere formam incompossibilem cum certitudine. Primum præstat opinio, non vero secundum. Etiam in hoc ligno durities non facit coloratum; non tamen durities expellit coloratum: & vniuersaliter omnes formæ distinctæ, seu diuersæ ita sunt in eodem subiecto, vt vna non præstet effectum formalem alterius, non tamen ita vt impediat. Color non facit sapidum, sed non impedit saporem, quin faciat sapidum. Et idem subiectum habens colorem & saporem, quāuis non sit sapidum per colorem, non propterea non est sapidum per saporem: inepte autem arguit qui sic arguit: *hoc subiectum non est sapidum per colorem, & est sapidum per saporem, ergo non est sapidum & est sapidum*. Eodem tamen modo arguit aduersarius in præsenti materia: *Intellectus non est certus per opinionem, & est certus per scientiam, ergo intellectus non est certus & est certus*. Vides per oculos & non vides per auriculas; ergo vides & non vides. Qui naturam opinionis intelligit vt explicata est hic, habet metaphysicam impossibilitatem dissentiendi à nostra sententia.

Probatur igitur conclusio ex dictis. Actus opinionis & actus scientiæ nullam habēt inter se repugnantiam, ergo possunt esse simul actus scientiæ & opinionis in eodem intellectu circa idem obiectum. Falsitatem antecedentis plerique probare conantur ostendendo quod opinioni & scientiæ conueniunt prædicata contradictoria. Sed inepte, nam omnes formæ distinctæ sustinent prædicata contradictoria, ergo nullum subiectum erit capax formarum distinctarum, & cōsequenter

ter non poterit aduersarius esse simul albus & calidus, simul sapiens & sanus. Arguit enim: scientiæ conuenit facere intellectum certum & intrepidum circa obiectum: conuenit opinioni non facere intellectum certũ & intrepidum circa suũ obiectum, ergo sciẽtiæ & opinioni conueniunt prædicata opposita & contradictoria, ergo stare simul nequeunt in eodem intellectu. Tu sic argue: sanitas facit hominem recte se habenté quoad humores corporeos: sapientia non facit hominem bene se habentem circa humores corporeos, ergo sanitati & sapientiæ conueniunt prædicata opposita & contradictoria, ergo nequit in eodem homine esse simul sanitas & sapientia. In vtroque argumento negatur vltima consequentia. Nam vt non possint esse simul plures formæ non sufficit quod vna non præstet effectum alterius, sed oportet vt præstet oppositum. Hoc modo albedo & nigredo nequeunt esse in eodem lacte. Possunt esse albedo & dulcedo: quamuis tam de dulcedine quam de nigredine verum sit quod non faciat album. Habet autem insuper nigredo facere nigrum, & per hoc quod faciat nigrum expellere album; quia album & nigrum non solum sunt diuersa sed contraria.

Denique probatur conclusio responsione ad obiectiones.



ARTI-

ARTICVLVS III.

Satisfit obiectionibus.

OBijcitur primo auctoritas Philosophi 1. post. cap. vlt. dicentis non posse intellectum idem omnino opinari & scire, ergo scientia & opinio nequeunt stare simul in eodem intellectu circa idem obiectũ. Posset probari dictum Philosophi dicto D. Thomæ prima secũdæ quæst. 67. art. 3. vbi ait: de ratione opinionis est quod accipiatur cum formidine alterius oppositi. Puta si opineris Medeam amare filios, eo ipso quod opinaris, vereris vt amet.

Resp. quod qui aiunt de essentia opinionis esse quod inducat formidinem actualem in intellectum, nequeunt sustinere opinionem simul cum scientia in eodem intellectu: sunt enim manifesta contradictoria: scire rem ita esse, & formidare ne non ita sit. Propterea diximus supra non esse de ratione opinionis quod inducat formidinem & reddat intellectum fluctuantem circa suum obiectum; sed solum de ratione eiusdem esse, quod non det certitudinem. Qui ita sentiunt, dictum Philosophi explicant ita vt velit nos non posse idem omnino hoc est tam secundũ obiectum materiale, quam secundum obiectum formale opinari & scire. Hæc responsio nobis non placet: quia opinatum & scitum dicitur de obiecto materiali. Dicendum est igitur ibi Philosophum agere de opinione qua actualiter formidamus, Cum hac autem non stat scientia. Vbi aduerte quod

quamuis

quamuis opinio de ratione sua non exigat actualem formidinem in intellectu, illam tamen non reijcit: sicut animal v. g. quamuis de ratione sua non exigat rationale, illud tamen non repellit.

Ad dictum D. Thomæ quia videtur affirmare de omni omnino opinione quod habeat secum coniunctam formidinem circa oppositum, dic intelligendũ esse non de formidine actuali, sed de radicali. Vbi aduerte nos neque per actum opinionis formaliter formidare, neque per actum scientiæ liberari omni formidine: sed intantum hic certificat in quantum reflectens intellectus supra suum assensum & motiuum assensus, videt se verum tenere & immobiliter tenere, quãdiu talem actum habet & penetrat tale motiuum; reflectens autem supra actum opinionis & motiuum eiusdẽ, non videt connexionem necessariam motiui cum obiecto quod affirmat, adeoque quo altius penetrat motiuum assensus, eo clarius videt, posse se nutare circa veritatem rei affirmatę vel negatę, quantum est ex parte talis motiui. Ex quo sequitur quod si nullũ aliud habeat motiuũ assensus, videt se circa assensum quod res ita sit, fortasse decipi; si autem aliud motiuum habeat, quod sit euidens & euidenter connexum cum re affirmata: non videt se posse dubitare simpliciter de veritate, sed videt solum quod, quantum est ex alio motiuo, posset. Potentia illa inducendi formidinem; seu verius impotentia dandi certitudinem quæ in quolibet actu opinatiuo reperitur, dicitur formido radicalis, cum qua æque bene stat actualis certitudo, ac cum radicali frigore actualis calor. Ob-

Obijcitur secundò. Est de ratione opinionis dicere: fortasse res non ita se habet; de ratione scientiæ: res infallibiliter ita se habet: non potest intellectus simul dicere: fortasse non ita se habet, & : infallibiliter ita se habet, ergo non potest intellectus circa idem simul opinari & scire.

Resp. negando maiorem. Imò ex Philosopho 7. Ethic. cap. 3. habes nonnullos per actum opinatiuum æque firmiter hærere obiecto ac alij hereant, qui sciunt. Probat hoc exemplo *Heracliti* qui circa ea quæ opinabatur nihil ambigebat, existimans se scire. Hoc idem patet ex definitione & explicatione definitionis scientię, quam alibi retulimus ex Philosopho; vbi dicit hanc esse bonam quia de eius bonitate concordan[illegible] qui sciunt, & qui putant se scire, etia[illegible] n sciant, ex quo manifestum est eos nih[illegible] bigere aut formidare de veritate illius actus quem habent pro scientia, quamuis re ipsa sit tantum opinio.

Confirmatur doctrina Philosophi: quia potest aliquod motiuum reipsa falsa apparere intellectui infallibiliter connexum cum re affirmata. Et ita de facto apparet ei qui cum paralogizet existimat se demonstrare. In tali casu ita firmiter hæret, vt non sinat se a suo assensu dimoueri. Hoc idem patet in fide qua alteri dicenti credimus. Parochus indutus superpelliceo & stola dicat suis rusticis & Verbum diuinum & Spiritum Sanctum assumpsisse naturam humanam; idque credendum esse & pro hoc moriendum esse si casus ferat; Rusticus circa vtrumque æque credit Parocho: & quia Parochus dixit v-

trum.

trũque eſse reuelatũ à Deo, & fide diuina tenendum: exiſtimat Ruſticus vtrumque ſe fide diuina tenere; & ſi bonus ſit paratus eſt pro vtroque mori: cum tamen certum ſit incarnationem Spiritus Sancti teneri non poſse fide diuina.

Dices. Actus opinionis eſt impotens firmare intellectum in re affirmata, ergo facit intellectum formidantem circa rem affirmatam. Probatur conſequentia quia quidquid non firmat intellectum circa obiectũ aſsenſus, facit intellectum formidoloſum in ſuo aſsenſu, ergo. &c.

Reſp. omiſso antecedenti negando conſequentiam. Ad probationem nego antecedẽs. Apprehenſio non facit intellectum aſsentiẽtem, ergo tollit ab intellectu aſsenſum circa obiectum. Quis non neget ineptam hãc conſequentiam? quaſi vero idem ſit non dare ac tollere, ſicut de latronibus aiũnt, eos dare quidquid non tollunt. Albedo non facit lac dulce, ergo impedit ne lac ſit dulce: nega conſequentiam; ſed etiam in hoc: opinio non dat certitudinem, ergo impedit intellectum ne certus ſit, neganda eſt conſequentia. Intellectum habentem ſimul actum ſcientiæ & opinionis apte comparabis cum homine duplici ligamine colligato ad palum; alterũ ligamen ſit filum ſubtile, alterum vero ſit catena ferrea; primum ligamen non dat homini eſse firmiter & immobiliter ligatum, ſed non impedit quin per aliud ſit firmiter & immobiliter ligatus ad palum: & homo huiuſmodi reflectens ſupra ſuum ſtatum non poteſt dicere poſsum me facili conatu diſsoluere: quamuis dicere poſſit: poſsem ſi non

habe-

haberem aliud ligamen quam filum, vel: possum quantum est ex parte ligaminis serici. Eodem modo intellectus reflectens supra suũ statum dum simul scit & opinatur idem obiectum, dicere potest: si non haberem aliud quam actum opinatiuum formidare possem de veritate mei assensus: non tamen dicere potest: formidare possum de veritate assensus. Ratio est quia quemadmodum vt te dissoluas si ligatus sis, non sufficit vt aliquod ex vinculis sit facile solubile; sed requiritur vt nullum ex vinculis quibus teneris sit dissolubile: ita etiam vt formides circa obiectum, non sufficit quod aliquis actus in tuo intellectu existens, non te certificet; sed requiritur vt nullus: eo enim ipso quod aliquis actus, quicunque ille sit dat tibi certitudinem, es certus.

Obijcies tertio. Ipsemet actus opinionis formidat circa obiectum, ergo intellectus habet actum formidantem circa obiectum. Rursus actus scientiæ assentitur immobiliter obiecto, ergo intellectus habet assensũm immobilem circa obiectum, ergo simul habet duos actus per quorum alterum formidat & per quorum alterum immobiliter hæret: sed simul formidare circa obiectum, & immobiliter hęrere obiecto quamuis per diuersos actus, est impossibile, ergo est impossibile quod intellectus habeat simul actũ scientiæ & actum opinionis. Confirmatur hoc quia si huiusmodi impossibilitas tollitur per hoc quod sint diuersi actus, puta quod alius sit actus per quem formido, alius per quem immobiliter hæreo, non erit impossibile de eodem obiecto dicere simul *est &*
non

non est, nam *est* dicitur per vnum actum, *non est* per alium: assensus est vnus actus, dissensus est alius; adeoque poterit intellectus habere simul assensum & dissensum circa idem obiectum: quod tamen est implicatorium.

Resp. negando antecedens. Nec actus opinionis formidat, nec formidare facit intellectum; aliud enim est non dare certitudinem, aliud dare formidinem. Primum dicitur esse de ratione actus opinatiui: non secundum.

Dices: vel intellectus cognoscit fallibilitatem motiui probabilis vel non cognoscit: si non cognoscit non assentitur probabiliter: si cognoscit formidat, ergo numquam assentitur opinatiue nisi formidet. Minor probatur quoad vtramque partem; si enim motiuum illud apparet fallibile, cum operetur quantum potest, inducit formidinem: si autem nòn appareat vt probabile, seu vt pure probabile, eo ipso intellectus non opinatur; cum opinari sit assentiri obiecto materiali propter motiuum probabile vt tale.

Resp. concessa maiori negando minorem. Dico autem quod motiuum fallibile siue appareat vt tale, siue non, mouet ad actum opinatiuum. Si appareat vt fallibile; intellectus cognoscit se non esse, ex vi talis motiui, certum, non tamen se non esse certum quod obiectum materiale ita se habeat. Si autem non appareat, non propterea non opinatur: aliud enim est motiuum apparere, aliud esse infallibile. Si motiuum fallibile putes esse infallibile: opinaris, & putas te scire; sicut contingebat Heraclito. Ad probationem vtriusque partis; nega de ratione

opinio-

opinionis esse quod nitatur motiuo fallibili cognito vt tali. Nega etiam esse de ratione motiui fallibilis apparentis vt talis inducere in quacunque circumstantia formidinem. Sicut non est de ratione tenuis vinculi inducere in quacunque circumstantia instabilitatem. Vinculum enim sericum, si sit simul cum catena ferrea, non facit te ligatum instabiliter. Atque hic aduerte quod formidare, aut remisse assentiri accidit Intellectui, non ex motiuo, sed ex defectu motiui; sicut nutare sub pondere tibi accidit, non ex viribus, sed ex defectu virium; & remisse videre, non ex lumine, vel potentia, sed ex defectu luminis aut potentiæ. Hinc Intellectus circa hoc obiectum: *Medea diligit filios* titubat, non quia adest hoc motiuum: *Medea est Mater*, sed quia adest hoc solum; hoc est: quia, præter hoc, non adest aliud. Dicere autem quod si aliud mouet; hoc non mouet; quia nequit mouere nisi inducendo formidinem: est dicere quod si cathena ligat, filum non ligat, quia ligare nequit nisi inducendo instabilitatem: quod est ineptum.

Obijc. 4. Actus opinionis est in supplemētū sciētiæ supplementū sciētiæ nequit simul esse cū sciētia; ergo actus opinionis nequit simul esse cum scientia. Maior habetur communiter pro vera. Nam intellectus noster intantum dicitur æquiualenter omnia in quantum cognoscendo cōuertit se quodammodo in omnia: appetit autem appetitu quodam innato non solum cognoscere, sed euidenter cognoscere omnia: sed quia non omnia potest euidenter cognoscere, saltem pro-

probabiliter omnia perscrutatur, adeoq; ex defectu sciẽtiæ circa plurima opinatur. Hinc dicitur habere opinionem in supplementum scientiæ. Minor autem videtur manifesta ex ratione supplementi. Academicus non supplet pro Magistro in dictanda lectione, nisi absente Magistro: & vniuersaliter loquendo quotiescunque ponitur supplementum, deficit res:pro qua ponitur supplementum.

Item: opinio est dispositio ad scientiam: dispositio non stat cum forma ad quam est dispositio, ergo opinio non stat cum scientia. Minor probatur quia dispositio habet rationem viæ; forma verò termini: via autem non manet simul cum termino. Puta via Iulia, quæ est via ad Vaticanum non est simul cum Vaticano: nec homo est simul in via Iulia & in Vaticano. Alteratio est via ad formam substantialem, hæc autem non manet simul cum forma substantiali: aduenıente enim generatione formæ cessat alteratio subiecti, quod disponebatur ad formam.

Resp. ad primum distinguendo maiorem: actus opinionis est purum supplementum: nego, supplementum non purum: omitto. Hanc eandem distinctionem adhibebis ad reliqua. Idem dices ad secundum: opinionem videlicet non esse meram dispositionem ad scientiam, Ad id quod dicitur dispositionem non stare cum forma: notandum est hoc esse falsum, vt cum D. Thoma ostendemus in libris de ortu & interitu; vbi videbimus easdem formas accidentales, quæ fuere dispositiones ad substantialem, remanere cum hac vt proprietates eiusdem; si verum est quod docet D. Thomas. Ad paritatem illam de

de via Iulia & Vaticano; cum opinione & scientia; cum quacunque dispositione & forma: dic facile esse abuti nomine & metaphora viæ. Dispositio in aliquibus conuenit cum via, sed non in omnibus: conuenit in hoc quod vtraque conducat ad possessionem termini: non conuenit in hoc quod sicut via non est cum termino, ita dispositio non sit cum forma.

Ad paritatem de alteratione: verum est motum ipsum alterationis non esse simul cũ motu generationis formalis, sed hoc impertinenter se habet ad rem; cum qualitas ipsa per alterationem producta in subiecto stet simul cum forma per generationem genita.

Obijcitur quintò. Cum actu opinionis est compossibilis actualis formido: actus opinionis est compossibilis cum scientia, ergo actualis formido est compossibilis cum sciẽtia. Consequentia probatur quia compossibile cum compossibili cum *A* est etiam compossibile cum *A*; ergo compossibile cum compossibili cum scientia, est compossibile cum scientia.

Resp. concessa maiori, & minori: negando consequentiam. Ad probationem nego antecedens. Nigredo est compossibilis cum homine: homo est compossibilis cum albedine, ergo nigredo est compossibilis cum albedine. Motus est compossibilis cum lapide, lapis est compossibilis cum quiete, ergo motus est compossibilis cum quiete. Sunt infinita prædicata simul compossibilia in eodem subiecto, sed sunt etiam infinita seorsim solum possibilia in eodem subiecto. In eodem Petro possunt stare simul esse album, esse hic,

esse nunc, stare, loqui, videre, &c. Sunt possibilia in eodem sedere & stare, loqui & tacere, esse albũ & esse nigrum, sed solũ diuisim.

Obijcitur sexto. Hæc cognitio: *ego existo. Ego viuo*. hæc alia: *duo & tria sunt quinque* nequeunt simul esse cum actibus opinatiuis de eodem, ergo actus scientiæ nequit in eodem intellectu componi cum actu opinionis. Consequentia probatur quia ideo cum prædictis actibus nequit stare opinio quia prædicti actus sunt euidentes, sed omnis actus scientiæ est euidens, ergo cum nullo actu scientiæ stare potest opinio.

Resp. concesso antecedenti negando consequentiam. Ad probationem: nego maiorem. Ratio cur non possim simul scire, & opinari me viuere est, quia non possum opinari me viuere: implicat autem impotentem opinari circa aliquod obiectum, posse simul opinari & scire idem obiectum. Conclusio non est quod quilibet actus scientiæ possit esse simul cum opinione aut è conuerso. Si quis enim per aliquem actum opinionis actu formidet, hoc est si quis assentiatur obiecto cum formidine oppositi, hic cũ tali opinione non componet scientiam. Conclusio est non repugnare quod actus vere & proprie opinatiuus stet cum actu vere & proprie scientifico, circa idem obiectum in eodem intellectu. Ratio est quia actus vere & propie opinatiuus non requirit actualem formidinem: immo æque firmiter hæret in conclusione loquendo de firmitate formali, hoc est de firmitate quæ se tenet ex parte actus qui paralogizat dum putat, se demonstrare; ac qui de facto demonstrat.

Dices.

Dices. Ideo non possum opinari me viuere, quia est mihi euidens quod viuo, ergo ratio euidentiæ excludit potentiam opinandi: sed in omni scientia reperitur euidentia, ergo, &c.

Resp. negando antecedens: quo etiam probaret aduersarius me non posse simpliciter opinari circa vllum obiectum circa quod habeam scientiam: cum tamen certum sit obiectum illud esse saltem seorsim opinabile. Dico enim me numquam & in nulla circumstantia opinari posse quod viuam. Ex impossibilitate autem talis actus habes euidentem incompossibilitatem illius cum vllo alio. Ratio autem cur non possim opinari me viuere est quia habeo talem euidentiam quod viuam, vt ridiculus sim eo ipso, quod quæram motiua assentiendi quod viuus sim: vnde etiam in scenis rudiores excitantur ad risum quando Policinella consulit medicum non an sanus sit an æger, de quo ait, se non dubitare; sed an viuus sit an mortuus.

QVAESTIO VI.

An etiam fides stet cum opinione & scientia.

RAtio dubitandi pro fide est illud Apostoli: *fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Ex quo sic arguitur. Vt aliquid fide credatur requiritur vt non appareat: sed omne quod scitur non solum apparet, sed euidenter apparet, ergo nullũ quod

scitur potest simul credi per fidem. Idem argumentum alijs terminis sic proponitur. Actus fidei est essentialiter obscurus: actus scientiæ est esentialiter euidens, ergo circa idem obiectum nequeunt versari simul actus scientiæ & actus fide. Consequentia probatur: quia nequit intellectus simul habere euidentiam & obscuritetem circa idem obiectum: euidentia enim opponitur obscuritati, sicut calor frigori, sicut nigredo albedini.

Vlterius ad credendum aliquid fide diuina, necesse est Deum interpore suam auctoritatem: sed absurdum est Deum interponere suam auctoritatem pro re scita, ergo absurdum est rem scitam simul credi. Maior est certa, quod enim fide diuina creditur, Deo dicenti & attestanti creditur; iuxta illud: *scio cui credidi & certus sum.* Item: *testimonium Dei maius est, &c.* Minor autem probatur: quia absurdum est Deum petere à te, vt ipsi credas quod duo & tria faciunt quinque. Item petere à Mathematico vt ipsi credat hoc & illud quod per demonstrationem concludit, & sic de cæteris. Confirmatur hoc quia testimonium hominum non ponitur nisi ex defectu rationis euidenter probantis rem intentam, ergo multo minus debet poni testimonium Dei. His non obstantibus.

Dicendum est. Fides stat cum scientia. Probatur eodem argumento quo probatum est stare opinionem. Actus fidei habet inniti auctoritate diuina, & non dare euidentiam circa obiectum creditum; inniti auctoritate diuina & non dare euidentiam non pugnat cum alio actu, qui innitatur lumini naturæ, & det euidentiam, ergo possunt stare simul

actus

actus scientiæ & fidei. Hoc eodem argumento probabis stare simul opinionem cum fide: opinio & fides conueniunt in hoc quod neutra det euidentiam, differunt in hoc quod fides det certitudinem, non autem opinio. Compara istos duos actus & videbis posse simul associari. Nam dicere: *fides dat certitudinem; opinio non dat certitudinem, ergo fides & opinio non sunt in eodem intellectu:* non est argumentari, sed nugari. Dicere autem: opinio dat incertitudinem: fides dat certitudinem, ergo non stant simul fides & opinio: non est nugari, sed facere syllogismum qualemcunque, cuius est falsa maior nam aliud est non dare certitudinem, aliud dare incertitudinem. Non dare certitudinem conuenit opinioni, non conuenit eidem vt det subiecto quod careat certitudine, quandoquidem à subiecto non repellit omnem formam per quam certus sit intellectus. Vnde quando dicitur, actus opinionis essentialiter incertus nihil aliud intelligi debet quã ctum opinionis carere in seipso certitudine, adeoque per se non dare intellectui, quod certus sit, vt explicatum est alibi.

Ex his ijsdem principijs habes stare simul actum fidei humanæ cum actu fidei diuinæ. Actus fidei humanæ nititur testimonio hominum: actus fidei diuinæ nititur testimonio Dei: neuter dat euidentiam; alter dat certitudinem, alter vero non. Huiusmodi aactus non pugnare inter seostensum est satis. Ideoque poteris simul Deo & Philoni Hæbreo & Suetonio credere. Ex quibus omnibus habes simul esse posse in tuo intellectu actus fidei diuinæ, scientiæ, opinionis, & fidei

dei humanæ, quod probabis per ea quæ dicta sunt, examinando naturam singulorum actuum. Pro responsione ad argumenta.

Ad primum. Dic aduersarium si vti velit definitione Apostoli accipendo illam in quolibet sensu à se excogitabili secundum sonũ vocum quibus constat, posse etiam probare non posse per fidem credi infernum. Patet hoc; quia fides est substantia rerum sperandarum, adeoque quidquid potest per fidem credi potest sperari & quidem per spem supernaturalem de qua agit hic Apostolus: sed nequit sperari infernus, ergo nec credi. Vide quam inepte vtar definitione Apostoli. Sunt autem infinita quæ credimus & non speramus. Credimus aquam conuersam in vinũ, Lazarum suscitatum, &c. quæ non sunt obiectum spei. Sensus igitur Apostoli est quod bona supernaturalia quæ speramus, necessario primo credimus; vnde spes nostra fundatur in fide, qui enim non credit vitam æternam nec illam sperat: sicut qui non credit infernum nec illum timet.

Ad alias particulas definitionis eiusdem quas in rem suam trahit aduersarius: dic sensum Apostoli esse nos per fidem versari circa ea etiam quæ nec aliunde, nec per fidẽ ipsam nobis euidenter apparent. Quamuis enim aliqua per fidem credamus, quæ ratione etiam demonstrantur: non tamen ea omnia quæ fide credimus, sunt demontrabilia. Fide credis animam rationalem esse immortalem;& hoc idẽ naturali rationi demõstras. Fide credis Deum esse vnum & Trinum, sed hoc naturali ratione non monstras. Rursus ea ipsa quæ & fide creduntur & ratione mõstran-

strantur, non apparent per actum fidei quo creduntur. Vnde in forma. Ad hoc vt aliquid credatur fide diuina oportet vt non appareat: distingue: oportet vt non appareat: per actum quo creditur: concede, vt non appareat per vllum actum: nega.

Ad illud de obscuritate responde cum distinctione: actus fidei est essentialiter obscurus positiue aut priuatiue: nego maiorem; præcisiue: concedo maiorem. Et sic ad reliqua. Qui putant actum fidei esse obscurum positiue imaginantur actum fidei per modũ cuiusdam fuliginis aut caliginis occupantis potentiam intellectiuam, sicut olim tetra caligo dispersa per aerem occupauit oculos Aegiptiorum: Qui putant esse obscurum priuatiue, imaginantur actum fidei per modum eijcientis ab intellectu claritatem qua consideret obiectum quod credit, vel claudentis omnem aditum, seu rimam qua intellectui aliquunde lux affulgeat. O imaginationes! Nos autem dum dicimus actum fidei esse obscurum præcisiue, dicimus solùm actũ fidei non dare euidentiam circa obiectum quod attingit: quidquid sit an aliunde talis euidentia habeatur: non repugnat autem in eodem intellectu esse duos actus, quorum alter det, alter non det euidentiam circa idem obiectum. Nec inde inferes intellectum simul habere & non habere euidentiam vt patet.

Dices: Intellectus simul habet obscuritatem & euidentiam: est eadem repugnantia habere obscuritatem & euidentiam, ac habere & non habere euidentiam, ergo idem inconueniens admittitur quod admitteretur

admittendo simul dari euidentiam & non dari euidentiam.

Resp. explicandum esse hoc vocabulum *obscuritas*. Esse obscurum est carere claritate aliqua; quamuis ratio obscuri stet etiam cũ aliqua claritate. Hoc posito: dic quod intellectus habens actum fidei & simul actum scientiæ, non habet obscuritatem quam hic intendit aduersarius circa obiectum, quod credit. Ratio est quia obscuritas circa tale obiectum est carentia claritatis seu euidentię qua obiectum sciat: dum habet actum fidei & actum scientiæ, non habet carentiam euidentiæ, qua sciat, ergo non habet obscuritatem prædictam. Quamuis enim actus fidei non det habere euidentiam, non tamen dat carere euidentiá, quia euidentiam, quam non affert, non impedit aliunde afferri.

Ad vltimum de testimonio Dei: obseruanda sunt aliqua. Primum est circa quædã inepte interponi testimonium, cum de ipsis impossibile sit dubitari: sicut enim diximus actum opinionis qui esse non possit; nec posse esse cum scientia: ita etiam actus fidei qui simpliciter & absolute nequit esse, procul dubio nequit esse in consortio scientiæ. Ea autem obiecta circa quæ dicit aduersarius non posse interponi, nisi inepte, testimonium dicentis; si ita est, nequeunt fide credi. Dixi. *si ita est* quia de quibusdam est verum, & de quibusdam falsum. v. g. stulte interponis auctoritatem tuam vt credam quod duo & tria sunt quinque. Quod ego viuo: & sic de alijs. Non autem stulte interponeretur testimonium sapientis, aut testimonium Angeli apud Mathematicum vt firmius adhæ-

reret conclusioni quam elicit per demonstrationem. Imo aiebat olim præstantissimus Mathematicus dubitaturum se de veritate conclusionis, si Angelus diceret: paralogizas.

Ad argumentum in forma: concessa maiori nega min. Circa res particulares quas affert Aduersarius, de singulis dicendum est, iuxta merita singulorum. Quod non est opinabile: non est simul opinabile & scibile; secus quod est opinabile. Ad confirmationem primo nega antecedens, quod ipsi Aduersarij exercite supponunt esse falsum, quamuis hic signate habeant pro vero. Supponunt exercite falsum: quia in infinitis quæstionibus vbi statuere suam sententiam, sic aiunt. Probatur hæc nostra sententia primo auctoritate Philosophi, D. Thomæ & aliorum. Deinde: Probatur secundò euidenter ratione à priori. O bone. quid vocas Aristotelem & D. Thomam, vt testentur id, quod demonstras? puta in hac ipsa controuersia vbi statuunt: nequit esse opinio cum scientia, afferunt primo testimonia superius allata ex Philosopho & D. Thoma; & deinde ostendunt euidentem repugnantiam: quia opinioni & scientiæ conueniunt prædicata contradictoria.

Secundo transmisso antecedenti: nega consequentiam. Testimonium hominum male adducatur ad probandam rem euidentem; non propterea male adducetur testimonium Dei quod maius est. Ipsi Aduersarij vbi comparant fidem cum scientia sic aiunt: fides in ratione claritatis cedit scientiæ, scientia enim est veluti luminare maius manifestans obiectum quod per ipsam attingitur,


 cum

cum fides obscura sit & modico illo lumine quo rem præsentat intellectui sit veluti lucerna lucens in caliginoso loco. In certitudine autem vincit scientiam iuxta illud: *Habemus firmiorem prohpeticum sermonem.* Ratio à priori est quia scientia nititur lumini naturæ, fides autem testimonio Dei, est autem certius testimonium Dei quam lumé naturæ: ex hac aduersariorum doctrina siue bona siue mala, habes fidem supra scientiam addere aliquem gradum certitudinis, adeoque male ab ipsis repudiari vt inutilem.

Quæres an quando in eodem intellectu stínt simul actus fidei, scientiæ, & opinionis motiuum scientiæ influat in actum opinionis, motiuum opinionis in actum scientiæ, motiuum scientiæ aut opinionis in actum fidei? Hanc dubitationem proponere placuit non quod faciat ad rem; sed vt hoc ipsum ostendatur quod non facit ad rem, quãuis sæpissime qui contra nostram hanc veritatem arguunt, ita interrogent: vel motiuum scientiæ influit in actum opinionis vel non: si non influit, non impedit, ne formidet: si influit: iam non est actus opinionis: est enim ex motiuo scientifico, ergo, &c.

Resp. in singulos actus sua singula motiua influere: nullum motiuum in alienum actũ influere. v. g. motiuum probabile, & nullũ aliud, influit in actum opinionis: Motiuum certum & euidens, & nullum aliud, in actum scientiæ. Ad id quod dicitur, iam dictum est supra, actum videlicet opinionis vel potius Intellectum opinantem non necessario formidare. Actus scientiæ simul existens in intellectu, cum actu opinionis, impedit intelle-

tellectum ne formidet, non per hoc quod influat in actum opinionis, quod ineptum est imaginari; sed per hoc quod firmet intellectum in illo obiecto in quo firmari nequit per opinionem. Motiuum autem ipsum dicitur firmare intellectum, non formaliter sed obiectiuè; non quod ab hoc aut illo actu auferat formidinem, quæ cæteroquin adesset; quod est ridiculum: cum quilibet actus, sit per se formaliter hæc, & non alia tendentia in obiectum: sed per hoc quod ad præsentiam ipsius, nequit elici actus, qui posset ad præsentiam solius alterius.



DISPVTATIO VLTIMA.

De diuisione, & specificatione Scientiarum.

QVAESTIO I.

Quomodo diuidantur scientiæ.

PRIMA scientiarum diuisio sit ea, quam affert Philosophus 2. Metaph. text. 3. vbi dicit alias esse speculatiuas, aliàs practicas. Vnde autem ratio practici, vel speculatiui desumatur explicatum est alibi ex Philosopho dicente hic: *Speculatiuæ finis veritas, practicæ autem opus.* Quam enim vis etiam practicæ re-

rum ea usas considerent, imò quamuis nullus habitus sit simpliciter scientia, nisi per causas consideret: tamen hoc ipsum, ait Philosophus, non per se, hoc est non propter se, sed ad aliquid, & in eo tempore practici speculantur: hoc est: etiam dum causas speculantur, manent intra rationem habituum practicorum.

Practicas autem scientias diuidit in actiuas, & factiuas, de quibus item in proœmialibus: vtrarumq. finem esse opus constat ex dictis: cum hoc tamen discrimine, quod actiuarum opus dicitur operatio, quæ per ipsas elicitur, factiuarum autem non operatio ipsa, sed artefactum illud, quod ex forma per artem inducta, & subiecto formæ resultat. Exemplum sit in Cytharistica, & Domifactiua: vtraque pro fine habet opus, hæc domum, illa cytharizationem. Cytharistica in recta cytharizatione sistit, tanquam in fine; Aedificatiua autem non sistit in recta ædificatione, sed in domo per rectam ædificationem constructa. Hinc est, quod actiuarum finis, & opus dicatur esse recta operatio, factiuarum autem res per rectam operationem effecta.

Qua ratione autem in fine, siue opere vtriusque consideranda sit ratio obiecti materialis, & obiecti formalis; ostensum est alibi. In factiuis enim subiectum physicè præsupponitur ad formam inducendam per artem, à qua etiam physice distinguitur. In actiuis autem subiectum, siue obiectum materiale non præsupponitur formali, nisi logicè: à quo etiam nonnisi logice distinguitur. Hinc apparet illorum babaries, qui acti-

uas cum factiuis contra logicum Calepinum malè confundentes, etiam in actiuis quęrunt ſubiectum phyſicum, aſſignantq. pro materiali obiecto artis potentiam ipſam, in qua tanquam in ſubiecto ars ipſa recipitur, & ſimul cum arte operationes artis. Tales ſunt, qui obiectum materiale logicæ ponunt Intellectum, Cytharisticæ manum Cytharędi, Saltatoriæ tibias Saltatoris, parati etiam aerem, in quo cantat Muſicus, pro obiecto materiali artis Muſicæ, vel inuitis Muſicis deputare. Nulla fæditas ſine amatore; nulla abſurditas ſine patrono. Philoſophus finem artis actiuæ vocat ipſum met exercitium artis, & nos cum illo in ipſomet exercitio rationem obiecti tā materialis, quàm formalis diſtinguimus, vt alibi dictum eſt.

Supereſt diuiſio ſcientiarum ſpeculatiuarum, quam clarè, & dilucidè habes apud Philoſophum 11. Metaph. ſumma 5. cap. 1. his planè verbis: *Patet igitur tria genera ſpeculatiuarum eſſe ſcientiarum*: Naturalem, Mathematicam, Theologiam. Nomine Theologiæ intelligit Philoſophus Metaphyſicam; in qua de Deo, & Intelligentijs agitur. Ex hac diuiſione confirmatur, quam legitime Logicam inter practicas repoſuerimus cum ipſe Auctor Logicæ Ariſtoteles illam à ſpeculatiuis remouerit dicendo, ſcientias ſpeculatiuas eſſe omninò tres: Phyſicam, Mathematicam, & Metaphyſicam. Has autem eſſe ſpeculatiuas probat ex fine oſtendendo Phyſicam non habere pro fine mouere ſubiectum mobile, ſicut v.g. Statuaria habet pro obiecto figurare marmor figurabile, ſed illam in obiecti mobilis contemplatio-

ne

ne quiescere. Idem eodem proportionaliter argumento de Mathematica, & Metaphysica probat: & deindè de nobilitate, seu præstantia prædictarum scientiarum disputans, decernit in fauorem Metaphysicæ hoc pacto. Illa scientia est omnium nobilissima, & præstantissima, quæ habet nobilissimum, & præstantissimum scibile: huiusmodi est inter cęteras Metaphysica; ergo Metaphysica est omnium nobilissima. Minor probatur, quia obiectum Metaphysicæ est ens, sub ratione entis: quod in sua amplitudine intelligentias, & ipsum Deum complectitur: Deum autem, & Intelligentias inter omnia entia præcellere manifestum est.

Ex hoc apparet obiecta omnium scientiarum, siue illæ sint speculatiuæ, siue practicæ à Metaphysica considerari: Ea enim omnia sub vniuersalissima ratione entis cōtinentur. Hinc est, quod Metaphysica differt etiam in hoc ab alijs scientijs, quod nulla aliarum consideret omne id, quod consideratur ab ipsa; cum ipsa sub aliqua ratione consideret quidquid ab alijs consideratur.

Huic tamen animaduersioni facile oppones, quod alibi dictum est ex eodem Philosopho, videlicet tam Dialecticam, quàm Metaphysicam differere de rebus omnibus, & consequenter inter Metaphysicam, & Dialecticam non datur hoc discrimen, secundum maiorem, aut minorem amplitudinem obiecti. Dialecticam de rebus omnibus differere manifestum est; nam Dialectica cum sit facultas probabiliter disputans, disputationes autem probabiles institui possint de rebus omnibus, perspicuum est Dialecticam

ad

ad omnia ſeſe extendere; compræhendendo & Intelligentias, & Deum ipſum, circa quę non eſt dubium poſſe haberi diſcurſus probabiles.

*H*æc omnia clara ſunt. Sed dum dicitur Metaphyſica ab alijs differre per amplitudinem obiecti, per alias intelliguntur Phyſica, & Metaphyſica, quæ propriè, & rigoroſè dicuntur ſcientiæ. Dialectica enim, ſeu Topica vtens, de qua hic ſermo eſt cum rigoroſe non ſit virtus, neque rigoroſe eſt ſcientia. Topica autem docens non habet pro obiecto res omnes, loquendo de obiecto proximo, vt dictum eſt in proœmialibus.

QVAESTIO II.

De ſpecificatiuo Scientiarum.

ARTICVLVS I.

Secernuntur ab inuicem ſcientiæ.

MAthematica, Phyſica, & Metaphyſica in ratione ſpeculatiui conueniunt: ſed intrà ipſam rationem ſpeculatiui ſuas differentias ſortiuntur. Phyſica à Mathematica differre nequit per obiectum materiale, quaſi verò aliquid conſideretur à Mathematica, quod non cōſideretur à Phyſica. Plana enim & ſolida, & longitudines, & alia huiuſcemodi, de quibus agit Mathematicus, ſunt accidentia corporum naturalium, adeoq. ab illa

la scientia considerabilia sunt, cui proponitur ens naturale, vt obiectum suę contemplationis. Quantitas solet afferri pro obiecto Mathematicæ: hanc à Physica considerari patebit in Physicis, vbi de quantitate, & quanto dicuntur mirabilia.

De Metaphysica comparata ad Mathematicam, & ad Physicam idem dici nequit. Diximus enim ipsius obiectum materiale patere latiùs, quam obiectum cuiuslibet ex prædictis: quia tamen verum est simpliciter, & absolutè posse plures scientias inter se diuersas versari circà idem obiectum materiale; ideò verum est, quod ad assignandum diuersificatiuum vnius scientiæ ab alia malè recurritur ad obiectum materiale. Ratio enim diuersificatiui debet esse ratio communis ad omne diuersificatiuum: vnde valet hoc: aliqua scientia ab alia non diuersificatur per obiectum materiale: ergo pro diuersificatiuo vniuersaliter accepto, non benè assignatur obiectum materiale. Hoc idem fusiùs explicatum habes in proœmialibus vbi de obiecto.

Philosophus igitur, & ex Philosopho D. Thomas alijque aiunt per diuersam abstractionem, vnam scientiam ab alia diuersificari, quamuis vtraq. idem obiectum consideret. Habes hoc in 2. Phys. tex. 17. & 18. vbi considerat Philosophus idem obiectum à Mathematico, & Physico considerari, sed Physicum, & Mathematicum circà idem obiectum diuersimodè abstrahere: dicit enim vt suprà dicebamus, plana, & solida physicis corporibus inesse, & longitudines, & puncta, de quibus considerat Mathematicus,

Item

Item considerat ibidem Philosophus, quod Astrologia, quæ pars est Mathematicæ, Solem, & Lunam contemplatur, de quibus & Physicus agit: cum enim Physica habeat pro obiecto ens naturale, Sol autem, & Luna sint entia, immò corpora naturalia, Sol, & Luna sub obiecto Physicæ continentur. Igitur dicendum erit Physicum à Mathematico non differre? minimè verò: *Quia etiam si de ijs negotietur & Mathematicus, non tamen ea considerat, quatenus physici corporis terminus est vnumquodque eorum, neque accidentia speculatur, quatenus talibus existentibus accidunt.* Hæc Philosophus. Huius sensus est; quamuis Mathematicus planitiem, & soliditatem, longitudinem, & latitudinem: quamuis Astrologus rotunditatem Solis, & Lunæ contemplentur: non contemplantur eà, quatenus sunt termini, aut accidentia corporum naturalium, sed ab ijs omnino abstrahunt; cum Physica ea omnia consideret, vt proprietates, & accidentia corporis naturalis. Lege Sylueſtrum Maurum hanc Philosophi doctrinam loco citato luculenter, & splendidè commentantem.

Rursùs hæc ipsa diuersa abstractio fundamentum habet in obiecto, circà quod prædictæ scientiæ occupantur: nam quod Mathematica circà longitudines, & latitudines, circà planitiem, & soliditatem ratiocinentur, abstrahendo à subiectis, queis talia insunt, fundatur in eo, quod longitudinum, latitudinum, & cæterorum huiusmodi quędam rationes, & proportiones sunt etiam præscindendo ab omni omnino corpore, cui insit; nàm linea semipalmaris ad palmarem

ità se habet, sicut bimalmaris ad quadripalmarem, siue sit aliquid subiecti, siue non; quæ sunt proportiones à Mathematico consideratæ: vnde si per possibile, vel impossibile ea essent extrà omne subiectum, eodem planè modo pertinerent ad Mathematicum. Idem dic de numeris, & proportionibus numerorum: numeri enim siue in hac, siue in illa materia, siue in materia, siue extrà materiam easdem inter se rationes habent: tam decem, & decem Chimeræ sunt viginti, quàm decem, & decem capræ. Hæc omnia fusiùs explicabit Mathematicus.

Vt autem Physicam propediem ingressuris, aliquid specialiter dicamus de Physica. Obiectum attributionis Physicæ statuimus esse ens naturale quatenus tale. In hoc obiecto attributionis inuenies, tam obiectum materiale, quàm formale. Materiale est illud ens, quod est naturale, seu sensibile, seu mobile; formale est ipsamet mobilitas, seu sensibilitas, quæ est ratio formalis, sub qua prædictum ens à Physica consideratur.

Quia verò ens naturale, vel ita amplè accipi potest, vt pertineat non solùm ad substantias, sed etiam ad accidentia sensibilia: vel ità strictè, vt solum corpora, seu substantias sensibiles complectatur: ideò alij ens naturale assignant pro obiecto Physicæ secundum quod sola corpora, seu solas substantias; alij non tantum secundum quod corpora, seu substantias; sed etiam secundum quod accidentia, comprehendit.

Nostra sententia est ens naturale secundum totam suam latitudinem: hoc est secundum quod tam substantias, quàm accidentia-

dentia comphæhendit esse obiectum attributionis Physicæ.

Huic nostræ sententiæ subscriberēt, si cohęrēter philosopharētur, quotquot aiūt, *Ens reale* esse vniuocū respectu substantię, & accidentis. Quemadmodū enim ens simpliciter dictū est vnū respectu substātiæ & accidentis; ità ens sēsibile est vnū respectu substantię sensibilis, & accidentis sensibilis. Ad quid igitur limitare ens sensibile ad solas substātias sensibiles in ratione obiecti Physicæ, cū Physicę rectè assignetur ens sensibile, vt tale?

E conuersò quicumq. aiunt ens esse analogum respectu substantiæ, & accidentis, cohærenter philosophantur, dum aiunt solum corpus naturale esse obiectum attributionis Physicæ sicut enim ens secundum latitudinem entis realis acceptum non est vnum respectu substantiæ, & accidentis; ita neque ens sensibile secundum latitudinem entis sensibilis erit vnum respectu substantiæ, & accidentis sensibilis.

Probatur autem nostra sententia, quia Physica non solùm circà substantias, sed etiam circà accidentia demonstrat, vt patebit in toto decursu Physicæ. Imò sunt incomparabiliter plura ea, quæ de accidentibus demonstrantur, quam quę de substantijs. Infinita enim ratiocinatur Physicus circà quantitatem, qualitates, contrarietates qualitatum: circà motum, locum, & quando, & alia huiusmodi.

Probatur secundò, quia cognitio de accidentibus est expectibilis propter se, & digna, quæ alicui scientiæ, vt propria tribuatur: nulla autem est scientia, cui conuenientiùs

tri-

tribuatur, quam Physicæ: igitur Physicâ tam accidentia, quàm corpora sensibilia ex professo speculabitur.

Denique probatur conclusio satisfaciendo ijs argumentis, quæ potissimum induxerunt Aduersarios, vt in oppositam sententiam irent. In quibus fere semper inuenies æquiuocationem ab esse reali ad esse intentionale. Quemadmodum enim qui negant vniuocationem entis respectu substantiæ, & accidentis semper æquiuocantur ab eo quod est, ad id quod apparet, & exercitè putant impossibile albedinem, quæ per se, & ex natura sua habet esse alterius, aliter apparere, quam sub conceptu, per quem se habeat ad alterum: ità aduersarij præsentis sententiæ, quamuis primum hunc scopulum in tractatu de ente vitauerint, incidunt hic in secundum, existimantes, quod quemadmodum accidentia non sunt in natura, nisi in bonum substantiæ, ità neque possint esse in nostro intellectu, nisi in gratiam substantiæ.

ARTICVLVS II.

Satisfit obiectionibus.

PRo sententia opposita congeruntur Aristotelis textus, quibus significat Philosophus corpora sensibilia potissimum à Physica considerari. Textus huiusmodi afferré huc non patiuntur temporis angustiæ. Ad eos omne sufficiat vna responsio concedendo totum & nihil dando Aduersarijs. Quid enim refert quod substantia magis, accidens minus principaliter consideretur à Physica? dum-

dummodo vtrumque per se & propter se cõsideretur. Hoc eodem modo potuisti dare Aduersarijs secundam & tertiam operationẽ intellectus magis principaliter intendi à Logica, quam primam: & tertiam magis principaliter quam secundam: quia vnum principalius considerari quam alterum, non facit quin etiam alterum propter se consideretur.

Vbi obserua nihil omnino valere hanc illationem. Hoc est expetibile propter illud ergo non est expetibile propter se. Mala consequentia, quæ bona esset si pro antecedenti poneres: hoc non est expetibile nisi propter illud. Cæterum sunt multa in rerum natura quæ & propter se, & propter aliud expetibilia sũt. Sanitas est expetibilis propter se, & propter aliud, puta propter exercitium virtutis. Margites sanitatem expetit per modum finis & vt bene habeat: Achilles sanitatem expedit per modum medij; vt videlicet bene habens virtutem exerceat & pugnet. Musica est expetibilis per modum finis & in genere boni iucundi; est etiam expetibilis propter aliud & in genere boni vtilis: valet enim ad curandas animi & etiam aliquas corporis ægritudines, &c.

Alij Aristotelis textus ideo afferuntur ab Aduersarijs vt probent accidentia tota quanta sunt esse in gratiam substantiæ: quod esse verissimum, vltro concedimus. Sed quid inde? quando dicimus accidentia per se & propter se considerari à Physica, an negamus accidentia esse propter substantiam? etiam calceus & ocreæ sunt omne quod sunt, in gratiam hominis: non propterea nequeunt

cor-

considerari aut intendi propter se: igitur tam in scientijs speculatiuis quam in practicis datur aliqnid ita ordinatum ad aliud, vt tamen sit considerabile propter se.

Dices: illa eadem ars, seu scientia practica quæ considerat calceos & ocreas non considerat hominem. Et illa scientia quæ considerat hominem non considerat calceos & ocreas; ergo illa scientia quæ considerat accidentia propter se, non considerat propter se substantiam: nec illa scientia, quæ considerat substantiam; considerat accidentia.

Resp. negando consequentiam. Ratio entis naturalis seu sensibilis est vna respectu substantiæ & accidentis physici, adeoque recte assignatur pro obiecto adæquato Physicæ: stulte autem pro obiecto Animasticę assignatur aliquid quod non continetur sub ratione corporis animati, sub qua non continetur calceus aut ocrea: sicut etiam stulte pro obiecto Sutoriæ assignaretur homo qui non continetur sub ratione calcei aut ocreæ, Cæterum accidentia ipsa cum vere & proprie sustineant rationem entis sensibilis recte pro obiecto inadæquato illius Scientiæ assignantur quæ dicitur habitus contemplatiuus rei naturalis.

Obijcies iterum: esse intentionale accidentis debet proportionari esse reali & physico eiusdem: sed esse reale & physicum accidentis est solum propter substantiam; ergo esse intentionale eiusdem debet esse solum propter substantiam. Vel si mauis: esse reale accidentis est propter esse reale substantiæ: ergo esse intentionale accidentis est propter esse intentionale substantiæ. Explicatur

catur hoc vltimum. Accidens dicitur entis *ens* quia totum quantum est, in gratiam alterius entis est: vel enim est dispositio ad ipsum, vel quid consequens ad ipsum: vtroq. modo, & quolibet alio quo esse possit in rerum natura, est in gratiam illius: igitur habet esse physice solum vt det, vel conseruet, vel exoruet esse alterius. Hinc infert aduersarius quod ipsum etiam esse intentionale seu ipsum met cognosci accidentis sit propter esse intentionale, seu propter cognosci substantiæ: & intantum expeti cognitionem accidentis; vt habeator cognitio perfectior substantiæ: ita vt quemadmodum accidens est propter substantiam, ita etiam cognitio accidentis sit propter cognitionem substantię.

Resp. distinguendo maiorem: debet proportionari proportione cognitionis ad obiectum: omitto: quolibet genere proportionis: nego. Non debet accidens proportionari secundum cognosci suo esse physico in hoc, quod quemadmodũ est solum propter substantiam, ita solum cognoscatur propter cognitionem substantiæ. Proportionatur autem cognitio accidenti, proportione imaginis ad rem repræsentatam. Non valet: ista res non est nisi in bonum alterius; ergo nec cognitio huius rei est nisi in bonum cognitionis alterius. Potest enim aliquid non expetibile propter se terminare cognitionem propter se experibilem. Vt hęc argumenta proportionis inter esse intentionale & esse reale penitus auerrunces sic argumentare: esse intentionale rei debet proportionari esse reali eiusdem, sed esse reale peccati est in ma-

lum habentis ; ergo etiam esse intentionale est in malum cognoscentis. Item: esse intentionale rei debet proportionari esse reali eiusdem , sed implicat peccatum secundum esse reale esse in Deo , ergo etiam implicat peccatum esse in Deo secundum esse intentionale. In his omnibus nihil est nisi abusus huius vocabuli : *proportio.*

Obijcitur insuper Physia in hoc differt à Mathematica quod hæc considerat curuitatem abstrahendo ab omni subiecto , illa vero consideret curuitatem vt receptam in subiecto. Mathematicus , secundum Philosophum curuitatem, Physicus simitatē considerat : curuitas autem sub conceptu præciso curuitatis abstrahit ab omni subiecto ; non ita simitas,quę non abstrahit à naso cuius est curuitas. Imo idem Philosophus ait per definitiones proprias Physicæ ita esse explicandam naturam accidentium vt non præscindatur ab ipsorum inhærentia, seu receptione in subiecto : cum contra Mathematicus ita definiat accidentia, que sunt proprietates corporum , vt corpora ipsa quorum sunt proprietates nullo modo attingat.

Resp. Aliud est non considerare accidentia nisi prout recepta aut receptibilia in subiecto , aliud non considerare accidentia nisi consideratione ordinata ad considerationem subiecti ; primum vt sit verum , non infert secundum non enim valet : non considero accidens nisi secundum quod est bonū substantiæ : ergo non considero accidens nisi consideratione ordinata ad considerationem substantiæ Hæc ipsa natura accidentis quod vide-

videlicet sit ens quoddam, non expetibile à natura nisi in gratiam alterius entis, est aliquid cognoscibile propter se. Vnde potes dare totum id quod dicitur in argumento absque eo quod quidquam possit inferri aduersus veritatem quam hic defendis.

Præterea obijcitur. Anima rationalis est partiale obiectum attributionis Physicæ: anima ratioanlis non continetur sub ente sensibili; ergo aliquod non contentum sub ente sensibili pertinet ad obiectum Physicę. Minor probatur quia anima rationalis est immaterialis, immateriale autem nullo sensu percipitur.

Resp. omissa maiori, distinguendo minorem: anima rationalis non continetur sub ente sensibili vt pars potestatiuà: omitto minorem, vt pars actualis: nego minorem & consequentiam. Non continetur sub ente sensibili vt pars potestatiuà: quia ens sensibile non prędicatur de anima rationali, sicut ratio superior de inferiori, vt v. g. prędicatur animal de homine, homo de Petro. Est pars actualis entis sensibilis quia est pars actualis hominis, qui physicè componitur ex corpore & anima rationali. Homo autem est omnium entium sensibilium præstantissimum ad illam vero scientiam cuius est considerare hominem aut quamlibet aliã substantiam sensibilem, pertinet etiam considerare constitutiua eiusdem.

Obijcitur vltimo. Physica debet habere aliquid pro obiecto attributo seu communitatis: nihil potest habere nisi accidentia, ergo accidentia sunt obiectum communitatis, non autem attributionis Physicæ. Maior

probatur quia omnis scientia prętcr obiectũ attributionis debet habere aliquid pro obiecto communitatis, vt patet ex dictis in procemialibus Logicæ.

Resp. transmissa maiori: cuius probatio est falsa; negando minorem Physica poterit habere pro obiecto attributo seu communitatis Deum ipsum, & alia agentia insensibilia sine quorum concursũ non habetur causa sufficiens illorum sensibilium. Puta influxus Cælorum est requisitus ad generationem & conseruationem rerum sensibilium: huiusmodi autem influxus applicantur his & illis rebus per motum corporuum cælestium, qui motus habetur ab intelligentijs motricibus, penes quas est istius mundi inferioris administratio. Item sine concursu Dei nulla causa exit in actum.

Dixi falsam esse probationem antecedentis; quamuis citet procemialia. Non diximus in procemialibus necesse esse, quod omnis scientia prętcr obiectum attributionis, habeat obiectum attributum: solum diximus quod scientiæ quæ considerant aliquid non propter se, sed ad aliud, habent hoc quod ita considerant, pro obiecto communitatis non autem pro obiecto attributionis. Cæterum da scientiam quę pro obiecto habeat omnia qualem dicit Philosophus esse Dialecticam & Metaphysicam: & huiusmodi scientiæ assigna, si potes, obiectum attributum: poteris autem, si præter omnia aliquid inuenias.

QVAE.

QVAESTIO II.

De obiecto Metaphysicæ.

ARTICVLVS I.

Ens est obiectum Metaphysicæ.

ORitur ex titulo presentis articuli controuersia de nomine. An videlicet ens quod assignamus pro obiecto Metaphisicę sit ens reale, an ens commune reali & ficto. Diximus enim alibi hoc nomen *ens* in tam ampla significatione vsurpari posse vt sit non solum trascendens sed etiam supertrascendens. Ratio dubitandi est quia de ente secundum totam hanc amplitudinem disputatur in Metaphysica & consequenter videtur ad Metaphysicam, secundum totam hanc amplitudinem pertinere.

Secundum. Intellectus de ente secundum prædictā amplitudinem accepto ratiocinatur; ergo per aliquam scientiam ratiocinatur: hinc inferes vel dari aliquam scientiam peculiarem pro ente huiusmodi, vel considerationem ipsius ad Metaphysicam pertinere: primum autem videtur absurdum: primò quia huiusmodi scientia contineret totam Metaphysicam; secundo quia esset vniuersalior Metaphysica. Probatur hoc quia de ente secundum prædictam amplitudinem philosophantes, philosophantur de possibili & impossibili, adeoque de obiecto Metaphysicæ secundum totam eius amplitudinem, &

præterea de aliquo alio, ex quo sequitur scientiam prædictam fore vniuersaliorem Metaphysica quam totam contineret: igitur conuenientius est dicere quod ens secundum prædictam latitudinem hoc est, etiam vt supertranscendens, est obiectum Metaphysicæ.

Cōfirmatur hoc per dictū Philos. contrariorū est eadem disciplina: ens autē possibile & impossibile maxim. opere cōtrariantur; igitur de possibili & impossibili erit eadē disciplina. Suum hoc dictū fuse probat Philosophus ostendendo quod qui de nigro agit, agit & de albo: qui de ente, agit etiam de priuationibus: Ratio à priori est quia opposita per opposita magis innotescunt. Igitur ad eandem scientiam pertinebit agere de possibili & de impossibili: scientia autem quæ agit de possibili & impossibili, agit de de ente non solum transcendentaliter, sed etiam supertrascendentaliter accepto.

Sed contra est: primò consensus Philosophorum tribuentium Metaphysicæ pro obiecto attributionis ens reale. Secundo ratio ipsa. Nam illud solum est obiectum attributionis Metaphisicæ cuius passiones à Metaphysica considerantur: sed solius entis realis passiones considerantur à Metaphysica; ergo solum ens reale est obiectū attributionis Metaphysicæ. Maior est euidens, scientia enim non habet pro obiecto nisi id cuius proprietates inuestigat. Minor probatur quia passiones quas considerat Metaphysica sunt vnum, verum, bonum; seu vnitas, veritas, & bonitas. quę sunt rationes trascendentales: huiusmodi autem passiones non conueniunt

nisi

nisi enti reali, ergo, &c. Probatur hæc minor: quia impossibile non est neque vnum, neque verum, neque bonum. Non est bonum: aliter Deus esset potens ipsum efficere, cum Deus possit facere omne bonum: non est verum quia constat prędicatis se mutuo destruentibus: non est vnum quia vnitas est perfectio: impossibile autem nullam habet perfectionem eo ipso quod nihil sit boni.

Confirmatur hoc idem ex dictis alibi quod videlicet non entis nullæ sint passiones: impossibile autem est non ens, igitur impossibilis nullæ sunt passiones.

Preterea Philosophus ait Metaphysicam omnia contemplari & in hoc ab alijs scientijs differre: si autem ageret de ente super transcendentaliter accepto, non solum ageret de omnibus, sed de omnibus & quibusdam alijs, & consequenter Philosophus assignando omnia pro obiecto Metaphysicæ, non assignasset nisi obiectum inadæquatum eiusdem.

Dicendum est: ens reale est obiectum adæquatum Metaphysicæ.

Rationes quæ in hanc sententiam trahunt sunt: prima: consensus satis vniuersalis Philosophorum qui in omnibus quidem, sed præsertim in quæstionibus de nomine magnifaciendus est. Secunda quia facillime diluuntur quæcunq; in oppositum scripta sunt in libro hoc.

ARTICVLVS II.

Satisfit argumentis propositis.

AD dissoluenda omnia argumenta, quæ supra adducta sũt: dic latius patere obiectũ intellectus humani quã obiectũ Metaphysicæ. Obiectum intellectus humani est quidquid cognitione potest attingi obiectũ Metaphysicæ est õne id cuius passiones inuestigantur à Metaphysica. Nòn autem omne id quod cognitione attingitur, habet passiones quas Metaphysica contemplatur, cum tamen omne id cuius passiones Metaphysica cõtẽplatur cognitione possit attingi. Hyppocentauri & Sphingis nullam passionem Metaphysica demonstrat, cum tamen Hyppocentauri, Sphinges & alia id genus innumerabilia, cognitione attingi possint.

Ex his inferes quod quando Philosophus dicit *Intellectum esse omnia* li *omnia* vltra omnia extendi debet: solet enim per li omnia intelligi omne possibile : vnde dicitur Deus omnipotens quia diuina potentia ad omne possibile sese extendit. Cum igitur Intellectus præter omne possibile aliquid intelligat, ipsum videlicet impossibile: dum dicitur esse omnia, li *omnia* etiam vltra possibile extenditur. Dicitur autem intellectus esse hoc & illud non quod realiter sit hoc & illud, sed quia per intellectionem huius & illius est intentionaliter seu repræsentatiue hoc & illud.

Ex hac eadem doctrina & ex dictis alibi licet inferre diuinam scientiam patere latius

tius quam diuinam potentiam, seu obiectum diuinæ scientiæ vniuersalius esse quam obiectum diuinæ potentiæ. Patet hoc quia diuina potentia non trascendit ad impossibilia, secus autem diuina scientia: vtraque tamen est infinita quia posse õne quod est possibile, est potẽtię infinitę, sicut scire õne quod est scibile est infinitę sciẽtiæ: neutra igitur ex prędictis est limitata: cũ impossibilitas chimeræ nequeat esse limitatio diuinæ potentiæ.

Ad argumenta facile respõdetur ex dictis. Ad 1. omitte quod in Metaphysica disputetur de ente tam impossibili quam possibili: nega hinc sequi quod tam impossibile quam possibile sit obiectum Metaphysicæ. Non ita agitur de impossibili vt de ipso demonstretur bonitas aut veritas quæ sunt passiones obiecti Metaphysicæ: adeoq. non agitur de impossibili quasi de obiecto. Vno verbo Metaphysica agit de impossibili, non propter se, sed propter aliud. Qui negant possibilitatem intrinsecam rei quæ denominatur possibilis, & impossibilitatem intrinsecam rei quæ denominatur impossibilis, dicere possunt Metaphysicam agere de impossibili non secundum id pro quo supponit, sed secundum id quod significat. Id pro quo supponit est terminus ille qui denominatur impossibilis, id quod significat est ipsa met diuina essentia, quę est forma denominans talẽ terminum impossibilem: de diuina autem essentia seu de Deo agit Metaphysica per se & propter se, cum Deus sit non solum omnium intelligibilium, sed etiam omnium entium princeps.

Ad 2. Resp. primò falsum esse quod de quo-

quocunque obiecto intellectus philosophetur seu ratiocinetur, necesse sit quod per aliquam scientiam ratiocinetur: sicut falsum est quod quodcunq. tandem obiectũ amet vel detestetur voluntas humana, per aliquam virtutem illud amet aut detestetur. Mala igitur est hæc consequentia: intellectus de ente supertranscendaliter accepto ratiocinatur, ergo per aliquam scientiam ratiocinatur: per aliquam, inquam, scientiã quę õnia, siue quæ ens supertrascendẽtaliter acceptum sibi proposuerit pro obiecto: si enim nihil aliud intendat Aduersarius nisi ratiocinationes circa ens huiusmodi fieri dependenter ab aliqua scientia; vltro dabis etiam syllogismos & definitiones quæ circa impossibilia fiunt, fieri dependenter à Logica quæ secundum quod extenditur ad impossibile, est instrumentum intellectus non autem nullius peculiaris scientiæ.

Resp. secundo posse huiusmodi considerationem pertinere ad Metaphysicã quamuis Metaphysica non cõsideret hæc omnia propter se: non enim necesse est quod omne id quod est cognoscibile pertineat ad aliquam scientiam quæ propter se illud consideret. Etiam in sententia nobis contraria circa obiectum Physicę, accidẽtia pertinent ad Physicam, nec vllius alterius scientiæ est accidentia speculari quam Physicæ, non tamen à Physica considerantur propter se. Eodem modo impossibile pertinebit ad Metaphysicã quamuis à Metaphysica non consideretur propter se; & consequenter non erit necesse dari aliam scientiam ad quam pertineat

spe-

ſpeculari ens ſecundum totam amplitudinem entis ſupertranſcendentaliter accepti.

Ad confirmationem dic axioma prædictū: contrariorum eſt eadem diſciplina, vt aſſertur à Philoſopho nihil facere contra noſtram ſententiam: non enim valet: quæ opponuntur pertinent ad eandem ſcientiam: ergo eodem modo pertinent ad eandem ſcientiam. Poſſunt igitur poſſibile & impoſſibile per eandem ſcientiam conſiderari, abſque eo quod tam impoſſibile quam poſſibile propter ſe conſideretur. Imo docet Philoſophus plerunque ex oppoſitis alterum conſiderari, dumtaxat vt alterum magis innoteſcat: & D. Thomas ex Philoſopho paſſim docet priuationes non conſiderari propter ſe, ſed propter formas quarum ſunt priuationes: igitur non ens ſimpliciter, quale eſt impoſſibile conſiderabitur à Metaphyſica propter ens, & vt ens melius innoteſcat. Hoc modo qui conſiderat lucem conſiderat etiam tenebras, quæ nihil ſunt, & vniuerſaliter loquendo qui conſiderat quamlibet rem, eiuſdem etiam vel contrarium, ſi habet contrarium: vel contradictorium conſiderat. Obiter nota impoſſibile non recte vocari contrarium poſſibilis; imo nec contradictorium, niſi de eodem obiecto dicatur. Rem explico. Si de creatura æterna dicas quod ſit poſſibilis, & alter dicat eſſe impoſſibilem, eſt contradictio, quia iſta duo prædicata *poſſibile* & *impoſſibile* reſpectu eiuſdem ſunt contradictoria: quod ſi conſideras hoc prædicatum *impoſſibile* in aliquo obiecto puta in Hyrcocerno: & hoc aliud *poſſibile* in alio: puta in Ceruo non eſt vlla contradictio: conceptus enim quidditatiuus

tiuus *Hyrcocerui* nō opponitur vlli rei possibili, sed dicit tantū impossibilitatem illius obiecti quod ex ipso cōstituitur: vnde impossibile non aliud à se distinctū, sed seipsū per sui conceptū quidditatiuū excludit ab esse.

Non sic de tenebris quæ sunt contradictorium lucis: illæ enim, si sunt, habent excludere ab esse aliquid à se distinctum, lucem videlicet cui contradictorie opponuntur: hinc est quod tenebræ sunt contradictorium alterius rei, non autem includunt contradictoria: impossibile autem non est contradictorium vllius rei, sed includit in se contradictoria. Hinc de impossibili audies: impossibile si esset, esset simul & non esset: hoc non audies de tenebris, aut vlla alia priuatione rei contingentis; Ratio est quia priuationes huiusmodi per suum esse excludunt non se, sed aliud: secus impossibile. Dum dicimus priuationes, puta tenebras, cæcitatem & alia huiusmodi esse, vide ne imagineris physicam existentiam aliquorum entium, quæ per hoc quod sint, repellant ab esse alia sibi opposita. Quem sensum faciant istæ propositiones: tenebræ sunt. Cæcitas est, explicauimus alibi.

Dixi priuationes rei cōtingentis excludere ab esse aliud à se, nō autē seipsas, quia nō cōtināt cōtradictorijs. Quod si fingas priuationē aliquā formæ necessariæ, idē dic de negatione rei necessario existētis, huiusmodi priuationes & negationes, cū sint impossibiles, ipsæ etiā si essent, eo ipso non essent, cū constent ex cōtradictorijs. Atque hæc pro hoc anno sufficiāt. Ad laudē & gloriā Dei Omnipotētis: cui honor, & gloria in sæcula sæculorū. Amen.

FINIS.

781

INDEX

RERVM.

A

B

C

D

I

L

Mate-

M


N

O

T

Ver-

V



Pro-

Pag.	Verſ.	Errata.	Corrige.
4.	30.	i n quod	id quod
5,	5.	homnibus	hominibus
11.	22.	ominis	omnis
11,	26.	in ſyncategorema	ſyncategorema
14.	9.	omini	omni
14.	13.	dependent	dependenter
15.	8.	erço	ergo
16.	14.	ludio	ludo
24.	10.	ſic reliquis	ſic de reliquis
68.	25.	marmnor	marmor
69.	5.	iſi	in
71.	75.	Tyrorum	Tyronum
74.	16.	regula	regulæ
75.	7.	prædıtur	prædicatur
86.	1.	ſy llogiſtica	vis ſyllogiſtica
98.	33.	il ſtatu	in ſtatu
106.	15.	Eudaere	euadere
113.	22.	ſub quas	ſub qua
117.	3.	enis ſentibile	ens ſenſibile
130.	16.	habitare	habita re
136.	32.	ſciut	ſicut
140.	36.	Hunc	nunc
145.	4.	aliena conceptu	aliena a conceptu
147.	6.	form; aſi	forma; ſi
147.	14.	& marmore	e marmore
155.	36.	arficium	artificium
159.	13.	repetiti	reperiri
160.	35.	pluram	plura
170.	27.	actas	actus
178.	22.	mulum	malum
193.	35.	oſtendens	oſtendendas
195.	3.	ſtrictiſſimę accepltam	ſtrictiſſimè acceptā
213.	29.	habiuum oppoſitiorū	habituū oppoſitorū
221.	28.	affectionem	effectionem
225.	5.	ſic	ſit
227.	12.	hcbent quatenus uon	habēt quatenus non
228.	8.	Animal	Animam
239.	15.	conpitur	concipitur
248.	21.	eſt	&
251.	15.	animall	animal
257.	36.	virtute	virtutem
270.	20.	ptineipium	principium
289.	21.	ſeparitam	ſeparatum
296.	11.	ſuperirol	ſuperiori
305.	25.	ha Sere	habere
308.	3.	ege	eſſe
321.	2.	indiuiduatione	indiuiduationem
330,	8,	arguit. Aduerſarius	arguit Aduerſarius
340.	8.	eo ipſo	cōfundūtur eo ipſo
342.	9.	& homo	eſt homo
343,	18,	rccendum	recedendum

Pag.	Verſ.	Errata.	Corrige.
347.	10.	applican da	applicanda ſunt
349.	9.	duæ	quæ
360.	33.	magia	magis
360.	34.	aliori	altiori
370.	2.	conſequentes	conſequenter
401.	14.	eſſentiat tres	eſſentia, tres
407.	28.	poſt	poſſet
408.	24.	fuit	fluit
418.	8.	differentiam	differentia
421.	16.	collectionem	collectionẽ attribuit
422.	10.	quæſtio	quæſito
434.	20.	indiuiduo	indiuiduatio
438	12.	duplicit	dupliciter
442.	15.	ra.ionem	rationem
449.	33.	charitate	claritate
456.	4.	PePetrut	Petrus
457.	6.	tolebalilius	tolerabilius
462.	23.	vniuocatatiunum	vniuocationem
490.	6.	ipſamet	ipſammet
495.	33.	infinitio	infinito
498.	31.	intellectui	intellectiui
502.	3.	ab quamuis	ab ente quamuis
518.	9.	prædieaca	prædicata
533.	9.	concipiunt eſſe	concipiunt
536.	35.	impugnantur	impugnatur
543.	21.	ad ſtua	adſtruat
555.	21.	ærem	aërem
556.	1.	reali	tali
560.	10.	id	idem
569.	5.	ſed per ſed aliquid	ſed per aliquid
572.	24.	implicaret	implicare
595.	8.	Alexander	Alexandrum
621.	33.	conſideratur	conſideratam
648.	1.	requſſitio	requiſito
660.	9.	ſupſioſita	ſuppoſita
661.	30.	futuro	cum futuro
667.	24.	falſaltus	ſaltus
667.	36.	homos	homo
683.	17.	es eſſentialiter	eſſentialiter
688.	29.	dixi	dixit
697.	14.	chi	hic
997.	18.	ad ad	ad
711.	23.	ſcientiem	ſcientem
724.	13.	differentis	differentijs
724.	15.	prædie ait	prædicati
734.	36.	vtriuſque	vtriſque
735.	20.	diſcurrendum	diſcernendum
741.	24.	falſa	fallax
750.	12.	interpore	interponere
763	10.	ratiocinentur	ratiocinetur
767.	[illegible]	expedit	expetit